Docum. excerptum ex libro: *Per li Nobili L. L. C. C. di Pordenon al laudo contro li deputati del consiglio per la magn. communità di Pordenone* S. l. et a. p. 1 — 2.

## XV.

(1262, 12 iulii, Portusnaonis.)

Dominus Pruinas, potestas Sacili, sumit tenutam et possessionem Portusnaonis, *cum totis villis uiius Portus*, pro domino patriarcha aquileiensi, qui *capiens ianuam dicti Portus ipsam clausit et aperuit nomine intromissionis.* Portusnaonis, 12 iulii, 1262.

Exstat documentum in opere: *Statuta et privilegia Portusnaonis*, Venetiis, 1755, p. 107.

## XVI.

(1271, 2 iulii, Pragae.)

Pax inter Othocarum regem Bohemiae et Stephanum regem Hungariae per primores utriusque regni tractata, qua inter alia recensetur dominium Portusnaonis pacis tractatu comprehensum. Item recensentur vincula ad pacis observationem adhibita; rationes quibus nasciturae controversiae sint dirimendae; poena in pacis violatores constituta; tandem renunciatio regis Hungariae super omni iure et actione in ducatibus Styriae, Carinthiae, ac dominiis Carniolae, Marchiae ac Portusnaonis Othocaro competentibus. Pragae, 2 iulii, 1271.

Documentum integrum ediderunt: a) Baldini in *Miscell. histor. regni Bohemiae*, decad. I, lib. VIII epistolar., part I, epist. XVIII, p. 17; b) Lünig in *Teutsches Reichs-Archiv*, Part. spec. contin. I, Abs. I vom Königreich Böhmen, p. 7; c) Dumont, *Corps diplomatique*, I, p. 233.

## XVII.

(1273, 29 iunii, Portusnaonis.)

**Fridericus de Pinzano et Marquardus de Ragonea arbitri electi componunt dissidia inter Henricum praepositum verdensem, vicarium general. aquileiens. pro Othocaro Bohemiae rege, ac fratres de Prata eorumque nepotes et haeredes super confiniis inter quae possint homines Turris et Portusnaonis communiter pasculare.**

Anno Domini 1273, indictione prima, die Veneris, penultimo iunii, in Portunaonis, in presentia Henrici Perisella, Joannis dicti Rusiti Rubei de domino Mainello, Dominici dicti Segregno, Odorici de villa de Portunaonis, Jacobi de Adriana, Bonifacii Petri eius fratris de Turri et aliis. Nobiles viri d. Federicus de Pinzano et Marquardus de Ragonea, electi arbitri, arbitratores et amici communes inter venerabilem virum d. Henricum prepositum verdensem vicedominum et vicarium generalem patriarchatus aquileiensis patrie Foriiulii pro serenissimo d. Othocaro rege Bohemie et subditorum suorum de Portunaonis et alibi, super communiis Turris, Vallis et Noncelli, et aliis dissensionibus vertentibus inter ipsum ex una parte et nobiles viros d. Gabrielem Joannem et Vezelettum fratres de Prata, pro se et eorum nepotibus Gabriele et Pileo, eorumque heredibus et successoribus, ut continetur uno compromisso facto manu mei notarii infrascripti, sic concorditer

diffinierunt, videlicet quod incipiendo olim a Musile olim Gavornici et veniendo per viam de foris nemus bannitum de Turri per iuxta nemus ducendo usque ad caput nemoris quondam Rodulphi gastaldionis de Turri ab inde usque ad dictum nemus sursum per viam que currit iuxta dictum nemus usque ad collum vadi ab inde sursum et dominorum de Prata, et a via communi que veniens de clesuris Portusnaonis et ducens ad aquam Medune ab inde inferius et regis predicti, et hominum Portusnaonis, exceptis pratis pertinentibus ad mansos dictorum de Turri; infra seu intus vero predictos confines usque ad Castilere et Gavornicum, si que sunt terre, prata aliqua, sint communia, et in quibus possint homines Turris et Portusnaonis communiter pasculare et copulare; que omnino preceperunt dicti arbitri a partibus observari et nota haberi ac teneri de cetero sub pena habita in compromisso. Actum supra dictis confinibus.

Ego Gregorius de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius, interfui et scripsi.

## XVIII.

(1273, 1 augusti, Portusnaonis.)

**Fridericus de Pinzano et Martinus de Monteregali, arbitri vocati, componunt dissidia inter Portusnaonenses et nobiles viros de Prata et de Porcilleis.**

Anno Domini millesimo CC. LXXIII, indictione prima, die primo intrante augusto, presentibus domino Artuico de Castello, domino Dietalmo de Chavoriaco, domino Lodoico de Vill alta, domino Francisco de Fontebono, dominis Friderico de Varmo, Rodulpho de Melso, Vigardo teotonico capitaneo Arthenee, Conrado de Osopio, Nasenwera de Piro, Aricio de Rigonia, Mainardo de Flagania, Matthia de Spellavacca, Marquardo de Rigonia, Armoino filio quondam domini Rogerii Portusnaonis, Odorico Mulla Portuscarwarii, Luca de Sancto Luca qui nunc moratur in Prata, Avernio de Mello, et Jacobo filio quondam Termi Curie Naonis et aliis. Nos Fridericus de Pinzano et Martinus de Monteregali, electi communes arbitri et amici, et arbitratores et amicabiles compositores, per nobiles viros dominum Henricum prepositum verdensem, vicedominum aquilegensis ecclesie, serenissimi domini O(thocari) regis Bohemiae, terre foriiulii vicarium generalem, non tanquam vicedominum sed tanquam vicarium generalem ipsius domini serenissimi regis in hac parte ex parte una, et

dominos Gabrielem, Johannem, Wecceletum et fratres de Prata, filios quondam domini Wecelonis, et Artuicum et Gabrielem fratres de Porcilleis, filios quondam domini Widonis ex altera parte, ad definiendum, arbitrandum et sententiandum et terminandum super quibusdam questionibus, que vertebantur inter predictum dominum Henricum vicarium, nomine et vice serenissimi regis, et homines Portusnaonis, denesmannos, habitatores, et homines de masnata ipsius domini regis, et predictos nobiles viros de Prata et de Porcilleis, per homines et habitatores suos, ut continetur in duobus instrumentis consonantibus, factis per Gregorium et Almericum notarios, nobis ab utraque parte datis in scriptis, ut in prolatione sententie inferius tangetur, visis, auditisque et intellectis rationibus, allegationibus et transactionibus utriusque partis, et diligenter inspectis, habito consilio sapientium, sub infrascripto modo definimus, arbitramur et sententiamus per definitivam sententiam; talem damus et pronunciamus sententiam quod domini predicti de Prata et de Porcilleis, et eorum habitatores et homines de masnata, qui emerunt mansos, terras, prata et possessiones spectantes ad servicia, ministeria et officia predicti serenissimi domini regis, seu ad eius habitantias vel feuda, que homines de masnata ipsius serenissimi domini regis haberent in feudum ab ipso domino rege, statim predictos mansos, terras, prata, et possessiones et feuda resignare et refutare debeant in manibus domini Conradi Vendelfafi capitanei Portusnaonis pro dicto serenissimo domino rege, recipientis nomine et vice ipsius domini Henrici vicarii domini regis predicti, ita quod predictus dominus Conradus Vendelfaf nomine et vice ipsius domini Henrici vicarii teneatur et debeat facere, quod homines, ministeriales, officiales et homines de masnata, habitatores et vassalli ipsius domini regis, qui dictos mansos, terras, prata et possessiones, habitantias et feuda vendiderant, reddere, restituere, ac satisfacere teneantur et debeant illis qui emerunt, usque ad XV dies proxime venturos, ita quod unusquisque eorum teneatur reddere pro rata sue partis et satisfacere, ut continetur in suis instrumentis, idest quod poterunt probare per bonos testes, etsi ipsi infra hoc spacium facere non possent, quod teneantur compellere eis reddere et restituere ac satisfacere super omnia sua bona presentia et futura, quousque eis plenarie fuerit satisfactum. Item dicimus et sententiamus quod denesmanni et habitatores serenissimi domini regis predicti feudum quod habent ab ipso domino rege, vel ab aliis dominis, bene possint vendere et

investire, et homines de masnata ipsius domini regis feudum quod habent ab illis dominis bene possidere, vendere et investire valeant; dicimus et definimus, quod venditiones facte per predictos denesmannos, habitatores et homines de masnata ipsius domini regis de predictis feudis dominis predictis de Prata et de Porcilleis vel ipsorum habitatoribus et hominibus de masnata, sint firme et rate, et quod predictus dominus Henricus vicarius domini regis predicti, secundum quod promisit fide naturali teneatur facere, quod predicti venditores, denesmanni, habitatores et homines de masnata predicti domini regis teneantur warentare, defensare, auctorizare, et manutenere, et disbrigare predictas venditiones factas, ut dictum est superius, predictis dominis de Prata et de Porcilleis, et eorum habitatoribus et hominibus de masnata, sicut in suis continetur instrumentis, vel per bonos et ydoneos testes probare poterunt; et si predictus dominus Henricus vicarius, vel aliquis pro eo vellet probare, vel probationes facere et inducere super feuda, que homines de masnata predicti domini regis haberent ab ipso domino rege, quod probare non potuit per homines de masnata ipsius domini regis nisi cum denesmannis domini regis predicti, vel cum aliis habitatoribus manutenendi feudum et proprium, et hec probatio fiat coram domino Henrico vicario, vel coram eius nuncio et coram dominis Friderico de Pinzano et Martino de Monteregali arbitris et amicis electis supra dictis. Item dicimus et sententiamus quod predictus dominus Henricus vicarius debeat habere fictus anni nuper transacti mansorum, quorum in ipsum pervenerunt, secundum quod sententiatum est, et domini de Prata et Porcilleis predicti et sui predicti debeant habere fictus mansorum, quorum in ipsum pervenerunt, secundum quod sententiatum est: et si dictus dominus Conradus Vendelfaf capitaneus Portusnaonis, vel alii de dominatione domini regis predicti accepissent aliquid de fictibus mansorum, quorum pervenerunt in dominos predictos de Prata et de Porcilleis et hos predictos, quod eis restituere in continenti teneantur. Item dicimus et sententiamus quod domini predicti de Prata possint et valeant facere pontem suum super flumen Nuncelli, postquam terra est eorum ab utraque parte fluminis, et dominatio aque, ita tamen quod naves euntes ad Portumnaonis per dictum flumen non impediantur per dictum (pontem), et si aliqua wera weriata deveniret inter dominos predictos de Prata et de Porcilleis ex parte una, et homines Portusnaonis ex altera parte, quo ipsis ad invicem . . .

et comburerent se his simul, quod predicti domini de Prata teneantur et debeant dictum pontem destruere. Item dicimus et sententiamus quod dictus dominus Henricus vicarius re, nomine et vice domini regis predicti, sicut promisit, fide naturali teneatur ad omnia predicta attendere et facere attendere et adimplere et observare, ut superius definitum et sententiatum est, et quod illustris dominus rex Boemie cum suo sigillo pendenti in scriptis omnia predicta confirmabit et attendet. Item dicimus et sententiamus quod dominus Conradus Vendelfaf capitaneus Portusnaonis teneatur habere facere rationem predictis dominis de Prata et Porcilleis in suis omnibus petentibus rationem de illis que sunt in suo dominio, et domini predicti de Prata et de Porcilleis teneantur facere subito rationem hominibus dominationis ipsius domini Conradi Vendelfafi capitanei Portusnaonis, de omnibus existentibus in ipsorum dominatione.

Actum in Portunaonis, in ecclesia s. Marci. Ego Almericus Rodulfi notarius sacri palatii interfui et hec scripsi.

Ex autographis apud comites Artuicum et Aloysium de Purlilijs Justus Fontaninius exscripsit in codice ms. biblioth. ad d. Marci Venetiar. (L. XIV, 48, fol. 159—161).

Ex collectione Jacobi Pirona utinensis dedit regestum Josephus Bianchi in *Documenta historiae forojulicnsis, saec. XIII* (Wien, 1861), p. 109—110.

## XIX.

(1274, 7 augusti, in castro Utini.)

**Conradus praeceptor domus teutonicae per Styriam et Austriam, magister Henricus praepositus verdensis ac magister Conradus plebanus, procuratores Othocari Bohemiae regis, inter alia a patriarcha aquileiensi petunt ut dominium Portusnaonis cum possessionibus et iuribus pertinentibus regi asseratur: item patriarchae responsum.**

Anno Domini 1274, indictione secunda, die Martis, septimo intrante augusto, in castro Utini, in camera patriarchali, presentibus venerabilibus viris Asquino decano, Johanne archidiacono, Henrico de Legio, Berengero praeposito Sancti Volrici, Vodolrico canonico civitatensi, magistris Johanne et Laurentio fratre eius et Artuico, canonicis aquileiensibus, fratribus Petro priore et Galvano lectore fratrum praedicatorum de Civitate, fratribus Valtero et Hermanno, Humili et Bonofilio fratrum minorum, dominis Raynerio de Pirovano ordinis

mend., fr. Pagano Lovon ordinis humiliatorum, Gothefredo de la Turre potestate Padue, Pagano de Trezago med., Gabriele de Prata, Henrico seniore de Vilalta, Asquino de Varmo, Glizoio de Mels, Federico de Pinzano, Nicolao de Budrio, Thomasio de Cucanea, Federico gastaldione Utini, Meynardo de Flagonea et Withemaro de Faganea, et aliis pluribus testibus.

Venerabiles viri, domini frater Conradus preceptor domus teotonice per Styriam et Austriam, et magister Henricus prepositus verdensis, ac magister Conradus plebanus, procuratores domini O(thocari) illustris regis Boemie, ut dicebant, procuratorio nomine pro ipso domino rege, reverendo patri et domino R(aimundo) Dei gratia s. sedis aquilegensis patriarche in scriptis petitiones fecerunt infrascripti tenoris, que sunt tales.

Sane si vestra paternitas reverenda nobiscum in eodem affectu amicitie curabit permanere, ita quod universa in Foroiulio ad nos spectantia, videlicet Portusnaonis cum possessionibus et villis, hominibus et iuribus pertinentibus ad eundem, sicut dux Leopoldus qui Portum huiusmodi per pecuniam comparavit, et postmodum dux Federicus ea pacifice possederunt, in nostra integraliter pleno iure maneat potestate; et universa iura que dominus Ulricus dux Karinthie fel. rec. in Karinthia, Carniola et Marchia a vestra ecclesia tenuit, et specialiter castrum et civitatem Windegretz cum omnibus attinentiis, nobis et nostris heredibus conferre velitis una cum iuribus que a vobis in Styria debemus recipere, ex tunc in eiusdem, sicut cum domino Gregorio predicto antecessore vestro fuimus, libenter remanebimus amicitie unione, vobis, rebus et persone contra quoslibet adversarios assistendo, et bona que in terris nostris habueritis sollicite protegendo.

— — — — — — — — — — — — — —

Super eo vero quod petebatur, scilicet quod Portusnaonis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, quem dicit emptionem ducis Leopoldi et compositionem Friderici, dimittantur sibi, et cetera que circa dictum Portumnaonis sita sunt, que non fuerunt in illa emptione, sed fuerunt feuda ducum predictorum, sibi feudi titulo dimittantur, sic respondit (patriarcha aquil.): ad primam partem petitionis istius, quod non est intentionis ipsius, ipsum dominum regem super aliqua sua proprietate aut aliquo iure molestare aut inquietare, aut etiam inquietari permittere per aliquem sibi subiectorum, imo magis omnia sua iura velle sibi illesa conservare, et tam per se quam per suos nobiles et

ministeriales pro viribus defensare. Super altera vero parte petitionis, in qua de feudo tangebatur, sic respondit: quod cum illa feuda per mortem ducis Friderici absque herede legitimo decedentis sint ad aquileiensem ecclesiam devoluta; nec ea que ecclesie acquisita vel accessisse repererit, alienare vel de novo infeudare valeat absque domini pape mandato et licentia speciali, cui super hoc iuramentum prestitit corporale; nec etiam si de iisdem per dominum Gregorium fuerit investitus, mirari non debet regia dignitas vel etiam gravari, si in hoc contra iuramentum proprium petitiones regias non exaudit. Quod si docere poterit quod de ipsis per patriarchas preteritos investitus fuerit, libentissime ipsum investiet, ut debebit. — — — — — — — — — — —

Insuper dictis ambaxiatoribus regiis et per ipsos d. regi est conquestus quod capitaneus regis qui Portumnaonis tenet, ecclesiam aquileiensem in succisione nemorum suorum, in oppressione hominum et aliarum irrogatione iniuriarum usque ad valorem mille marcharum et amplius dampnificavit in multis ec. unde petit quod huiusmodi excessus per providentiam regiam corrigantur, et dicti iniuriatores ad satisfaciendum debitum tam de iniuriis quam de dampnis censura regia compellantur.

Ex bombycino documento authent. notarii Walterii in tabulario municipali utinensi: ex autographis Walterii apud comites Florio Utini exscripsit Franciscus Bern. Maria de Rubeis in cod. ms. bibl. ad d. Marci Venetiarum (L. IX, 126, fol. 114—115).

## XX.

(1276.)

Raymundus patriarcha aquilejensis refert Rodulpho imperatori quod Philippus Ulricus, ducis Carinthiae et Carniolae frater, nulla *vigente* inter se et ipsum *dissensionis materia, erigi fecit castrum quoddam* (Portusnaonis) *in preiudicium ecclesiae meae, ac contra ipsius privilegia et iura publica*, quod *malevolentie inductivum esse poterit et plus quam expediat nutritivum.*

Exstat in Codex epistolar. Rudolphi I, a Gerbert, 1772, p. 129.

## XXI.

(1276, 21 novembris, in castris ante Viennam.)

Laudum concordiae inter Rodulphum Romanorum et Othocarum Bohemiae reges, quo arbitri ab ambobus deputati decernunt *a)* senten-

tias iam in Othocarum latas revocandas; *b)* pacem inter utrumque comparandam; *c)* plures terras, quas inter Portusnaonis, ab Othocaro Rodulpho restituendas; *d)* pactum matrimonio utriusque filii et filiae vicissim firmius roborandum.

Ex penitiori tabulario caesareo vindobonensi errate ediderunt: 1. Leibnitz in *Mantissa cod. iur. gent. diplom* part. II, p. 100; 2. Dumont, *Corps diplom.* I, I, 237; 3. Schrötter, *Oesterr. Staatsr.* I. Abhandlung. Beil. n. 4, p. 98; 4. Lambacher, *Oesterr. Interregn.* Beil. n. 74, p. 111; castigate vero 5. Rauch, *Oesterr. Geschichte*, tom III, pag. 46.

## XXII.

(1276, 26 novembris, in castris ante Viennam.)

Rodulphus Romanorum et Othocarus Bohemiae reges ratam habent sententiam ab arbitris datam super concordia, de qua supra.

Documentum ex tabulario eodem primum edidit C. M. Lichnowsky in *Geschichte des Hauses Habsburg*, vol. I, p. CLXI.

## XXIII.

(1277, 7 ianuarii.)

Petrus Jana, Petrus Mai, Articulus molendinarius, Dominicus frater Joannis Macarii, Jacobus de Gremo, Levatus, Julianus, Venturinus testantur, presentibus pluribus ad id deputatis, Odoricum et Fridericum de Castello vendidisse terram Portusnaonis (dubium *num per proprium vel per feudum*), ducibus Austriae, *excepto garricto quod erat domus aquilejensis*, ac quandam ejus dominationis partem pertinere Bernardo duci Carinthiae. 7 ianuarii, 1277.

Extat in operibus: *a) Statuta Portusnaonis* edita anno 1670, p. 163; anno 1755, p. 105; *b) Stampa della fedelissima comunità di Pordenone*, sine loco et anno (1798), p. 7 — 10.

## XXIV.

(1278, 8 maii, in ecclesia s. Marci Portusnaonis.)

**Institutio ecclesiae parochialis s. Marci de Portunaonis.**

In nomine Dei eterni amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, indictione sexta, die dominico, octavo ineunte maio. Presentibus dominis Antonio decano, Masotto archidiacono, Leone sacristario ecclesie concordiensis, Leonardo Bilussio, canonicis eiusdem ecclesie, magistro Lombardo Phisico de

Portugrewario, Warnerio de Maniaco, Henrico Square de Portugrewario, Marquardo de Ragonea, Paulo de Meduno, Lenardo notario, Dominico notario de Portunaonis, et aliis testibus rogatis. Venerabilis pater dominus frater Folcherius, miseratione divina concordiensis episcopus, attendens et considerans quod ecclesia sancti Heleri [1]) de Turri matrix et baptismalis quasi inutiliter parochiam et baptismum habebat, ac alia ad parochiales eius baptismales ecclesias pertinentia obtinebat, tum propter parochie sive parochianorum paucitatem eandem opportunis temporibus adire valentium [2])

---

[1]) Hilarii.

[2]) Recentius exemplum penes Petrum Montereale, hucusque huic simile, sic sequitur: . . . et considerans quod in ecclesia s. Marci de Portunaonis, que capella fuerat subiecta dicte plebi propter multitudinem populi existentis ibidem, divinus potest cultus magis augeri, et ad ipsam parochiam dicte plebis commodius et securius venire possunt, et ibidem ecclesiastica recipere sacramenta, dictam cappellam s. Marci de Portunaonis in plebem et ecclesiam baptismalem, et predictam ecclesiam s. Heleri de Turri cappellam eidem ecclesie s. Marci de Portunaonis subiectam esse voluit, ordinavit et iurisdictione ordinaria sic dicens:

Nos frater Folcherius, Dei gratia episcopus concordiensis universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino Jesu Christo, ad rei geste memoriam. Pastoralis officii debitum exigit et cura requirit ut circa reformationem et salutem subiectarum nobis ecclesiarum mentis nostre oculos nequaquam claudamus, sed corde puro et fide non ficta, firmo spiritu et prompto proposito intendamus ut erigantur que sunt lapsa, que infirma firmentur, et ordinentur ea que inordinata fore noscuntur. Cum itaque plebs s. Heleri de Turri que in villa noscitur esse sita nostre iurisdictioni submissa, propter diei malitiam que cresrit quotidie, et pericula temporis que assidue invalescunt, adeo sit desolationi propinqua quod homines et vicini eius, qui ipsam circumquaque vallabant, eam inter angustias quasi solitariam reliquerunt, ita quod qui iuxta erant facti de longe frequenter sine periculo eamdem adire nequeunt recepturi ecclesiastica sacramenta: nos itaque incommoda hominum respicientes, eamdem ecclesiam in commodum commutare volentes ac etiam erga periculosos labores eorum habentes pie compassionis affectum, presenti decreto, de consensu et voluntate capituli nostri et Conradi plebani dicte ecclesie, presentis et consentientis, diximus statuendum et inviolabiliter observandum, ut de cetero ecclesia s. Marci de Portunaonis tamquam in loco forti firmata, ubi etiam multitudo populi colligitur in unum, sit ecclesia baptismalis, et que hucusque dici filia consuevit mater deinceps nominetur, et predicta ecclesia s. Heleri que antea mater dicebatur filia remaneat, et sit cappella memorate ecclesie s. Marci, tamquam sue matrici subiecta. Actum in ecclesia s. Marci predicta.

Ego Bartholomeus civitatensis, imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui et de mandato venerabilis patris domini Folcherii, Dei gratia concordiensis episcopi, nec non venerabilium virorum Antonii decani et capituli concordiensis ecclesie scripsi et in publicam formam redegi.

Et ego presbiter Angelus Pancerata Cusaneus, plebanus Turris copiavi, vel extraxi predictam commutationem ut inveni scriptam vel exemplatam in quodam

tum quia quasi totaliter et generaliter, universaliter singuli et singularum universi eiusdem ecclesie sancti Heleri parochiani et subditi perducuntur officiis et omnibus ecclesiasticis sacramentis tam necessariis quam voluntariis ecclesiam sive capellam sancti Marci de Portunaonis ad predictam matricem ecclesiam pertinentem adire levius et commodius, et convenire honestius poterant, possunt et poterunt ad eandem, prout evidencia facti et communis opinio, assertio et testimonium singulorum et omnium tam clericorum quam laicorum, quorum interest, attestantur, asserunt et affirmant. Hiis omnibus et singulis notis notoriis et omnibus manifestis, deliberatione habita, tractatu et consilio solemni et diligenti tam concordiensis capituli et Conradi plebani ecclesie supradicte sancti Heleri, quam omnium aliorum et singulorum quorum intererat et interesse videbatur et poterat, et eorum obtento consensu, solum Deum habens pre oculis, eiusque opus secundum varietatem temporum volens et cupiens tam nutrire quam in melius reformare, capellam prefatam matricem parochialem et baptismalem: matricem vero capellam ad honorem Dei omnipotentis et gloriose Marie semper virginis matris eius, concordiensis ecclesie et parochianorum salutem constituit et effecit. In cuius rei testimonium et cautelam presens publicum documentum fieri iussit, et sui sigilli et sui capituli munimine roborari. Actum in predicta ecclesia sancti Marci de Portunaonis.

Ego Gregorius imperiali auctoritate notarius interfui et dicta venerabilis patris domini episcopi memorati scripsi ac fideliter signo meo roboravi.

Documentum membr. authent. penes municipium portusnaonense.

## XXV.

(1283, 11 iunii, Rinueldiae.)

Rodulphus rex Romanorum, filiis Alberto et Rodulpho ducibus Austriae ec. ac dominis Portusnaonis *humiliter exorantibus ut confirmet litteras datas favorabiliter* a Julio Caesare, Nerone, Ernstone marchione Austriae, Friderico I caesare, Henrico Romanorum rege,

---

missale veteri in membranis in sacristia ecclesie s. Marci de Portunaonis, in quo et quamplurime alie memorie scripte videntur, et in fidem veritatis meum etiam apposui signum.

Exemplum sumptum ex quodam libro cooperto pergamena, existente penes magnificum dominum Curtium Ragoneum, dominum Castri Turris.

Friderico II imperatore *predictis terris ob magna eorum beneficia tum quia domini novi forent, tum quod ee littere essent bone et inconvulse,* concedit libertates ut et omnium locorum iis devolutorum, sic et Portusnaonis, accedente principum electorum, quorum nomina infrascripta, voluntate.

Documentum leges in *Notizenblatt. Beilage zum Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen.* Wien, 1856, p. 105.

## XXVI.

## (1288.)

**Quaedam ex statutis Portusnaonis ab huius civitatis capitaneo et communi sub anno 1288 confirmatis, rem ecclesiasticam spectantia, antiquitus excerpta ex codice ms. membranaceo tabulis infractis cooperto. penes Antonium Tinti portusnaonensem.**

Item statuimus quod nullus sepeliat cadaver in ecclesia s. Marci de Portunaonis sub pena denariorum mille, cuius pene due partes dentur domino capitaneo, tertia vero communi.

Item statuimus et ordinamus quod nemo societ corpus alicuius defuncti nisi usque ad crates [1]) ecclesie, et nemo faciat ultra primas vesperas . . . nec offerat presbyteris maioribus ultra solidos XX et aliis V, et nemo faciat exsequias maiores in banno.

Item statuimus et ordinamus in gratia dominii et banno communis publice utilitati providendo quod nulla persona in funeribus mortuorum offerat ad missam maiorem ultra solidos XX et illos in duplere [2]) ponat. In sesbigelio autem . . . fit memoria defunctorum non ultra IV cum una candela offeratur, et hoc in banno librarum 25, super quo statuto si quis rogaverit vel consuluerit quod infringatur vel corrigatur, solvat libras IV, solid. V.

Item statuimus et ordinamus quod nemo ducat vel duci faciat currum in cemeterio nec teneat vel tenere faciat porcum in banno solidorum 25 applicandorum communi.

Item statuimus et ordinamus quod si necesse fuerit ecclesiis seu aliquibus pupillis vendere de bonis ipsorum, camerarii et tutores qui pro tempore fuerint teneantur et habeant comparere coram dominio eam necessitatem exponentes, qua necessitate evidenti intellecta, ipsum dominium seu iurati sententiare debeant ipsa bona ad in-

---

[1]) Repagula circa ecclesias bestiis averruncandis.

[2]) Cereus Italis *doppiere.*

cantum poni et vendi per tres XV dies more antiquo, et preco incantet per terram alta voce, quibus elapsis preco faciat relationem coram dominio, et inde faciat instrumentum venditionis, interponat auctoritatem et habeat roboris firmitatem.

Item statuimus et ordinamus quod nemo audeat seu possit legare presbyteris seu vicariis ecclesie aliquod predium rusticum vel urbanum, videlicet domum vel . . . neque ultra solidos centum, excepto si ei ex hereditate vel successione contingeret hereditas.

Item quod nullus habitator Portusnaonis expendat in vestibus unius filiocii, calceamentis et aliis rebus quibus honorantur filiocii sabbato sancto ultra libras X parvulorum, in quibus non fit opitergium [1]), non exornatio pellis, argenti vel alterius rei ultra pannum simplicem, nec faciat in quadragesima compatribus aliquod esurium, ruspicium vel aliarum rerum. Nec in die qua christianus efficitur, superponere ultra solidos X, super quibus potestas et massarii communis suo sacramento inquirere teneantur et possint ratare in gratia dominii et banno communis.

Item statuimus in gratia dominii et banno communis quod nullus die qua filius christianus efficitur, seu filia, non faciat compatribus suis prandium nec ientaculum, seu aliquod convivium, excepto vino causa refectionis.

Item statuimus quod nullus faciat cereum filiocii sui maiorem quam de una libra ad balaricem, neque ponat denarios alicuius monete in cereo, sed admonere debeat compatres suos forenses, quod similiter non ponant denarios in cereo, et quando fit christianus puer in ecclesia, nullus ponat super ipsum ultra duos frixenses.

Item volumus quod nulla persona Portusnaonis associetur in matrimonio cum aliqua persona de Purcileis vel districtu Purliliarum, sub pena librarum 35, et excludatur de dominio Portusnaonis.

## XXVII.

(1291, 30 martii, Graecii.)

Albertus dux Austriae ec. ac dominus Portusnaonis, concedit et confirmat, ad instar *predecessorum* suorum *ducum Austrie et Styrie*, iura, libertates et gratias Portusnaonensibus, pluribus capitulis, quibus de capitaneo, potestate, vectigalibus, re criminali actum.

Documentum membran. penes Petrum Montereale, editum leges in: *a) Statuta Portusnaonis edita* anno 1609, p. 147; anno 1670, p. 104; anno 1755, p. 107; *b) Stampa della fedeliss. comunità di Pordenon*, sine loco et anno (1798)), p. 11.

[1]) Castellum prope oppidum: nostro loco, opitergii forma vestibus adsuta.

## XXVIII.

(1292, 31 augusti, Portusnaonis.)

**Wecellus de Scrofenstein capitaneus Portusnaonis ob remedium ducum Austriae et Styriae defunctorum ac parentum suorum investit Artemanum procuratorem ecclesiae sancti Odorici de Villanova de territorio sito juxta eandem, ad istius commodum et utilitatem.**

In Christi nomine amen, anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, die ultimo augusti, in presentia nobilium virorum dominorum Stephani de Formiano, Friderici de Scrofenstain, Cunnichii eiusdem loci, Bregogne olim domini Bertoldi de Soncolle, Andree domini Bicelde potestatis Portusnaonis, Dominici Isent, Eraesti, Urpaldi, Georgii de eodem Portunaonis, et aliorum.

Nobilis vir Wecello de Scrofenstain capitaneus Portus predicti ob remedium illustrium ducum Austrie et Stirie antecessorum suorum, ac remedium parentum suorum, ut quia modicum damnum phisco domini sui ducis, et magnum et utile commodum ecclesie sancti Odorici de Villanova tanquam per cemeterium adotate, dedit, tribuit atque investivit Artemanum procuratorem et massarium dicte ecclesie sancti Odorici, stipulantem et recipientem vice et nomine ipsius ecclesie de toto territorio sito iuxta dictam ecclesiam, quod quidem potest esse unum campum terre totaliter, quod ex toto ad ipsam ecclesiam spectet, et de ipsius usufructu illuminetur in omne commodum et utilitatem dicte ecclesie, et quod nec plebanus plebis nec sacerdos officians ibidem valeant se in aliquo immittere preterquam in subsidium et iuramentum ad dictam ecclesiam nunc et in posterum. Promisit quoque dictus dominus Wecello capitaneus per se et suos successores venturos dictam datam et investituram perpetuo firmam et ratam habere, et observare et non contravenire, sed ipsam manutenere et disbrigare ab omni homine et persona, ut a Deo laudem et gratiam valeat promereri, et ab ipso sancto Odorico sua preconia consequi et habere. Actum in Portunaonis, sub domo communis.

Ego Nicolaus de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius interfui, et de mandato domini capitanei et rogatu dicti procuratoris scripsi et . . .

Exemplum chart. recens penes P. M.

## XXIX.

(1297, 14 aprilis, Portusnaonis.)

**Contractus de novo fonte baptismatis in ecclesia s. Marci Portusnaonis conficiendo.**

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, die decimaquarta exeuntis aprilis. In presencia domini Andree potestatis, domini Tingoli, Odorici, Aperini, Michaelis sartoris de Portunaonis, et aliorum plurium testium convocatorum et rogatorum pro decem libris denariorum venetorum parvorum, quas magister Petrus murator dicti Portusnaonis recepit a Dominico Pria et Johanne sartore, commissariis et custodibus ecclesie s. Marci de Portunaonis pro ip sa ecclesia, seu aliis massariis vel commissariis substitutis in ipsam ecclesiam stipulantem, de quibus vocavit se bene solutum et satisfactum esse integraliter, renuncians omni exceptioni non habite et recepte pecunie ac omni spei future numerationis, stetit vadia ac solempni stipulacione promisit dare et assignare eisdem massariis seu aliis substitutis pro ipsa ecclesia sancti Marci recipientibus unum baptisterium tam magnum vel majorem quam est illud quod posuit in ipsa ecclesia, bene laboratum, sanum et solidum, sine aliqua macula, hinc ad carnisprivium proxime venturum, tamen hoc addito quod si dictum baptisterium plus valeret ipsis decem libris denariorum venetorum, quod idem commissarii seu alii substituti de ipsa ecclesia teneantur satisfacere eidem magistro Petro superfluum, ad dictum predictorum virorum, que omnia promisit idem magister Petrus adimplere et observare sub pena decem solidorum venetorum grossorum, qua pecunia soluta vel non, tamen ad dicta teneatur, ut dictum est superius, reficiendo nichilominus omnia dampna et expensas litis et expensas, que vel quas predicti commissarii facerent vel sustinerent ea causa predicta, pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis fideiiussores principales fuerunt et se constituerunt in solidum pro ipso magistro Petro, discretus vir Odoricus plebanus, Piscecane et Napoleo Tuscus de Portunaonis ... dominii Adriani ac omni iuri ecclesiastico decretali, concordio et decisioni doli et mali ... actioni ac omni alii suo iuri, cum qua se tueri possent ab omnibus supradictis.

Actum in cimeterio sancti Marci de Portunaonis, iuxta domum Nicolai notarii.

Ego Johannes de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius interfui et rogatus scribere scripsi.

Docum. chart. vetustate exesum habet P. M.

## XXX.

(1298, 21 novembris, Nurembergae.)

Albertus rex Romanorum, *de libero et expresso consensu principum imperii*, concedit in feudum ducatus Austriae ec. ac dominium Portusnaonis, *cum honoribus, iuribus, libertatibus et pertinentiis suis*, Rodulpho, Friderico, Leupoldo, *et aliis filiis suis*, praecepto dato de non contraeundo. Adsunt testes plures archiepiscopi, duces, comites. Nurembercb, 21 novembris, 1298.

Ex penitiori tabulario caesareo vindobonensi documentum prolatum in *a)* Dumont: *Corps diplomatique* I, I, 319; *b) Notizenblatt. Beilage zum Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen.* Wien, 1856, p. 107.

## XXXI.

(1299, 22 augusti, Portusgruarii.)

**Concordiensis episcopus ecclesiam s. Marci de Portunaonis cum suis redditibus unit sacristiae concordiensi pro beneficio sacristae.**

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, indictione XII, die X exeunte augusto, in Portugruario, in ecclesia sancti Christophori.

Presentibus presbytero Bartholomeo cappellano venerabilis prioris infrascripti, Sclaramonte de Portugruario, Nicolao domini Ugonis de Medeja, atque presbytero Antonio dicto Nugoa de Concordia et aliis.

Venerabilis pater dominus Jacobus Dei gratia concordiensis episcopus attendens quod beneficium sacristie concordiensis pro beneficio sacriste erat tenue et exile, de voluntate, auctoritate, assensu et consensu capituli concordiensis, videlicet dominorum Billussii, Candidi de Varmo, Bartholomei scolastici, Joannis Magini, Alberti Bortolussii de Concordia, Ottonelli de Duneto atque magistri Joannis de Feltro tunc residentium, ecclesiam seu plebem s. Marci de Portunaonis cum omnibus redditibus et proventibus pertinentibus ad eandem, corporaliter et spiritualiter libere univit sacristie concordiensi pro beneficio domini Leonis nunc sacriste, necnon ipsum dominum Leonem concordiensem sacristam, pro beneficio sacristie pro se suisque successoribus recipientem, de dicta ecclesia seu plebe Portusnaonis legitime investivit.

Ego Lancellotus filius quondam Philippini notarii de Mantua imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui et de mandato supradicti venerabilis patris presens instrumentum confeci et in publicam formam redegi.

Ex membrana apud Joannem Muschietti canonicum theologum concordiensem.

## XXXII.

(1305, 15 septembris, Cenetae.)

**Episcopus cenetensis confert quadraginta dies indulgentiae iis qui poenitentes et confessi ecclesiam s. Marci Portusnaonis, die s. Marci et septem sequentibus, annuatim visitaverint.**

Frater Franciscus, miseratione divina episcopus cenetensis, universis in Christo fidelibus salutem in Domino sempiternam. Sanctorum merito inclita gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus qui eorum patrocinia per condigne devocionis obsequia promerentur, illum quoque venerantur in ipsis quorum gloria ipse est et retribucio meritorum. Nos igitur ad exequenda ipsa gaudia causam dare fidelibus cupientes, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad sanctam beati Marci evangeliste ecclesiam de Portunaonis, in cuius honorem consecratur, et septem diebus festum illud immediate sequentibus cum devocione ac veneratione visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac gloriosi confessoris Ticiani auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Cenete, XV intrantis septembris, millesimo CCC° quinto, indictione tercia.

Dummodo de diocesani episcopi processerit voluntate.

Documentum membran. habet P. M.

## XXXIII.

(1309, 17 septembris, Spirae.)

Henricus Romanorum rex investit Fridericum, Leopoldum et Henricum duces Austriae et Styriae principes, suo et fratrum absentium Alberti et Ottonis nomine, ut et de omnibus feudis quae ab antecessoribus tenuerunt, *cum omnibus iuribus, libertatibus et consuetudinibus*, sic et de Portunaonis, *de consensu principum ius in romani regis electione habentium;* quod praestat *ob fidei et devotionis insignia quibus* hi duces *se et romanum imperium venerantur, ac obsequia fructuosa quae Henrico et imperio impendere poterunt.*

Documentum editum in *Notizenblatt. Beilage zum Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen.* Wien, 1855, p. 108.

## XXXIV.

(1311, 29 martii, Concordiae.)

**Presbyter Warnerius de Portunaonis, nomine eiusdem communitatis, convenit cum presbytero Jacobo de Tarvisio, Concordiae commoranti, de pretio unius breviarii, secundum consuetudinem ecclesiae concordiensis, scribendi, notandi et rubricandi cum cinabro per eundem Jacobum, cui solventur vigintiquinque solidi parvulorum pro quolibet quaterno.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem millesimo CCCXI, indictione nona, die tercio exeunte marcio, in Concordia, ante canipam mei infrascripti notarii, presentibus domino Pirinçolo de Mari, Albertucio canonico concordiensi, Johanne Cerdone de eodem loco et aliis. Discretus vir dominus presbyter Warnerius de Portunaonis, nomine et vice totius communitatis Portusnaonis, unanimiter et concorditer composuit cum presbytero Jacobo qui fuit de Tervisio et nunc moratur in Concordia, quod ipse debeat eis scribere et notare ac etiam rubricare cum çinabrio unum librum sive breviarium ecclesie sue de Portunaonis, secundum usum et consuetudinem ecclesie concordiensis, et debet habere de quolibet quaterno XXV solidos parvulorum, et debet esse dictum breviarium de volumine et statura quomodo est illud breviarium de Portunaonis, et modo in principio usque ad festum pasce antequam incipiat scribere debet etiam habere V libras parvulorum, et aliam pecuniam sive solucionem omni hora quando completi essent quatuor quaterni, solvendo sibi pro quaterno XXV solidos, prout superius dictum est, et sic de singulis, et si contingeret quod dictus presbyter Warnerius sive homines Portusnaonis non satisfacerent sibi de labore suo in terminis infrascriptis, quod ipse presbyter Jacobus habeat liberum arbitrium ponendi dictum librum in promercium ubicumque potest invenire satisfactionem suam de ipsis. Insuper promisit predictus presbyter Jacobus predictis hominibus Portusnaonis non accipere opera alicuius persone usque dum ista essent completa, et de hoc, ad preces et peticionem dicti presbyteri Jacobi steterunt dominus Marius et Bartholomeus scolasticus sic attendere et observare predictis hominibus Portusnaonis, sub pena L librarum denariorum venetorum parvulorum, cum obligatione omnium bonorum suorum. Que omnia et singula suprascripta et infrascripta promisit una pars

alteri inter se ad invicem firma et rata habere et tenere, et non contrafacere vel venire aliqua racione vel causa, de iure vel de facto, cum obligatione omnium suorum bonorum, dampna et expensas et interesse parti servanti pacta pars non observans satisfacere teneatur.

Ego Bortholussius de Concordia imperiali auctoritate notarius predictis interfui et rogatus scripsi.

Documentum membran. habet P. M.

## XXXV.

(1314, 15 iulii, Vindobonae.)

Cum Fridericus dux Austriae et Styriae *suum castrum et civitatem Portusnaonis cum suis pertinentiis* Ludovico comiti de Porcileis, *pro mille marchis argenti puri viennensis ponderis et trecentis et sexaginta marchis grecensis ponderati, titulo pignoris pro suis necessitatibus obligaverit,* Ludovicus spondet Friderico *pignus in solidum restituere,* ubi pretium datum illi exsolvatur, *iura et consuetudines* Portusnaonensium interim *inviolabiliter observaturus.*

Societas historica styriensis edidit ex proprio exemplo documentum in *Mittheilungen des historischen Vereins für Steiermark.* Gratz, 1854, p. 226.

## XXXVI.

(1314, 15 iulii, Vindobonae.)

**Fridericus dux Austriae nuntiat Portusnaonensibus quod, cum pecunia egeat, Portusnaonis dominium una cum pertinentiis Ludovico comiti de Porcileis obbligavit, ita tamen ut iura et consuetudines populi plene serventur.**

Fridericus, Dei gratia dux Austrie et Styrie, dominus Carniole, Marchie ac Portusnaonis, universitati fidelium suorum Portusnaonis gratiam suam et omne bonum. Noveritis vestra fidelitas quod grandi ad presens pecunia indigentes, nobili viro Ludovico comiti de Porcileis Portumnaonem cum suis pertinentiis universis pro quadam summa pecunie argenti duximus obbligandum, ita tamen ut vos in iuribus vestris . . . et consuetudinibus approbatis plene conservans, nullis universitatem gravet incommodis insolitis et iniustis, quod etiam idem

comes promisit firmiter se facturum. Si vero secus fecerit, scire nos opportuno tempore faciatis, quia vexari indebite vos nullatenus permittemus.

Datum Vienne, XVIII. kalend. augusti.

Membranam auth. habet P. M.

## XXXVII.

(1319, 9 martii, Portusgruarii.)

Cum portusnaonenses Guarnerus presbyter ac eius fratres Bartholomaeus, Minyjus et Articus excommunicationis sententiam in eos ab Artico episcopo concordiensi latam, *quod se illicitos detentores fecerint redditnum et proventuum plebis de dicto Portunaonis, qui pro anno presenti romane cedunt ecclesie*, spreverint, idem Articus *excommunicat et anatemizat qui consilium, auxilium aut favorem iis dederint*, mandato sacerdotibus dato *hanc sententiam in portis maioris ecclesiae* affigendi.

Documentum ex archetypo proprio dedit Josephus Bianchi in *Documenti per la storia del Friuli dal 1317 al 1325*. Udine, 1844, p. 260—261.

## XXXVIII.

(1319, augusto, Avenione.)

**Plures episcopi, dioecesani accedente voluntate, relaxant dierum quadragenas de iniunctis penitentiis iis qui vere poenitentes et confessi hospitale beatae Mariae virginis de Portunaonis ac eius cappellam diebus festis statutis visitaverint, aut modo quocumque iuverint.**

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, miseratione divina fratres Isnardus antiochenus patriarcha, Raymundus adrianopolitanus archiepiscopus, Wernerus marmorensis, Petrus Civitatis nove, Nicolaus augidiensis, Eginienus parmensis, Petrus calliensis, Berengarius christopolinus, Ptolomeus torsellanus, Bernardus christopolitanus, Egidius andrinopolensis, Petrus narinensis et Guillelmus... salutem in Domino. Si iuxta sententiam sapientie, inter tempus seminandi discernimus et metendi, seminare debemus in terris quod cum multiplicato fructu recolligere debemus in celis. Et licet secundum hoc

omnibus indigentibus aperire teneamur viscera caritatis, illis tamen quodammodo specialius et habundantius debemus liberalitatis gratiam exprimere qui cum sint pauperes spiritu, sponte subeunt onera paupertatis, ut possint pauperibus copiosius subvenire. Hoc vero quamvis multi laudabiliter exequantur, illi tamen student laudabilius adimplere qui hospitalitati vacantes non solum infirmos vagosque recipiunt, sed et trahunt. Cupientes igitur Christi fidelium mentes et desideria excitare ad opera caritatis, ut ambulantes de virtutibus in virtutes retributionem iustorum recipere, et in sancta Syon habitatione Deum deorum conspicere feliciter mereantur, attendentesque hospitale beate Marie virginis de Portunaonis, ac infirmos eiusdem hospitalis concordiensis diocesis spiritualibus et temporalibus suffragiis multipliciter indigere, ut eo devocius et frequentius ad dictum hospitale christianorum cetus accedat, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad ipsum hospitale et eius capellam, in omnibus et singulis festivitatibus eiusdem virginis gloriose, nec non in festivitatibus nativitatis Domini nostri Jesu Christi, circumcisionis, epyphanie, parasceve, resurrectionis, ascensionis Domini et pentecostes, beatorum Petri et Pauli ac omnium aliorum apostolorum ac evangelistarum, inventionis et exaltationis sancte crucis, Michaelis archangeli, Johannis Baptiste, Nicolai . . ., Marie Magdalene, Katherine, Margarethe, in commemoratione omnium sanctorum, in dedicatione dicte capelle et per octavas predictarum festivitatum, occasione processionis, peregrinationis vel orationis accesserint, vel qui in extremo laborantes, dicto hospitali, capelle, seu confratribus ipsius hospitalis quicquam suarum legaverint substantiarum, aut exequiis dictorum confratrum, definitorum, et predicationibus publicis ibidem devote interfuerint, nec non ad fabricam, luminaria, vestimenta et alia dictis hospitali, capelle et confratribus necessaria manus porrexerint adiutrices, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum, eius auctoritate adstringentium nostram singularem, dierum quadragenas de iniunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, dummodo diocesani voluntas ad id accesserit et consensus. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Datum Avenione, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, mense augusti, pontificatus sanctissimi domini divina providentia...

Membrana cum tredecim sigillis cerae rubrae appensis, ex tabulario nosocomii Portusnaonis.

## XXXIX.

(1321, 12 decembris, Glemonae.)

Nicolaus de Ragonea, qua haeres, petit a communitate Portusnaonis refectionem damnorum alias illatorum Wolrico de Ragonea *qui habebat multos livellos in Portunaonis et territorio*, maxime quod eadem communitas fecerit *quendam fossatum circa terram apud viam que procedit versus Sacilum, in quo fossato devastaverunt quandam terram pro qua solvebant Wolrico dicto duodecim denarios aquilegenses, iure livelli annuatim*, cui satisfacere hucusque renuerunt.

Ex tabulario utinensi protulit docum. Joseph Bianchi in *Documenti per la storia del Friuli dal 1317 al 1325*. Udine, 1844, p. 501—502.

## XL.

(1325, 1 augusti, Portusnaonis.)

**Instrumentum de construendo businello in via qua itur ad fontem post ecclesiam s. Marci Portusnaonis, eo pacto quod Odoricus Barberius murator et eius haeredes et quicumque alii futuri possideant domum quam inhabitat dictus Odoricus, sint liberi ab omni factione occasione vaytarum diurnar. et nocturnar.**

In Christi nomine amen. Anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quinto, indictione octava, die primo augusti, in Portunaonis, sub domo communis, presentibus Marquardo notario, Cono Tusco, Petro quondam Lapi, Philippo quondam Uberti de Tavatio quondam Marchetti, Gerardo notario, omnibus de Portunaonis testibus et aliis. Congregato consilio dicti Portus more solito ad infrascripta specialiter pertractanda. Ibidem Odoricus murator dictus Darliottus de Portunaonis promisit per se suosque heredes et se obbligavit Odorico barberio et Marcho dicto Popayti, massariis communis dicti Portus, stipulantibus vice dicti communis, de voluntate domini Brixaglie, domini Bruneti potestatis et consilii dicte terre, ibidem presentis ad faciendum et construendum unum bussinellum [1]) secundum quod

[1]) *Businello* apud Venetos idem est ac *incile*.

oportet et ut bene stet et perpetuo omni tempore tenere suis expensis in aptatu sive in conço, in via qua itur a platea ad fontem de post ecclesiam sancti Marci prope domum domini Odorici, pro quibus sic observandis obbligavit eis recipientibus vice dicti communis domum suam quam inhabitat, ab uno latere possidet Petrus Rambaldus de Zimpello, ab alio et ante sunt vie publice, eandem domum huic conditioni ipso subiciens et supponens. Et hoc ideo quia supradicti Odoricus et Marcus massarii et vice et nomine dicti communis, de voluntate dicti consilii alienaverunt, exemerunt, et liberum esse voluerunt ipsum Odoricum muratorem, et suos, et heredes, et quemlibet possidentem dictam domum ab omni honere et facione custodiarum sive vaytarum diurnarum et nocturnarum, et plomorum dicti Portus, exceptis hiis que fiunt occasione decem. Hoc ius tradentes perpetuo cuilibet dictam domum habitanti, pro quibus omnibus observandis obbligaverunt ei bona dicti communis, et de hoc voluerunt huius tenoris duo fieri instrumenta, cuilibet parti suum.

Et ego Campolinus quondam Franchi draperii de Utino habitans in Portunaonis, publicus imperiali auctoritate notarius hoc instrumentum ex abreviationibus seu notis olim magistri Dominici notarii de Portunaonis, ex commissione mihi facta per dominium terre Portusnaonis, de verbo ad verbum exemplavi prout inveni, et fideliter in publicam formam redegi nil addens vel minuens quod sensum mutet vel variet intellectum.

Exemplum antiquum membranaceum habet P. M.

## XLI.

(1326, 25 iunii, Turici.)

Fridericus rex Romanorum a Portusnaonensibus rogatus ut *absolutionem pignoris civitatis et dominii Portusnaonis*, quod pro mutuata pecunia Brizaya de Porcileis hucusque tenuerat, revocaret, respondet se velle *quod predictum pignus per Chunradum de Aufenstain redimatur*, eique mandasse *ut ab incursibus hostilibus ac violenciis quibuscumque potenter defendat*, eosque *in iuribus suis manuteneat ac conservet*.

Jos. Bianchi documentum ex tabul. P. Montereale et J. Pirona intulit in *Documenti per la storia del Friuli*. Udine, 1845, p. 14—15.

## XLII.

(1328, 23 maii, Portusnaonis.)

**Massarii et procuratores communis Portusnaonis concedunt Odorico Darliotto muratori et Nicolao Stichir fornacem communis ad quinque annos proxime ac solidos quadraginta, cum quibus laborent, et lapides, cuppos, calzem determinato pretio vendant hominibus communis.**

Millesimo tricentesimo vigesimo octavo, indictione XI, die octavo exeunte majo, in Portunaonis, sub domo communis, presentibus Galvano dicto Queco, Bartholomeo notario, Francisco eius fratre, Mandato fabro, Marco dicto Popaite de Portunaonis testibus et aliis. Philippus Guliani et Marcus Grumei massarii et procuratores communis Portusnaonis, procuratorio nomine dicti communis, de voluntate consilii eiusdem, dederunt et concesserunt Odorico dicto Darliotto muratori et Nicolao dicto Stichir fornacem communis predicti hinc ad quinque annos proxime, et soldos quadraginta denariorum grossorum cum quibus laborent ad ipsam fornacem usque ad terminum predictum tenendos et exercendos pro ut confessi fuerunt se habuisse et recepisse, et hoc ideo quia promiserunt et se obbligaverunt eisdem massariis stipulantibus pro dicto communi studiose et solicite laborare, et exercere dictam fornacem continue, solitis debitis temporibus, faciendo lapidem, cupum et calzem, et dare hominibus de dicta terra Portusnaonis et cuicumque laboranti in ea milliare cuppi pro libris tribus et dimidia denariorum parvulorum, milliare lapidis pro soldis triginta quinque parvorum, et star calcis pro soldis duobus parvorum, servando dictum laborerium per quindecim dies postquam exhaustum fuerit de fornace ad postam communis et hominum laborantium in dicta terra, quibus elapsis valeant vendere cuicumque forensi quantum voluerint, semper tamen quod teneantur vicinos et quoscumque laborantes in dicta terra preferre forensibus in dicto laborerio pro pretio supradicto, et tenere dictam fornacem et tegetes in aptatione sive contio, omnibus suis laboribus et expensis, excepto lignamine ministerii eis exhibendo ab ipso communi. In fine vero termini ipsam fornacem in eque bono statu, uti nunc est, vel melioratam resignare et pro rata restituere dicto communi dictos soldos quadraginta grossorum.

Que omnia et singula promiserunt rata habere et non contravenire sub pena soldorum decem denariorum grossorum cum refectione damni, et obbligaverunt omnia sua bona. Fideiussor pro dicto Stichir extitit Joannes quondam Dominiosi de Flagonea, quantum de suprascriptis viginti grossis dicte fornacis, et pro Darliotto fideiussor Carosius Tuscus quantum de soldis quinque grossis . . ., Jacobus Megliassa de quinque soldis grossis, Andreas quondam Tanagari de soldis quinque grossis, Bertholus tabernarius de soldis quinque grossis, similiter omnes habitantes in dicto Portunaonis, et sic obbligaverunt dictis massariis stipulantibus pro communi omnia eorum bona presentia et futura.

Ego Franciscus Ghiranus publicus imperiali et apostolica auctoritate notarius Portusnaonis suprascriptum locationis instrumentum ex notis Dominici notarii fideliter exemplavi et signo meo roboravi.

## XLIII.

(1331, 14 ianuarii, Utini.)

Narratio mortis fratris Odorici de Portunaonis, in civitate Utini, ac praecipue miraculorum ad eius cadaver patratorum, nec non frequentiae visitantium ex *Foroiulio, Carnea, comitatu Goritiensi, Sclavonia* et *Teotonia.*

Actum coaevum ex mss. Justi Fontanini in biblioth. Sanctidanielis protulit Jos. Bianchi in *Documenti per la storia del Friuli.* Udine, 1845, p. 471—473.

## XLIV.

(1331, 5 maii, Monachii.)

Fridericus imperator avunculo proprio Ottoni duci Austriae, huius eiusque fratris Alberti absentis, avunculi item proprii, nomine, *de consensu principum* electorum confert *in feudum ducatus Austriae et Styriae* ec. ac dominium Portusnaonis, *aliaque que dicti duces ac progenitores ipsorum ab imperio tenuerunt* et *sceptro suo imperiali investit.*

Ex tabulario caesareo vindobonensi documentum ediderunt: *a)* Steyerer in *Additiones ad commentar. pro historia Alberti II*, col. 32; *b)* Schrötter in *Abhandlungen aus dem österr. Staatsr.* etc. II, 256; *c)* Lünig in *Contin. G. D*, II. 494; *d)* Dumont in *Corps diplom.* I. II, 26; *e)* Oefele in *Scriptores rerum Boicarum*, I, 758.

## XLV.

(1331, 31 maji.)

**Frater Gilbertus Tyberiadis episcopus concedit quadraginta dies indulgentiae iis qui poenitentes et confessi cuidam missae fraternitatis b. Mariae virginis in ecclesia s. Marci Portusnaonis intererint, vel eidem fraternitati iuverint.**

Frater Gilbertus, Dei et apostolica gratia tyberiadensis episcopus universis et singulis Christi fidelibus ad quos presentes pervenerint salutem in Domino. Quoniam ingenti peccatorum pondere premimur et frequenti erroris macula in mandatorum semitis deliramus, ad huius morbi medelam et horum consolidationem vulnerum concessa sunt antidota veniarum. Ceterum, quod non ambigitur, christifidelium devotionem augeri et eorum aratrum fervencius in semina caritatis extendi, cum stipendium sorciuntur optatum, arbor enim ex fructu delectat agricolam, ac longe magis sunt in dominice cultu vinee estum ferentes et pondus, multiplicatos fructus spe non cassa messuri, ut in profectione virtutum gradatim perveniant, eterne vite gloriam ingressuri. Ideirco nos nostris hec considerationibus appendentes, de omnipotentis misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli patrocinio confisi, omnibus et singulis christifidelibus qui misse singulari fraternitatis constitute ad honorem gloriose virginis Dei genitricis Marie, que in ecclesia s. Marci de Portunaonis, omni prima die sabbati mensis cuiuslibet celebrate intererit, ac etiam qui manum adiutricem ipsi fraternitati porrexerit, quatenus ad pias causas ordinata concrescat, vere penitentibus et confessis, cum die infrascripta altare beate virginis extiterit dedicatum, quadraginta dies de iniuncta eis penitentia misericorditer in Domino relaxamus. In cuius rei testimonium presentes nostri sigilli appensione concessimus roboratas. Datum pridie kal. iunii, anno Domini millesimo CCC. XXXI°., indictione decimaquarta.

Docum. membran. cum sigillo cereo appenso, authent. servat municipium portusnaonense.

## XLVI.

(1331, 29 maji, Utini.)

Paganus patriarcha aquileiensis mandat Meliorantie, canonico utinensi, Manfeo Cossine et Guecello notario de Utino *quatenus euntes per terras et loca* sibi *subiecta, miracula* beati Odorici *a quibuscumque diligenter et sagaciter* inquirant *ac fideliter* reddant *in scriptis.*

Documentum ex Asquino in *Vita del b. Odorico*, edidit Jos. Bianchi in *Documenti per la storia del Friuli*, p. 528—529.

## XLVII.

(1333, 24 februarii, Vindobonae.)

**Otto dux Austriae confert titulo feudali Jacobo de Ragonea mansum in villa Pitscula, mandans capitaneo Portusnaonis ne eidem propterea molestia inferatur.**

Nos Otto Dei gratia dux Austrie et Styrie, dominus Carniole, Marchie et Portusnaonis ad universorum notitiam ad quos presentes pervenerint volumus devenire, quod adtendentes pro effectu laudande fidelitatis constantiam qua dilectus nobis Jacobus de Ragonea nobis fideliter adheret, sibi ut in antea in nostris servitiis fidelius accendatur, mansum unum in villa Pitscula situatum quem colonus dictus Pinigel colere noscitur in presenti, cum hoc quoque in districtu de Ragonea in campis et terris de Aunedis quatuor marcharum redditus aquilegensis monete instituendos titulo pheudali duximus perpetuo concedendum per ipsum suosque heredes tenendos et perpetuo possidendos, recipientes tamen ab eisdem prius fidelitatis solite iuramenta. Nichilominus capitaneo nostro de Portunaonis qui pro tempore fuerit firmiter iniungentes, ne sibi aut suis heredibus in bonis predictis quidquam molestie inferat, aut quempiam inferre permittat, sed potius ipsos nostro nomine tueatur ab omni gravamine pariter et defendat, in cuius rei testimonium presentes conscribi et sigilli nostri munimine iussimus roborari.

Datum Vienne, die beati Matthie apostoli, anno incarnationis Domini millesimo tricentesimo trigesimo tertio.

## XLVIII.

(1333, 7 aprilis.)

**Ludovicus de Caporiaco arbiter vocatus liti componendae ex finium violatione Vivarii et Curiae Naonis, inter Sbrisaliam de Porcilleis capitaneum Portusnaonis et Bregoniam ac Bartholomaeum fratres de Spegnembergo, definit homines de Vivario possint fines Curiae Naonis, ad pabulandum et lignandum tantum excedere, dummodo annuatim perpetuo capitaneo Portusnaonis solvant duos sextarios frumenti et decem pullos gallinarum.**

Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tercio, indictione prima, die septimo intrante aprilis, domino Supertino plebano Arbe, presbitero Andrea sacerdote in Vivario, Johanne de Flagonea, Ubicino de Malamuscha, Girarducio notario quondam Giri olim de Glemona, Nicolao dicto Rusulino, Leone notario de Portunaonis, Vanisino quondam Jacobi de Ruasio, Johanne quondam Rodulphi, et Michaele quondam Clautani de Cortenaonis, Abertucio Vignuto de Tuscia, Stephano filio quondam Francisci de Corneto et Nicolao filio Mathiussii de Speglembergo, testibus ad hec rogatis et vocatis, et aliis. Dominus Ludovicus de Cavoriaco filius quondam nobilis viri domini Dictalmi de Villalta, arbiter, arbitrator et amicabilis amicus et compositor a partibus electus litis et questionis vertentium inter nobiles viros dominos Sbrisaliam de Porcilleis capitaneum Portusnaonis, et Bregoniam et Bertholameum fratres de Speglembergo, occasione communee site inter Vivarium et Cortenaonem, visis, auditis, examinatis rationibus, allegationibus et demonstracionibus utriusque partis, ut ei plene dicere et ostendere voluerunt, habito consilio sapientum super predictis, et a se facta deliberatione, Dei nomine invocato, dixit, diffinivit, promulgavit, arbitratus fuit et propriam sententiam dedit, quod homines habitatores in Cortenaonis transire non debent ultra signa facta cum foacis [1]) et tumulis, sive grumis lapidum, que signa inferius incipiunt a lecto aque Midune recte robur quod est in platea de villa Domanisi, et durant usque in capite branchi Vivarii, et ascendunt et durant usque ad stratam Sancti Avocati, ad segandum herbam, fenum aut stramen, nec modo aliquo boschandum, nec illi de Vivario versus Cortenaonis ire nec transire debent ultra dicta signa, transire ad segandum herbam, fenum nec stra-

[1]) Aevo medio terrae cumuli a forma placentarum *foacae* dicebantur.

men, sed ad pascolandum et boschandum usque in muris, secundum quod prius consueti erant ire, solvendo tamen annuatim duos sextarios frumenti et decem pullos gallinarum domino Sbrisalie capitaneo Portusnaonis, ut alii cuicumque capitaneo dicti Portusnaonis esset, et quicunque homo dictarum partium contrafaceret ut super dictum et scriptum totiens quotiens contrafaceret, solvere teneatur parti observanti viginti solidos parvulorum, et hanc sententiam dictus arbiter ambabus partibus conservare et observare precepit, in pena et sub pena centum marcharum denariorum aquilegensis monete. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis, pro parte vero domini Sbrisalie et hominum Cortenaonis Marusius de Çopola, filius quondam domini Odorici, dicti capitanei fideiiussorem se constituit in parte et toto: pro parte dominorum Bregonie et Bertholamei fratrum de Speglembergo, nomine et vice hominum de Vivario, Odoricus filius olim domini Odorici, dicti capitanei fideiiussorem se constituit in parte et toto: renunciantes dicti domini Sbrisalia pro se et nomine dictorum hominum de Cortenaonis, et dicti domini Bregonia et Bertholameus pro se ipsis, et nomine et vice hominum Vivarii, et dicti fideiiussores utriusque partis et omni legum et iurium auxilio ec. Actum in communitate antedicta.

Et ego Daniel filius quondam magistri Francisci de Speglembergo, publicus apostolica auctoritate notarius, ex commissione mihi facta per magnificum dominum Johannem Contarenum, pro serenissimo ducali dominio Venetorum patrie Foriiulii locumtenentem, prout inveni in notis et abbreviaturis olim ser Thomaxii, quondam Bellamici notarii de Speglembergo, nil addens nec diminuens quod sententiam mutet aut variet intellectum, predicta rogatus scripsi et publicavi manu propria.

Archetypum membranaceum lege in codicibus fontaninianis bibliothecae ad d. Marci Venetiarum (L. XIV, 101, num. 23.)

## XLIX.

(1333, 31 maii, Turris.)

**Jurati in consilio ville Turris sententiam dicunt Joannem Piliuta d. Portunaonis, eiusque socios absolutos esse ab imputatione criminis maleficii, quam incurrerant occasione mortis Dominici Clautani de Turri.**

Anno Domini millesimo tricentesimo trigesimo tertio, indictione prima, die ultimo maii, in villa Turris, super plateam, presentibus Joanne

quondam domini Ottonis, Boscheto quondam ser Tengoli, Dominico Rubeo, Artico quondam Jacobi, Pantico calcifice, omnibus de Portunaonis; domino presbytero Zandolo, Jacobo quondam Zandini meriga dicte ville Turris; Jacobo quondam Guecellonis, Francisco quondam Zeni, Venerio Tramontino, Joanne dicto Moi, Jacobo Laviane, Ridivo quondam Jos. Rochegin, omnibus de dicta villa, testibus et aliis. Coram domino Ubicino de Malamuscha, olim capitaneo castri et ville Turris, et coram Dragono vicecapitaneo eiusdem castri et ville Turris, pro nobili viro domino Brizalia de Porcileis cum suis iuratis dicte ville, scilicet Jacobo quondam Petri Gucelli, et Jacobo quondam Dominici Cerdonis ad iudicium sedentibus, Joannes dictus Piliuta de Portunaonis presentialiter constitutus petiit pro se et sociis suis, maleficii infrascripti se et eos per sententiam absolvi ab omni querela, condemnatione et pena quam incurrissent vel incurrere possent, occasione mortis olim Dominici Clautani de dicta villa, que dicebatur perpetrata per ipsum Joannem et eius socios in ipsa villa Et hoc quia Daniel frater olim ipsius Dominici Clautani sibi pacem fecerat de iniuria supradicta, et cum dominio seu capitaneo supradictis concordes erant de predictis, ut in dominio, ad quod spectat iudicium de predictis, morari, ire et redire possent securi, qui iurati habito consilio et habita ibidem confessione et assertione ipsius Danielis et capitanei antedictorum de pace et concordia antedicta, sententiaverunt quod supradictus Joannes dictus Piliuta et eius socii dicti criminis debeant esse absoluti super dominium antedictum ab omni imputatione, pena et condemnatione, occasione maleficii antedicti.

Ego Joannes Baptista Rosacius, imperialis notarius Portusnaonis, suprascriptum exemplum inventum inter multa fragmenta diversarum scripturarum antiquarum penes me existentium requisitus eduxi, et solita attestatione apposita subscripsi in fidem.

Documentum habet P. M.

## L.

(1335, 13 iunii, Vindobonae.)

**Otto, dux Austriae grates agit Portusnaonensibus de legatione ad eum missa eosque de proprils in Bohemia et Hungaria negotiis instruit.**

Otto Dei gratia dux Austrie, Styrie ac Karinthie, dominus Carniole, Marchie ac Portusnaonis, sapientibus ac discretis viris Johanni de Flagonea potestati, consilio et communi terre Portusnaonis, sincere

sibi fidelibus gratiam suam et omne bonum. Quod nostri status qualitatem prout ex vestris litteris et relata virorum discretorum Vuarnerii canonici utinensis et Johannis burgensis, ambassiatorum vestrorum, tam sincere et avide scire desideratis, cognovimus vestre fidelitatis in eo constantiam elicientes, proinde vobis uberes graciarum referimus actiones, eo pretextu vos volentes in vestris iuribus ac graciis quas a nostris predecessoribus et a nobis etiam hucusque tenuistis gratiosius conservare ad vestre discrecionis industriam, presentibus deducentes quod nos ex dominiis et terris nostris exercitum in magna armatorum vi instaurantes adversus regem Bohemie hostilius procedendo et bellici conflictus intuitu in metis Bohemie moram contrahentes, ac ex parte serenissimi domini Ludovici Romanorum imperatoris suffragium continuo prestolantes ibidem eiusdem nostri exercitus contra dictum regem Bohemie ordinaveramus acies bellicosas, sed quia eiusdem domini imperatoris copiosum auxilium certis obstantibus causis nobis venire non poterat, decrevimus nos a campis recipere, nihilominus ad municiones et castra adversus regna Bohemie et Hungarie situata cum eadem armatorum nostrorum multitudine transferendo, ubique in metis ac metarum nostrarum circumferentiis dictis regibus Hungarie et Bohemie, continuis litium insultibus virilibus obviando, sic quod annuente altissimo, potentiaque uberiori nobis offerente speramus nostros successus prosperos morantes comitari. Datum Wienne feria tertia proxima ante diem corporis Christi.

A tergo: Sapientibus ac discretis viris Johanni de Flagonea potestati, consilio et communi terre Portusnaonis, sincere nobis fidelibus.

## LI.

## (1338.)

**Epitaphium Jacobi filii Mauricii, cancellarii Caroli marchionis de Moravia, anno 1338 demortui, in ecclesia vero s. Marci Portusnaonis sepulti:**

† AN̄O DN̄ MCCCXXXVIII OBIIT DN̄S IACHOBVS
MAVRICII CANCELARII TVNC TEMPORE DŌNI
KAROLI MARCHIONIS MORAVIE ET NVNC REX
ROMANOR.

Epitaphium amotum una cum scuto duobus alis insigni: istud extat modo Pasiani in Foroiulii apud architecturae magistrum Tocchese; illud apud Petrum Montereale Mantica, Villanovae pariter in Foroiulii.

## LII.

(1338, 22 iunii, Vindobonae.)

Albertus et Otto Austriae duces ec. domini Portusnaonis ec., supplicantibus Portusnaonensibus, statutum propter homicidium ita innovant ut *qui aliquem occiderit, capite puniatur nisi concordaverit cum amicis occisi,* quo casu solvat *libras centum* ducibus, *vigintiquinque communi;* qui vero *vitam vitando et se defendendo,* solvat libras centum ducibus, *totidem amicis,* communi vigintiquinque.

Habent *a) Statuta Portusnaonis* ann. 1609, p. 150; ann. 1670, p. 107; ann. 1755, p. 112. *b) Stampa della fidelissa. comunità di Pordenone* sine loco et anno (1798). p. 19—20.

## LIII.

(1338, 7 augusti, Villachi.)

**Albertus dux Austriae Benvenuto teuthonico dat libere p r e s a m t e r r e in territorio superiori Portusnaonis eo ut ipso defuncto ad se revertatur.**

Nos Albertus Dei gratia dux Austrie, Styrie et Charinthie, dominus Charniole, Marchie ac Portusnaonis, comes in Habspurch et Chiburch, necnon lantgrafius Alsacie, comesque Phirretarum presentibus publice profitemur quod nos de gratia speciali, discreto viro domino Benvenuto teuthonico de Portunaonis quandam presam terre pradis et melice in territorio superiori Portusnaonis iacentem, cuius confines ab uno latere possident heredes olim Delavancii, ab alio versus orientem est via publica, concedimus ad personam ipsius Benvenuti dumtaxat, eam habendam, tenendam et libere possidendam, cum introitu et exitu usque in vias publicas, et generaliter cum omni iure et actione dicte prese terre, aliquo modo pertinente, sine tamen preiudicio iuris cuiuslibet alieni; ita videlicet quod post decessum prefati Benvenuti eadem presa ad nos libere revertatur: mandantes igitur ex nunc capitaneo nostro in Portunaonis ut eundem Benvenutum in possessione eiusdem prese nomine nostro protegat fideliter ac defendat. In cuius rei testimonium presentes sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in oppido Villach, feria sexta ante festum beati Laurentii, anno Domini millesimo tercentesimo tricesimo octavo.

Documentum habet P. M.

## LIV.

(1338, 20 novembris, Portusnaonis.)

**Sbrisaglia de Porcilleis capitaneus Portusnaonis, sex suorum vassallorum sententia innixus, jubet Servento suo preconi Ragonee ut det Nicolao filio et procuratori Henrici Favotto, ex bonis Nicolai Pizoli quantum sufficit exsolvendis fictibus acceptis super manso de Pozimil.**

1338, indictione VI, die XI exeuntis novembris, in presentia Bartholomei notarii, Hernesti dicti Favotto, Joannis quondam domini Odorici, testium et aliorum, coram nobili viro Sbrizaglia de Porcilleis capitaneo Portusnaonis, faciente rationem cum suis vassallis, petebat Nicolaus filius domini Henrici de Sancto Daniele ut procurator ipsius d. Henrici acciperet de bonis d. Nicolai Pizoli de Ragonea, ex vigore unius sententie date coram dicto domino Sbrizaglia in Ragonea, scripte per Franciscum quondam Ulterini de Isacatis de Mantua. Qui D. Sbrizaglia petivit suos vassallos quid vellet ordo iuris, sententiatum fuit per sex vassallos quod dictus dominus Sbrizaglia dare debebat nuntium eidem Nicolao procuratori dicti d. Henrici, ad accipiendum de bonis dicti d. Nicolai Pizoli de Ragonea. Qui d. Sbrizaglia illic iussit Servento suo preconi de villa Ragonee ut daret eidem Nicolao de bonis ipsius d. Nicolai Pizoli ubicumque reperiretur hinc ad satisfactionem fictuum acceptorum super manso de Pozimil. Actum in Portunaonis, sub domo communis.

Ego Ascanius Amalteus, notarius imperialis et cancellarius exaravi et roboravi meo signo.

Exemplum chartae penes P. M. inscriptum: *Ex vetustissimo protocollorum diversorum contractuum, existente in scripturis magnifice communitatis Portusnaonis, quod, ut videtur, est de rogatis, et notis Gerardi notarii Portusnaonis.*

## LV.

(1340, 22 iunii, Sancti Viti.)

**Bertrandus patriarcha aquileiensis dat facultatem hominibus de Cusano pasculandi, secandi stramina et fenum, ducendi armentum ad bibendum, ac buscandi in Savigliano aliisque locis nominatis.**

Sancte sedis aquileiensis Dei gratia nos patriarcha Bertrandus notum facimus universis presentibus pariter et futuris, quod cum homines de Cusano ab antiquo observarint et debeant pasculare tam in

Savigliano quam in caudis usque ad aquam Methune, et secare stramina et fenum in locis eisdem, ut etiam pasculare in pratis usque ad festum s. Georgii, sitis usque ad predictam aquam Methune, ac etiam ire semel in die cum eorum armento ad bibendum ad aquam Methune per pratum Spinaceti privatum, quodque buscare possint in caudis predictis et pasculare in arenis dicte aque, non faciendo viminas nec piscando ubicumque est communea, a prato quod dicitur *pratum episcopi* usque ad Fossam malam et nemus Henrici de Flumine, absque datio aliquo vel exactione alicui persolvenda, nec non quod buscare possint super territorio nostro a Marzinis usque ad Fossam malariam, preterquam in silvis et nemoribus bannitis, incidere ligna absque muta vel contradictione alicuius persone, sicut probare videntur attestationes plurium testium.

Nos eosdem in ipsorum iure et consuetudinibus conservare volentes, predicta omnia faciendi sicut ab antiquo facere consueverunt eisdem tenore presentium plenam concedimus facultatem. In cuius rei testimonium patens fieri iussimus nostri sigilli appensione muniri.

Datum in castro nostro Sancti Viti, die 22 mensis iunii, anno dominice nativitatis millesimo tricentesimo quadragesimo, indictione octava.

Ego Annibal baccalaureus publicus imperiali auctoritate notarius matriculatus suprascriptum actum cum iuribus subiunctis in eo productis extraxi fideliter ex quodam processu agitato inter nobilem d. Joannem Baptistam de Zoppola ex una et nobiles d. consortes Cusani communis dicti loci ac communis Puinzichi, manu mea, et in fidem me subscripsi cum solito signo.

## LVI.

(1345, 11 aprilis, Tyrolis.)

Leopoldus dux Austriae ec. dominus Portusnaonis ec. *ad fidelitatis constantiam et servitutis promptitudinem* qua Portusnaonenses *erga suos progenitores se gesserunt, oculos convertens*, eorumque sibi *obbedientiam et servitia voluntaria considerans, confirmat et innovat de certa scientia* eorum *iura, libertates, gracias, consuetudines laudabiles, litteras et privilegia, quae et quas* a suis *progenitoribus obtinent ab antiquo.*

Documentum editum in *Statuta Portusnaonis*, Venetiis, 1758, p. 114—115.

## LVII.

(1346, 8 iunii, Portusnaonis.)

**Marcus Dominicus de Popaitis testamento disponit eius corpus sepelliatur in ecclesia s. Marci Portusnaonis, cui legat mansum in Aviano situm, ac haeredes ex asse instituit Nicolaum, Joannem, Franciscum, Andream et Jacobum filios Jacobi filii Galesi, quem Jacobum tutorem constituit, ita tamen ut annuatim uxori Plasanae rationem reddat.**

Anno millesimo CCCXLVI, indictione VII, die VIII iunii, in presentia discretorum dominorum Viviani quondam domini Bonacursi de Prata, Ubicini de Malamuscha de Milano, Jacobi quondam domini Pellegrini Zivioli, Nicolai quondam domini Suequi, Francisci notarii quondam Jacobi Peligne, Tengulini quondam Petri de Napo, Francisci dicti Rubei quondam domini Varnerii de Artenea, testium habitantium in Portunaonis, ad hoc vocatis et rogatis (sic) et aliorum.

In Christi nomine amen. Marcus Dominicus Popaitis de Portunaonis, sanus mente licet aliquantulum corpore languens, nolens intestatus decedere, per hunc modum suum condidit testamentum: imprimis voluit et ordinavit suum sepelliri corpus apud ecclesiam s. Marci, cui ecclesie s. Marci legavit unum suum mansum jacentem in villa Aviani, et item voluit, instituit et ordinavit Jacobum filium Galesi eius nepotem factorem, tutorem, gubernatorem suorum heredum ser Nicolai, Johannis, Francisci, Andree et Jacobi et suorum filiorum in Opitergio et districtu, et in Coneglano et districtu, et generaliter in tota Trivizana, et etiam in comitatu Camini, reddens omni anno rationem domine Plasane uxori sue, et hoc voluit esse suum ultimum testamentum et suam ultimam voluntatem, quod si valere non posset iure testamenti, valeat jure codicillorum, vel alterius rationis quo melius valere et tenere posset. Actum in Portunaonis, in domo dicti testatoris.

Ego Gerardus Ziriolus de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius rogatus hanc particulam testamenti olim Marci Popaitis scribere scripsi.

Membranam habet P. M.

## LVIII.

(1348, 5 iunii, Seefeld.)

Carolus rex Romanorum significat suis *et sacri imperii* fidelibus quod *intuens pure fidei et preclare devotionis insignia ac obsequia*

*fructuosa* sibi praestita ab avunculo suo Alberto duce Austriae, ipsi ac natis eius Rudolpho et Friderico ducibus, *nomine et vice sacri* romani imperii, confert ducatus Austriae, Styriae ec. ac dominia Carniolae, Marchiae et Portusnaonis, ac feuda cum pertinentiis, quae omnia *sui progenitores ab imperio hactenus tenuerunt*, additis feudis quae idem Albertus ac vita functus Otto eius frater a Ludovico Bavario tenuerunt.

Ex penitiori tabulario caesareo Vindobonensi documentum latinum ediderunt *a)* Steyerer in *Additiones ad comment. pro historia Alberti II.* col. 148; *b)* Schrötter in Abhandlungen II, 258; *c)* Lünig in *C. G. D.* II, 498.; *d)* Dumont in *Corps diplom.* I. II, 247.

## LIX.

(1350, 28 aprilis, Portusnaonis.)

**Vualdussius filius Zanetti de Portunaonis timens accidentia fortuita in itinere ad limina apostol. Petri et Pauli, patre consentiente, testatur quod, si citra Plavum moreiretur, sepelliatur in ecclesia s. Marci Portusnaonis, cui legat libras quinquaginta pro emendo pluviali. Item legat eius ecclesiae sacerdotibus solidos quadraginta, unicuique cappellae subiacenti duas libras olei, sanctae Mariae de Battutis solidos quinque, ecclesiis sanctorum Georgii, Antonii et Joannis solidos quinque pro unaquaque.**

Anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo, indictione tertia, die vigesima octava aprilis in Portunaonis, in domo habitata per me notarium infrascriptum, presentibus discretis viris magistro domino a Scolis, ser Johanne quondam domini Odorici, Paulo Francisco dicto Negre, filio Nicolai quondam ser Quechi, Jacobino notario, Tengolino quondam Petri Nappi, Jacobo dicto Biliot quondam Petri Marioni et me notario infrascripto, testibus et aliis ad hec vocatis et rogatis. Vualdussius filius Çanetti de Portunaonis per Dei gratiam sanus mente, corpore atque sensu, inspiratione divina affectans visitare limina beatorum apostolorum Petri et Pauli de urbe in remissionem suorum omnium peccatorum, timens accidentia fortuita que emergunt de facili, et nolens ab intestato decedere, de voluntate dicti patris sui ibi presentis et consentientis, tanquam filius familias suum tale condidit testamentum. Imprimis quidem voluit et disposuit quod si in eundo vel redeundo Romam, citra Plavum moreretur, corpus suum duci et sepelliri in ecclesia sancti Marci de Portu-

naonis, cui pro anima sua legavit libras quinquaginta parvulorum emendo unum pluviale ob reverentiam corporis dominici quando fertur, et unum calicem ad summam predictam. Item legavit sacerdotibus dicte ecclesie solidos XL parvulorum. Item legavit ecclesie sancte Marie de Battutis solidos quinque grossorum. Item legavit ecclesiis sanctorum Georgii, Antonii et Johannis solidos XX parvulorum pro qualibet: et unicuique cappelle subiacenti plebi sancti Marci libras II olei pro qualibet. In omnibus autem aliis suis bonis heredes sibi instituit Ticianum et Jacobum filios suos, et si dicti heredes sui morerentur ab intestato, dicta hereditas perveniat dicto Çanetto patri suo. Et hanc suam ultimam voluntatem et ultimum testamentum asseruit esse velle, quam valere voluit iure testamenti; quod si iure testamenti non valet, saltem iure valeat codicillorum vel cuiusque alterius ultime voluntatis, qua melius valere potest et tenere.

Ego Marchucius quondam Johannis Marioni de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius hiis omnibus interfui et rogatus hec scripsi.

Membranam auth. habet P. M.

## LX.

(1351, 4 maii, Portusnaonis.)

**Articus quondam ser Jacobi, Çanettus Udene et Nicolaus quondam ser Willelmi, iurati in iudicio Portusnaonis sedentes, sententiam dicunt: Jacobum quond. Vecellonis de Portunaonis sontem esse mortis Petri Joannis filii Valentini de Porcilleis; Petrum vero Jacobi fratrem, Andream quond. Avundini de Porcilleis, Franciscum quond. Pinessii de Pulcinico ut inculpabiles esse dimittendos.**

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta, die quarto intrante mayo, in Portunaonis, sub domo communis, presentibus magistro Dominico notario, Johanne notario filio Francisci, Francisco dicto Miritio, Johanne Gucii, Ottobono quondam Odorici bar., Jacomello quondam magistri Viviani et Nicolao quondam Michaelis de Portunaonis testibus et aliis: coram domino Boschetto, potestate Portusnaonis, in iudicio sedente cum suis juratis Artico quondam ser Jacobi, Çanetto Udene et Nicolao qnondam ser Guiglelmi. Cum prefatus dominus potestas urgeret et peteret dictos suos iuratos

si Jacobus et Petrus fratres, filii ser magistri Vuecelonis fabri, habi tantes in dicto Portunaonis, Andreas quondam domini presbiteri Avundini de Porcilleis et Franciscus quondam Pirussii de Pulcinico, deberen vocari in ius responsuri super morte olim Petri Johannis filii Valentini de Porcilleis, de qua morte dicebantur dicti Jacobus, Petrus, Andreas et Franciscus esse culpabiles dicte mortis dicti Petri Johannis, audita, visa, intellecta et examinata inquisitione facta per dictum dominum potestatem, secundum juratorum ordinem dicte terre, et petente dicto domino potestate dictos iuratos suos quid super hoc juris deberet esse, dicti iurati habito consilio plurium proborum virorum et facta diligenti examinatione super dicta inquisitione dicte mortis dicti Petri Johannis, sententiaverunt et pronunciaverunt quod secundum formam inquisitionis facte super dicta morte, prefatus Jacobus quondam dicti magistri Vuecelonis de morte dicti Petri Johannis erat culpabilis et sons dicte mortis, et prefati Petrus quondam dicti magistri Vuecelonis et Andreas et Franciscus quondam dicti Pirussii erant inculpabiles et insontes de morte prefati Petri Johannis, secundum inquisitionem factam super dicta morte, et quod dictus Jacobus quondam dicti magistri Vuecelonis deberet vocari ad ius responsurus super dicta morte, et non alii, scilicet dicti Petrus, Andreas et Franciscus, et quod dicti Petrus, Andreas et Franciscus liberi debebant esse et absoluti et inculpabiles occasione dicte mortis dicti Petri Johannis, secundum inquisitionem factam super dicta morte, et sicut repertum est.

Ego Nicolaus quondam Jacobi Meglyaze de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius hiis interfui et rogatus scripsi.

Ex tabulario municipali Portusnaonis.

## LXI.

(1351, 12 maii, Vindobonae.)

Albertus dux Austriae ec. ac dominus Portusnaonis, dat facultatem Riccherio de Portunaonis, quondam Stephani ac haeredibus, *manutenendi et possidendi feuda in Portunaonis* eorumque *venditiones, infeudationes, obbligationes seu translationes* in Riccherium et heredes faciendas approbat, *sine preiudicio iuris alieni et salvis iuribus* sibi *pertinentibus.*

Documentum protulit Coridamus Silinus in *Raccolta dei privilegj Ricchieri*, p. 22.

## LXII.

(1351, 11 novembris, Portusnaonis.)

**De restitutione Portusnaonis duci Austriae facienda per Beachinum de Porcilleis, quae non obtigit, quod ad id legati mandato carerent.**

Anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta, die Veneris, undecima novembris, in ecclesia s. Marci de Portunaonis, presentibus magnifico d. Richardo de Camino, comite cenetense, Guiglelmino q. d. Alberti, Vuecellotto q. d. Mainardi, Vuecelone q. d. Gabrielis de Prata, d. Simone de Castilicio, Francisco eius filio, Andrea de Pulcinico filiò d. Fantussii, Berna filio q. d. Girardi de Pulcinico, d. Nicolussio de Laurenzaia q. d. Anastasii, Bregogna filio d. Francisci de Sbroiavacca, Odorico de Miduno q. Francisci, d. Petro de Arpo iudice de Tarvisio, d. Francisco potestate Portusnaonis, Girardo q. Piligrini, Vicardo q. Philipi testibus et aliis ad id vocatis et rogatis. Nobilis vir d. Biaquinus de Porcilleis, auditis et intellectis expositis per dominos Hermanum Stapergar, Suisidum, Slucinar milites, Meinardum de Carinthia, Fa. clericum camerarium d. ducis Austrie, Petrum notarium domine ducisse, Egidium Tuscum habitantem in Judenburg, asserentes se pro parte d. ducis Austrie significare ipsi d. Biaquino, quod parati erant dare et consignare ipsi mille trecentas sexaginta sex marcas argenti, et quingentas pro pignoratione castri Portusnaonis, et pro servitiis exhibitis d. duci Austrie per d. Federicum dictum Sbrizaglya de Porcilleis patrem ipsius domini Biaquini, et per ipsum d. Biaquinum, quod deberet terram Portusnaonis dare et tradere d. Henrico de Valse, cum paratos se offerant solvere et dare mille trecentas sexaginta sex marcas argenti et quingentas, prout asserebant debere ipsum d. ducem, et non ultra, et quod dicebant et asserebant quod ipsam terram eis consignare deberet, asserentibus se nomine et vice d. ducis de Austria requirere ipsam terram, quod tamen mandatum ipsos habere idem d. Biaquinus requisivit, et cum non ostenderent habere ipsum mandatum, eos habere negat, et protestationi sue quam dixerunt et asseruerunt, ipse d. Biaquinus respondit hac forma et modo, videlicet quod ipsos recipiebat tanquam fratres et amicos, et quod eis faceret singularia servitia, verumtamen ipsi non ostendebant aliquem titulum ex parte ipsius d. ducis, unde dixit et asseruit, et protestatus fuit ipse d. Biaquinus, quod paratus erat pecuniam recipere particulariter et in toto, in iis que deberet percipere et habere, et de

receptis facere finem debitum, et omne id ad quod tenetur et debet de iure, et recepta pecunia quam debet habere a d. duce Austrie, occasione scilicet habite pecunie tam a d. Lodoyco eius patruo, quam a d. Federico eius patre, et aliis pecuniis expenditis tam in eius servitio et de eius mandato, quam in servitio comitum de Goritia, et aliorum de eius voluntate, mandato, consensu et ratihabitione, de quibus omnibus paratus est facere fidem loco, et tempore, et coram iudice competenti, et que sint in honorem ipsius d. ducis, et ad que tenetur et debet de iure, et obedire et parere ipso d. duci in iis ad que tenetur iuxta formam iuris, et quod placeat ipsi d. duci videre per se vel alium iura que ipse d. Biaquinus obtinet in Portunaonis, quibus visis et attentis, ipse d. Biaquinus paratus est facere ea que de iure tenetur, et propterea dixit, denuntiavit et protestatus fuit omni suo modo et forma, quibus melius potuit, asserens etiam ipse d. Biaquinus, quod nullam pecuniam offerebant, sed tantum verbotenus enarrabant. Salvis et reservatis sibi omnibus aliis suis iuribus sibi de iure competentibus, suo loco et tempore declarandis.

Ego Nicolaus quondam Jacobi Meglyaze de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius his interfui et rogatus scripsi.

Ego Pangratius Amalteus de Portunaonis, publicus imperiali auctoritate notarius [1]) suprascriptum instrumentum rogatus exscripsi ex alio consimili publicato et signato manu predicti d. Nicolai q. Jacobi Meglyaze, penes me existente, et presentem exemplationem rogatus autenticavi cum meis subscriptione et signo.

Ex archetypo apud comitem Petrum de Montereale, ac in codicibus mss. Justi Fontanini in bibliotheca ad d. Marci (L. XIV, 48, fol. 262.)

## LXIII.

(1352, 1 octobris.)

**Consilio congregato enuntiat patriarcha aquileiensis quod hostes in Albonam furtim sint nisi, praesertim vero quod Hartneides de Weisseneck capitaneus Portusnaonis spoliaverit sibi subditos de quadam possessione, eisque armenta abstulerit, nec violentiis ac minis pepercerit. Consiliarii opinantur concordiam quoquo modo cum Austrie duce componendam; sin minus bellum, novis taleis paratis, instruendum.**

In Christi nomine amen. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, die lune primo octobris. Convocato

[1]) Hic spatium pro signo: rosae tres in vase.

et congregato consilio consiliariorum Foriiulii, in presentia rever. in Christo patris et domini domini Nicolai patriarche aquilegensis, in quo quidem consilio interfuerunt venerabilis in Christo pater dominus frater Petrus episcopus concordiensis venetus et nobiles et discreti viri domini frater Guido abbas mosacensis, Gambutius de Cremona canonicus aquilegensis, Nicolaus de la Fratina, Franciscus de Sbroyavaca, Conradus Boyanus milites, Biacquinus Henricus de Strasoldo, Henricus de Spilimbergo, Meynardus de Villalta, Rizzardus de Tercano, Simon de Cucanea, Franciscus de Colloreto, Diethalmus de Perso, Castronus de Savorgnano, Nicolussius Arponus, Jacobus de Glemona jurisperitus, Guillelmus de Picossiis de Aquileja, ac etiam dominus Cinus Petrus de Luca et Joannes de Lisono. Prefatus dominus patriarcha proposuit qualiter novissimis diebus nonnulle gentes attentaverunt intrare terram suam Albonam furtivo modo, sed primitus nequiverunt suum propositum adimplere, postea vero quedam gentium qualitas furtive et proditorie intravit nocturno tempore dictam terram, volens eam eidem et aquileiensi ecclesie surripere: sed fideles nostri intrinseci de Albona viriliter resistentes, gentes ipsas cum personarum damno et vituperio eiecerunt, captis aliquibus et iustitia de ipsis facta. Subsequenter dominus Hartneides de Weisseneck capitaneus Portusnaonis pro domino duce Austrie, propria auctoritate et indebite spoliavit fideles ipsius domini patriarche de grossa eorum possessione cuiusdam ville et ipsos magna armentorum quantitate derobavit, multaque alia inferre minatur in damnum et preiudicium aquileiensis ecclesie et eius fidelium subditorum: que tantummodo credit idem dominus patriarcha procedere de voluntate domini ducis predicti. Pro aliquibus quidem violentiis et offensis nihil contra ipsorum auctores novi attentare hucusque voluit, propter mandatum sibi factum ex parte domini nostri Romanorum regis, continens quod ipse dominus patriarcha sibi, quantum poterat, precaveret ne aliquid innovaret, propter quod guerra seu commotio posset in hac patria suscitari. Petiit idem dominus patriarcha sibi per dictos consiliarios consuli quid agendum foret in premissis pro conservatione honoris sui ac boni status patrie et fidelium suorum. Dicti vero consiliarii, premissis omnibus et singulis auditis, et super ipsis deliberatione habita diligenti, consulerant eidem domino patriarche, quod guerram et discordiam debeat, quantum poterit, evitare, et ut fieri melius poterit, requirat dominum de Lethemberch missum per predictum dominum regem ad partes ipsas, ut qui eiusdem

domini regis personam representat, quod ipse se interponat de tractatu concordie super premissis: et si concordia fieri non posset cum honore dicti domini patriarche, ordinet quod dicti omnes sui subditi statim parati sint cum equis et armis ad defendendum et resistendum ne aquil. ecclesia et ipsius fideles sic indebite opprimantur: et ad hec prosequenda obtulerunt totaliter posse suum . . .

Caetera de recentiori talea militiae Forliulii antiquiori subroganda.

Ego Simon, notarius de Lovaria supradictam taleam militie. prout in scripturis olim domini Gubertini notarii, et rever. domini patriarche Nicolai scribe mihi commissis reperi, hic fideliter accopiavi meisque nomine et signo appositis consuetis in promissorum fidem.

Exemplum ex biblioth. palatina ad d. Marci Venetiarum (L. IX, 126, fol. 211 usque 212).

## LXIV.

(1353, 25 ianuarii, Vindobonae.)

Albertus dux Austriae ec. dominus Portusnaonis ec. supplicationibus Portusnaonensium indulgens, iura, libertates et gratias contentas *in privilegio a dive recordationis genitore et domino* suo *Alberto rege Romanorum* concesso, eis innovat ac roborat.

Membranam authent. e municipio portusnaonensi editam leges in *Statuta Portusnaonis*, 1609, p. 151; 1670, p. 108; 1755, p. 113; ut et in *Stampa della fedelissima comunità di Pordenone*, sine loco et anno (1798), p. 21

## LXV.

(1357, 14 ianuarii, Curiaenaonis).

**Curiaenaonenses Nicolaum et Franciscum presbyteros a vicariatu ecclesiae s. Mariae de Curianaonis licenciant.**

Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo tricentesimo quinquagesimo septimo, indictione decima, die quartodecimo ianuarii, in Curianaonis ante ecclesiam s. Marie, presentibus Zuanito Vanusii, Vignudo quondam Rodulfi, Jacobo Anne, Angelo Vinerii, Viduissio Viundi, Cardino et Sabbadino quondam Balatini de Curianaonis ec. et aliis pluribus. Vigandus de Medio et Pizolus faber de Curianaonis, merige majores dicte ville, de consensu et mandato maioris partis dicte ville

hominum ibidem presentium, vigore quarundam litterarum illustrissimi principis domini ducis Austrie, quarum tenor talis est: Albertus Dei gratia dux Austrie, Styrie et Karinthie fidelibus suis dilectis potestati nec non toti universitati ville nostre Curienaonis gratiam suam et plenitudinem omnis boni. Intellectis querelis de capitaneo nostro Culono de Seldenhofen coram nobis propositis, ipsum ad verba posuimus et commisimus eidem firmiter et districte, quatenus vos vestris antiquis iuribus gaudere permittat, mandantes vobis ut sibi loco nostri, subiectione debita, in omnibus benevole pareatis. Intendentes super eisdem ad vos legationem per nostros facere, qui audiant singula et attendant ut utriusque iusticia observetur; nolentes tamen per ultra consuetas observationes vel iura solita aliquid attemptare. Ceterum intelleximus duos ecclesie vestre vicarios, quos familiares Culoni dicti nostri capitanei, non temeritate propria, sed de iussu episcopi ordinarii vestri capere nitebantur, discordiarum seminatores existere, novitatesque suscitantes. Quare fidelitati vestre committimus seriose ut eisdem dimissis, de pacificis et benignis hominibus nobis pro vestro regimine disponatis. Datum Vienne, vigesimo tercio die decembris... licenciaverunt presbyteros Nicholaum et Franciscum a vicariatu supradicte ecclesie s. Marie, dicentes se nolle eos amplius celebrare, nec aliquod officium facere in dicta ecclesia, retentis sibi clavibus dicte ecclesie, intendentes sibi pro eorum regimine alios presbyteros invenire.

Franciscus filius Petri de Canipa, publicus imperali auctoritate notarius.

## LXVI.

(1357, 30 iulii, Vindobonae.)

**Albertus dux oppidum munitum Vippaci, quod Hartneidi de Weisseneck pignori dederat ob sex millia florenorum ex damnis illatis in suo contra Portumnaonis accessu, nuntiat eamdem summam, se annuente, traditam Friderico Ciliae comiti, qui sibi mille florenos alterius commodaverat.**

Wir Albrecht ec. tun chund. Als unserer getrewe Hartneid selig von Weizzenek, unser Vest Wippach in Pfandweiss innhat für sechs tausent Guldem, die wir im schuldig waren, umb seinen Dienst, den er uns tet gen Portenaw, und umb den Schaden den er da nam, daz der edel unser getrewe liber Graf Friderich von Cili mit unserem

guten Willen und Gunst, denselben Platz ze Wippach von dem obgenannten Weizzenek umb dieselben sechs tausent Guldem geledigt und gelöst hat, und hat uns auch darzu M. floren berait gelihen, also daz er und seine Erben die vorgennante Vest Wippach mit allen Nutzen und Rechten die darzu geherent, wie die genant sind für die egennante Erben tausent Guldem fürbaz von uns in Pfandeweis innhaben und niezzen sullen an Abslag als lang untz daz wir und unsere Erben si die vorgeschribene siben tausent Guldem gentzlich verrichten und geweren. Ez sol auch derselbe Graf Friderich von Cili und seine Erben oder wer die Vest Wippach von irn wegen innhat uns, unsern liben Sunen R. F. und L. Hertzogen und unsern Erben mit derselben Vest Wippach wartend und gehorsam sein, uns und die unseren darin und darauz zelassen zu allen unseren Notdurften. Des geben wir etc. Datum Vienne, dominica post Jacobi apostoli. Anno domini MCCCLVII^mo^.

Ex regestorum libro: *Incipit novus liber pignorum domini Alberti ducis Austrie, inchoatus anno dom. 1353.* in penitiori tabulario caesareo vindobonensi. Vetus exemplum extat quoque in scrimniis societatis historicae stiriensis.

## LXVII.

(1357, 20 decembris, Meclinae.)

**Carolus quartus imperator Franciscum, Andream et Jacobum, filios quondam Marci Popaitis, de Portunaonis, ac eorum haeredes in nobilium coetum cooptat.**

Karolus quartus, divina favente clementia, Romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex, dilectis Francisco, Andree et Jacobo filiis quondam Marci dicti Popaitis terre Portusnaonis, fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Cum imperialis sublimitatis licentia, cuius gloria in multitudine plebis et populo honoris causa consistit, in attrahendo cunctorum fidelitates ac devotionem et obsequia decoretur, ad illorum tamen precipue fidem et virtutis merita promptius inclinatur, ac eorum gratis desideriis benignum accomodare consuevit assensum, qui nobilitatis radios per virtutum exercitia strenuitate corporis et nobilitate actuum satagunt imitari. Sane cum cesaree maiestati nostre de vestris virtutum ac probitatis meritis que ex animi nobilitate consurgunt, bona plurima sint relata, nec sit dubium quin de virtutis

gradu in virtutem crescere debeatis, vobis premissorum intuitu et ad petitionis instantiam venerab. Nicolai, patriarche aquilegensis fratris et principis nostri percarissimi cupientes facere gratiam specialem, animo deliberato, non per errorem seu improvide, sed ex nostra certa scientia, sano et maturo consilio prehabito, auctoritate cesarea et de plenitudine imperialis potestatis vos, vestros heredes et liberos, per maschulinam lineam de vestris corporibus legitime descendentes, nobilitatis et honoris civium nobilium titulo, privilegio et honorificentia, ex innata nobis benignitatis clementia, liberaliter decoramus, vosque et eosdem heredes et liberos eorundem civium nobilium cetui et gratuito consortio, tenore presentium, consueta favoris gratia, aggregare volentes, et hoc imperiali edicto decernentes, ut vos dictique vestri heredes et liberi tanquam nobiles cives feoda tenere et recipere, habere et possidere, et in ipsis rite succedere nec non pro talibus nobilibus habere, nominare, reputare et tractare per omnia, in locis quibuscunque, absque qualibet respicientia, libere debeatis, presentium, sub nostre imperialis maiestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Mecline, anno Domini 1357, indictione X^a^. XIII kalend. ianuarii, regnorum nostrorum anno XII^o^, imperii vero . . .

## LXVIII.

(1360, 10 martii, S. Viti in Karinthia.)

**Rodulphus dux Austriae investit iure feudali Manussium, Bartholomeum et Odoricum de Zopola, de castro Zopolae [1]).**

Nos Rudolfus Dei gratia dux Austrie, Styrie et Karinthie, princeps Alvernie et Alsacie, dominus Carniole, Marchie et Portusnaonis. Universis et singulis presentium lectoribus seu auditoribus volumus esse notum, quod nos fidelibus nostris dilectis Manussio, Bartholomeo et Odorico de Zopola patruis, eorumque heredibus ob multiplicia fidelitatum suarum merita, necnon ob grata obsequia per dictos patruos nostris progenitoribus impensa hactenus, et que nobis et nostris fratribus impendere poterunt in futurum, castrum Czopole cum burgo ibidem et cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, iudiciis, silvis, nemoribus, agris, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, piscinis,

[1]) Vide num. LXXX.

viis, accessibus, ceterisque suis pertinentiis, quibuscumque censeantur nominibus, que a nobis iure feudali dependere dinoscuntur, liberaliter contulimus et presentibus confirmamus quidquid ipsis in dicto castro et burgo et eorum pertinenciis de iure conferre possumus et debemus, a nobis, Friderico, Alberto et Leupoldo nostris percaris fratribus, ducibus, principibus et dominis dictarum terrarum et nostris heredibus tenenda et possidenda in feudum, quemadmodum iura feodalia et mos patrie postulat et requirit, iuribus nobis, nostris fratribus et heredibus in eodem feodo debitis penitus reservatis. Et in huius rei evidenciam presentes super eo conscribi et appensione sigilli nostri mandavimus communiri. Datum et actum apud Sanctum Vitum in Karynthia, decimo die mensis marcii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, indictione XII . . .

## LXIX.

(1360, 14 martii, Sancti Viti in Carinthia.)

Albertus et Leopoldus fratres Dei gratia duces Austrie, Styrie, Karinthie, et Carniole, comites Tyrolenses ec. fidelibus suis dilectis, capitaneo, potestati, et consilio et communi terre nostre Portusnaonis, necnon universis et singulis colonis et censuariis, ceterisque hominibus nobilibus et vulgaribus cuiuscumque status vel condicionis existant ad eandem terram nostram spectantibus quorumlibet, gratiam suam ac plenitudinem omnis boni. Quia ob iustas et rationabiles causas dictam nostram terram cum universis suis iuribus et pertinentiis, titulo pignoris obbligavimus magnifico et spectabili domino Bernabovi vicecomiti mediolanensi et imperiali vicario generali nostro fratri et patri carissimo, sub forma et conditionibus subnotatis, nos Albertus et Leopoldus fratres, Dei gratia duces Austrie, Styrie, Karinthie et Carniole, domini Marchie, Sclavonie ac Portusnaonis, comites in Habspurg, Tirolis, Ferretis et in Kyburg, marchiones Purgovie nec non lantgravii Alsacie, significamus et notum esse volumus presentium inspectoribus, lectoribus seu auditoribus universis, quod magnificus et potens dominus Bernabos vicecomes Mediolani et imperialis vicarius generalis, noster frater et pater carissimus, castrum et oppidum nostrum in Portunaonis cum toto suo districtu et territorio, ac cum omnibus suis iuribus, fructibus, utilitatibus et pertinenciis dicte terre

cum bona voluntate, consensu et licentia concessis et adhibitis, de maturo baronum, consiliariorum et sapientum nostrorum consilio et deliberatis animis, a nobilibus viris Nicolao et Petro fratribus de Bonensegna civibus Venetiarum redimit et liberavit pro duodecim millibus ducentis et quinquaginta florenis aureis ponderis florentini, pro qua florenorum summa iidem fratres predictum castrum et oppidum Portusnaonis cum suis pertinenciis a nobis titulo pignoris possederunt. Attendentes igitur debite considerationis iudicio utilitatem et commodum que nobis perveniunt et in futurum pervenire poterunt ex redempcione prenotata, post diligentes tractatus et deliberationes habitas super eo sepius cum dilectis nostris et fidelibus, predictum castrum et oppidum Portusnaonis cum toto suo districtu et territorio, ac cum universis suis iuribus, fructibus, utilitatibus et pertinenciis pro nobis et nostris heredibus, prefato domino Bernabovi et suis heredibus, titulo iusti pignoris obbligavimus rite et legitime, ac constituimus presentibus de dicta summa duodecim millium ducentorum et quinquaginta florenorum ponderis prenotati; ita videlicet quod ipse dominus Bernabos castrum et oppidum Portusnaonis, eius districtum et territorium cum eius iuribus, utilitatibus et pertinenciis, quibuscumque nominibus censeantur, tenere et possidere debeat, nomine et titulo veri et legalis pignoris, fructibus in sorte minime computatis, quousque per nos, nostrum alterum, vel per nostros heredes ab ipso Bernabove vel a suis heredibus liberata et redempta fuerint pro summa prehabita florenorum. De qua etiam redemptione et liberatione . . . nobis, nostrum alteri et nostris heredibus querere debent nobisque ad redimendum dare pro memorata florenorum summa qui super eo requisiti fuerint per nostros nuncios et litteras, contradictione, recusatione et dilatione quibuslibet procul motis. Prefatus quoque dominus Bernabos et eius heredes nos, nostrum alterum et heredes nostros, nostrosque capitaneos cum gente nostra ad prenotatum castrum et oppidum debent intromittere, ex eis emittere ac in eis conservare et tenere absolute et libere contra omnem mundi hominem quando et quoties necesse fuerit, et ipsi per nos vel nostros capitaneos, litteris vel nunciis de eo fuerint requisiti. Debent etiam sepedictus dominus Bernabos et eius heredes oppidanos, rurales, colonos et ceteros homines nobiles et vulgares cuiuscumque status aut condicionis existant ad dictam terram nostram Portusnaonis spectantes tenere sub debitis et consuetis censibus, fructibus, serviciis et obsequiis, nec eos in hiis ultra quam solitum est

hactenus aggravare, ipsosque in suis libertatibus, iuribus, privilegiis, gratiis ac laudabilibus consuetudinibus, quibus ab antiquis temporibus freti et gavisi sunt usque in tempus presens firmiter et inviolabiliter conservare. Idcirco fidelibus nostris dilectis capitaneo, potestati, consilio et communi dicte terre nostre Portusnaonis, nec non universis et singulis colonis et censuariis, ceterisque hominibus, nobilibus et vulgaribus cuiuscumque status et condicionis existant ad dictam terram spectantibus presentibus precipimus et mandamus quatenus prefato domino Bernabovi et eius heredibus de consuetis et debitis fructibus, redditibus, iuribus et serviciis ad terram et dominium Portusnaonis pertinentibus respondeant cum effectu, ipsisque super premissis prestent iuramentum solitum fidei et obedientie debite servande inviolabiliter, quousque dicta nostra terra cum suis pertinenciis per nos, nostrum alterum vel nostros heredes a dicto domino Bernabove vel a suis heredibus pro memorata florenorum summa liberata fuerit et redempta, et in premissorum robur et testimonium evidens, sigilla nostra pendi fecimus ad presentes. Datum et actum Wienne, vigesima die mensis maij, anno Domini millesimo tercentesimo sexagesimo sexto. Idcirco vobis predictis capitaneo, potestati, consilio et communi terre nostre Portusnaonis precipimus et mandamus quod eidem et suis heredibus de consuetis et debitis fructibus, redditibus, iuribus et serviciis ad dictam terram et dominium Portusnaonis pertinentibus respondeatis integraliter cum effectu, ipsisque prestetis solitum iuramentum fidei et obbedientie debite servande inviolabiliter, quousque dicta nostra terra cum suis pertinenciis per nos, nostrum alterum, vel nostros heredes a prefato domino Bernabove, vel a suis heredibus liberata fuerit et redempta iuxta tenorem et continentiam nostrarum litterarum dicto domino Bernabovi super eo datarum de verbo ad verbum superius conscriptarum, ideo mandatum nostrum et mentem nostram et votum et propositum adimplentes. Datum Wienne, vigesimo die mensis maij, anno Domini millesimo.

Anno eodem pax inter Marquardum patriarcham aquilejensem et Albertum ac Leopoldum fratres composita, ut a documento Utini (zu den Weiden) die 30. maii dato, quod leges in Kurz. *Albr. III,* 1, p. 189.

Document. habet P. M.

## LXXXVIII.

(1368, 18 martii, Neoburgi.)

**Albertus dux Austriae, Leopoldi fratris consensu accedente, Portusnaonenses a datiis immunes declarat, quod plures eosque graves in recenti bello foroiuliensi passi sint aerumnas [1]).**

Wir Alber, von Gotes Gnaden Hertzgog ze Öster. ze Steyr, ze Kernden, und ze Krain, Grafe ze Tyrol etc. Bechennen und tůn chunt offenlich mit disem Briefe, daz wir und unser lieber Brůder Hertzog Leupolt, angesehen und betrachtet haben, günsteklich die grozzen Scheden und Gepresten, die unser lieben getrewn, die Purger gemainlich ze Porttnaw in dem Krieg gen Fryaul genomen und emphangen habent von Raub, von Prande, und von anderer Wůstung wegen, und haben darumb denselben unsern Purgern ze Porttnaw die Gnad getan und tůn auch wizzentlich mit disem Briefe daz Si mit aller Irr aygner Hab daran niemant anderr in derhainen Weg tail oder gemain hab ane alles Gever, sicherlich und lediklich an allen unser Mautten, in den egennanten unsern Landen mauttffrey fürfüren mügen und sullen an alle Irrungen untz an unser oder des egennanten unsers Brůders Ertztzog Leupolts widerufen. Darumb gebieten wir ernstlich allen unsern Haubtleůten, Lantherren, Rittern und Knechten, Purgrafen, Richtern, Mauttern, Zollnern und andern Amptleuten, den diser Brief getzaiget wirt, und wellen daz Si die egenanten unser Burger ze Porttnaw, bey derselben unsere Gnad beleiben lassen, und Si alain ir aigenlich Gůt alz vor geschriben ist, sicher und frey, ane alle Maut, und auch alle Irrung fůren lassen, als oft so in das fůget, untz das wir oder der egenante unser lieber Brůder Hertzog Leupolt, das wider-

---

[1]) Huius privilegii, quod unicuique civi litterae testimonialis loco daretur, plura extant coaeva exempla; duplex membr. apud P. M., ex quibus unum sic infrascribitur:

Riecker Barlber, onser Hauptmann,
Anthoni, Potestaet. Raed. von Portnaw.

D. Duces per se.
D. qc. Topl!
F. Behmgher.

Wier Nycholutz Marcotz und Johan Cochis, Purgermeyster von Portnaw tůn chunt allen fromen Lewtten daz Benevenut Heren Nyclaus Riteer zoen von Portnaw, onser Purger ist, und sull pillich geneitzen der vorgenanten Genaden, der ons unser lieber und genatiger Her der Hertzog getan hat, in Vrchunt dizz Prieff. han wir ten offen besegheit met onsers Stat Ingesegel von Portnaw. Gegeben zu Portnaw, am Eritag noech sant Jacobstag. nach Cristus Gepůrd drewtzehen hundert Jar und acht und seczichisten Jar.

rûffen: mit Urkund ditz Briefs der geben ist ze Newnburgg Klosterhalben, an Samztag vor dem Sonntag als man singet *Letare* in der Vasten. Nach Christs Geburde dreutzehen hundert Jar, und darnach in dem acht und sechtzigistem Yare.

Docum. membr. auth. apud municipium Portusnaonis.

## LXXXIX.

(1374, 28 maii.)

**Comites pratenses conveniunt cum Portusnaonensibus de mutuo sibi auxilio praestando tum pace, tum bello in hostes; insuper de vectigalibus super navigiis portusnaonensibus abolendis.**

Nos Biachinus miles, Guecelletus, Artichus, Rizardus et Nicolussius, comites pratenses, volentes per nos, subditos ac districtuales nostros, notum facimus universis et singulis presentes litteras inspecturis, quod cum nobilibus viris dominis Otonel Octelino vicecapitaneo, Leonardo potestate, consilio et communi Portusnaonis purum amorem, veram dilectionem ac fidam unionem habere convenimus et componimus in hunc modum, videlicet de non offendendo eos nec quidquid mali contra eos tractare, imo si quid nequitie intemptari noverimus toto posse eisdem notificare. Item de non recipiendo gentem aliquam in terram nostram, neque inde exituram . . . nec eorum aliqua vel eis noceat. Item si opportunus casus, quod Deus avertat, eis accideret quod aliqui eos offendere niterentur, vel novitates insolite fierent, teneamur requisiti ad custodiam et defensionem terre sue nostrum prebere auxilium, consilium et favorem. Si vero per dominium nostrum guerra vel novitas moveretur contra eos, teneamur prohibere pro posse, secus autem per unum mensem notificare eisdem. Item quod navigia seu zatte ad terram nostram per aquam venientia vel inde descendentia ab omni vectigalium et quarantesimi onere, sine aliquo impedimento, libera sint et impune transire valeant. Que omnia et singula privatim et coniunctim promisimus et promittimus sacramento prestito inviolabiliter observare hinc ad decem annos proxime completos. In cuius rei certitudinem presentes nostrorum sigillorum munimine duximus concedendas, et quod ego Guecelletus carui meo sigillo, sigillum fratris mei Rizardi affixi. D . . ., die XXVIII maii, millesimo III septuagesimo quarto, indictione XII.

Ego Jacobus Frascolinus portusnaonensis imperiali auctoritate notarius scripta in omnibus fideliter exemplavi, et in fidem manu propria me subscripsi, signo et nomine meo appositis.

Docum. authent. chart. cum quatuor sigillis cereis appensis, vetustate exesum habet P. M.

## XC.

(1375, 7 iulii, Portusnaonis.)

**Instrumentum factum de permutatione iurium super aqua villae dictae Fluminis, inita inter Guidonem episcopum concordiensem et quosdam nobiles de Cusano.**

In Christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo tricentesimo septuagesimo quinto, indictione decimatertia, die septimo mensis iulii, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri Gregorii divina providentia pape XI anno quinto. Cum rever. in Christo pater d. Guido Dei gratia episcopus concordiensis auctoritatem et licentiam a sede apostolica obtinuerit specialem infrascriptam permutationem faciendi cum nobilibus viris dominis Azolino, Elia et Paulo fratribus, ac Sereno et Gubertino quondam Bononini filiis predictorum dominorum Azolini et Elie et Pauli nepotibus ejus de Gubertinis de Utino aquileiensis diocesis, et predicti domini episcopus ex parte una et nobiles ex parte altera velint predictam permutationem recte perficere et sine debito terminare, iuxta predicte licentie apostolicam formam et tenorem, qui talis est.

Sequitur capitulum productum.

Item habet ius et proprietatem in aqua *Fluminis* appellata, que labitur per villam Cusani, a loco qui dicitur *Vadum ecclesie* usque ad locum ubi est aqua que dicitur *Zoppoletta*, et intrat fluvius predictus in aqua *Zoppoletta*, habet etiam ius et proprietatem ab utraque parte riparum, et ideo si quis piscaretur in dictis aquis sine episcopi licentia, puniretur ad ipsius domini episcopi voluntatem. Hoc idem est in aliis aquis et fluminibus in districtu Cusani presentis; et super aquis predictis potest dominus episcopus, si vult, construere molendina.

Item pro hominibus habitantibus in Cusano, habet ab antiquo ius pasculandi, ac etiam stramina et fenum secandi, tam in Savigliano quam

in caudis usque ad aquam Medune, nec non et pasculandi usque ad fictum s. Georgii in pratis suis, usque ad predictam aquam Medune per pratum *Spinaceti*, et etiam buscandi in caudis predictis, et pasculandi in arenis dicte aque ubi est communea a prato quod dicitur *Pratum episcopi* usque ad *Fossam malam* et nemus *Henrici de fluvio*, absque datio aliquo vel exactione alicui solvenda.

Acta sunt hec in camera superiori suprascripti venerabilis patris et domini d. Guidonis Dei gratia episcopi concordiensis, sita in suo episcopali palatio terre Portusnaonis, concordiensis diocesis, anno Domini, indictione et mense, die et pontificatu quibus supra, presentibus venerabilibus et discretis viris domino Marino de Utino, Antonio de Ceneta canonicis ecclesie concordiensis, fratre Leonardo ordinis cruciferorum priore sancti Christophori de Portugruario, presbytero Benedicto plebano s. Andree dicti Portus, Alberico Squara, Jacobo Donati, Franciscuto Lironi, Andrea de Panigaleis, Joachino, omnibus de Portugruario, et Nicolao notario quondam s. Moysis de Concordia, et aliis pluribus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Simon quondam Jacopini de Tinctis de Regio, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius prefatique domini episcopi concordiensis scriba predictis permutationi, concessioni, requisitioni, investiture, promissioni, omnibusque aliis et singulis suprascriptis, dum sic, ut premittitur, per prefatum dominum episcopum concordiensem et coram eo ageretur, una cum prenuntiatis testibus presens fui, ac ea omnia et singula de mandato et auctoritate ipsius domini episcopi fideliter scripsi et publicavi, sigilloque ipsius domini episcopi pendente sigillavi, ac signo meo consueto signavi, assistente domino episcopo concordiensi et nobilibus ibidem presentibus, requisitus et rogatus, sub anno Domini, indictione, mense, die, loco et pontificatu, quibus ec.

Chartam habet P. M.

## XCI.

(1375, 13 septembris, Portusnaonis.)

**Marquardus patriarcha aquilejensis concedit quadraginta dies indulgentiae iis qui ecclesiam s. Marci Portusnaonis decretis diebus visitaverint, vel aliis piis operibus vacaverint.**

Marquardus Dei gratia sancte sedis aquileiensis patriarcha universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in

Domino sempiternam. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, et eternorum intuitu id seminare in terris quod, reddente Domino cum multiplicato fructu, recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes quod qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam. Cupientes igitur ut ecclesia sancti Marci in terra Portusnaonis nostre aquileiensis provincie dignis et congruis honoribus frequentetur, et frequentantes pro temporali labore perpetue quietis munere gratulentur, omnibus vere penitentibus et confessis qui predictam visitaverint ecclesiam in ipsius festivitatibus seu etiam solempnitatibus beate Marie semper virginis, nativitatis Domini, circumcisionis, epiphanye, resurrectionis, ascensionis, pentecostes, trinitatis, dedicationis eiusdem ecclesie, sancte crucis, sanctorum angelorum, Johannis Baptiste, omnium apostolorum et evangelistarum, sanctorum martyrum Stephani, Laurentii, sanctorum doctorum Gregorii et aliorum doctorum, sanctorum confessorum Nicolai et Martini, nec non beatarum Marie Magdalene, Agnetis, Lucie, Chatarine, Margarete ac Elisabet, in festo corporis Christi, omnium sanctorum et per octavas eorum, in die animarum, singulis diebus dominicis et sabatis, ac in quolibet festo solempniori: ac etiam qui corpus Christi cum portatur infirmis secuti fuerint, et qui serotina pulsatione campane ter *Ave Maria* devote dixerint, vel qui ad fabricam, luminaria, ornamenta et alia dicte ecclesie necessaria manus porrexerint adiutrices, de omnipotentis Dei misericordia, beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et sanctorum martyrum Hermacore et Fortunati, omniumque sanctorum meritis et intercessione confisi, quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer in Domino relaxamus. In cuius rei testimonium presentes litteras iussimus nostri sigilli appensione muniri. Datum in dicta terra Portusnaonis, die decimatertia mensis septembris, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, indictione decimatertia.

Docum. membran. cum sigillo cerae rubrae appenso, extat apud municipium portusnaonense.

## XCII.

(1376.)

**Elencus privilegiorum et iurium patriarcharum aquileiensium, quae in nono scrinio thesauri ecclesiae Aquileiensis, anno 1376 continebantur.**

— — — — — — — — — — — — — —

Et certa dicta testium de terra Portusnaonis. Et qualiter dicta terra fuit antiquitus dominorum de Castello, ac etiam qualiter debeat ad patriarchalem curiam appellare . . .

Ex Odorico de Susannis in *Thesaurus ecclesiae aquileiensis*. Utini, 1847, p. 12.

## XCIII.

**(1379, 25 septembris, Novemburgi claustralis) [1].**

Albertus III et Leopoldus III duces fratres publice nuntiant austriacas provincias, *nach Rate unsers Rates, mit guter Vorbetrachtung, durch Gemachs vnd Frides willen,* ita inter se distribuisse ut Leopoldus Portumnaonis quoque sibi devolutis adnumeret.

E codice Coronini sumptum habet documentum Rauch in *Rerum austriacarum scriptores*, III, 395—399.

## XCIV.

(1380?)

**Gravamina ecclesiae aquileiensis in Austriae duces, octo supra viginti capitulis digesta [2].**

Missis quae ad rem non pertinent . . .

1. Inprimis inter cetera origo et fundamentum omnium discordiarum inter ecclesiam aquileiensem et ipsos dominos duces oritur ex eo quod antiquitus et continue conati sunt et conantur bona, iurisdictiones et honores ipsius ecclesie virginis gloriose in Alemannie partibus et in Foroiulii subripere, sibi aquirere et in damnum animarum suarum subiugare.

---

[1]) Klosterneuburg.

[2]) Commentarioli auctor creditur Odoricus de Susannis utinensis, ideo dati ut Marquardus patriarcha aquileiensis a feriendis induciis cum Austriae ducibus averteretur.

2. Item consueverunt in patria Foriiulii tenere Portumnaonis et certam partem castri de Ragonea, quod totum est feudum ecclesie supradicte, de quo legitime sunt privati per ea que fecerunt contra ipsam ecclesiam et personas patriarcharum, de quibus longa esset narratio, et specialiter domini patriarche Lodoici, ut inferius declaratur.

— — — — — — — — — — — — — —

27. Item narrare sibi que restant de facto Portusnaonis et Ragonee. Item quod non condescendat quod treuge inter ipsum dominum nostrum et duces Austrie ad presens fierent, quia non faciunt pro nobis nec ecclesia sua, et exponere ac narrare sibi causas et rationes propter quas, et ideo si preces sibi imponerentur per aliquos de treugis, se defendat et caveat totaliter illo modo honesto quo reverendissime paternitati sue sapienter visum fuerit.

28. Item si contra dominum nostrum diceretur, quare vult ecclesia aquileiensis accipere in Foroiulio que essent dominorum ducum, responderi potest, salva semper domini nostri sapientiori responsione, quod ipsi domini duces non habuerunt in Foroiulii antiquitus nisi *Portumnaonem* et aliquam partem Ragonee. Que tamen omnia sunt feudum ecclesie aquileiensis, quo feudo sunt privati per ea que dicta sunt, facta per eos contra personas dominorum patriarcharum et bona ecclesiastica ecclesie memorate.

Et ego Joannes Franciscus quondam spectabilis i. u. d. Francisci de Philitinis de Utino, publicus imperiali auctoritate notarius predictam informationem ex quibusdam authenticis scripturis exscripsi ex quadam antiqua pictura. In quorum fidem ec.

Ex collectione Joannis Francisci de Philitinis notarii utinensis, haec manu propria exscripsit Bernardus Maria de Rubeis in codice ms. bibliothecae s. Marci (L. IX, 125, f. 211—213).

## XCV.

(1380, 6 augusti, Umbistae.)

**Leopoldus dux Austriae mandat consilio Portusnaonis ut fructus bonorum, quibus se Petrus Bosnagel privatum asserit, sequestrentur illico, proindeque sententia iuri consona promulgetur.**

Leopoldus, Dei gratia, dux Austrie, Styrie, Karinthie, et Carniole, comes Tyrolis ec. dominus Portusnaonis ec. prudentibus et

honestis capitaneo, potestati, consilio et communi civitatis sue Portusnaonis predicte, fidelibus suis dilectis gratiam suam cum plenitudine omnis boni. Petrus Bosnagel, civis brixinensis exhibitor presentium, noster fidelis, in facto bonorum quibus se privatum asserit, testimonia per nos recepta nobis obtulit que vobis remittimus presentibus interclusa. Quocirca fidelitati vestre committimus et volumus seriose quatenus provideatur primum etiam ante latam sententiam, quod fructus dictorum bonorum sequestrentur ac demum vocatis coram vobis vocandis, sententiam inter eos iuri consonam promulgetis, quam volumus in antea firmiter a partibus observari.

Datum in Ümbst, die sexta augusti, anno ec. LXXX.

A tergo: Prudentibus et honestis capitaneo, potestati, consilio et communi civitatis nostre Portusnaonis, fidelibus nostris, dilectis.

Docum. chart. authent. habet P. M.

## XCVI.

(1382, 11 octobris, Knittelfeldii.)

**Comes Mainardus de Goritia spondet homagium Leopoldo Austriae duci Portu Latisanae praestandum esse post diem octavum ac propriae filiae Elisabeth ducissae, Henrico goritiensi nupturae tribus annis proxime insequentibus, civitatem et castrum Portusnaonis dotis titulo assignavit.**

Wir Meinhardt Phalzgraf ze Kernden, Graf ze Gorçz und ze Tyrol etc. Bechennen mit dem Brief fur uns und fur unser Erben. als wir die hocgeborne Junkchfrawn Elzbethen unser liebe Tochter des durchleuchtigen hochgeborn Fürsten Hertzog Leupolts von Osterreich Tochter irer Widerlegung geweist haben auf unser Vest und Stat Portlausan [1]) und auf all ir Zugehorung haben wir dem eegenante unserm lieben Sweher Hertzog Leupolden irem Vater versprochen und verhaizzen wann daz ist, daz er uns oder unserm Sun Graf Hainreichen seinem Aidem inner den nachsten kunftigen dreyn Jaren solich Vertigung und Weisung angtragt, daz man uns umb daz Heyratgut so er unserm Sun zu seiner Tochter gert, mit der Herrschaft

[1]) Latisana.

Burg und Stat ze Portnaw mit aller irer Zugehorungen huldiget, und swert als er getaidingt ist, und wen er daz getan hat, so sullen wir darnach inner acht Tagen volfüren umb die Vest und Stat Portlausan daz man im an des eegenanten unsers Suns stat, auch da huldig und swer, als ez mit teidingen Herchomen ist an allez Geuërd mit Urkunt diez Brieff versigelt mit unserm Insigel. Geben ze Knütteluelt am nachsten Eritag vor sand Gallentag, nach Christs geburd dreuetzenhundert Jar darnach in dem zwayundachtzigistem Jare.

Ex origin. membran. tabularii caesarei vindobonensis.

## XCVII.

(1382, 14 octobris, Knittelfeldii.)

Leopoldus dux Austriae notum facit se comiti Henrico comitis Maynardi goriciensis maiori nato, filiam suam Elisabeth sponsam daturum fore, cui propterea *umb sein Heyrat Gut unser Herschafft, Burg und Statt ze Portenau mit aller Iren Zugehörung* assignat. Spondet insuper Mainardo patri ea praestiturum quae ex utraque parte opportuniora rei assequendae videbuntur.

Ex tabulario archiducali graecensi edidit Hergott in *Monumentorum aug. domus austriacae*, tom. III, part. I, p. 12.

## XCVIII.

(1382, 14 octobris, Knittelfeldii.)

Leopoldus dux Austriae filiam suam Elisabeth, *durch besser Frid und Gemachs willen unser beider Landen und Leuten*, comiti Henrico filio Maynardi de Goritia se matrimonio daturum promittit numeratis *zu rechter Heimbsteyr, zwey und dreiczig tausent guter wohlgebögener Guldein auf unser Herschaft, Burg und Statt zu Portenaw, und auch all Ir Zugehörung*, accedente consensu ducum Wilhelmi, Leopoldi et Ernesti, dummodo tamen Elisabeth caeteris haereditatis iuribus renuntiet. Quod si Elisabeth sine haeredibus decederet, *nach seinem Abgehen, soll dieselb Herschaft, Burg und Statt an uns und an unser Erben gevallen.*

Ex tabulario archiducali graecensi edidit documentum Hergott in *Monumentorum aug. domus austriacae*, tom. III, part. I, p. 12.

## XCIX.

(1383, 17 februarii, Novemburgi claustralis.)

**Leopoldus dux Austriae mandat capitaneo Portusnaonis ut eos cives honestate et fide versus proprios progenitores probatos, in iuribus, gratiis et libertatibus suis conservet, ec.**

Leopoldus Dei gratia dux Austrie, Styrie, Carintie et Carniole, comes tirolensis et marchio tarvisinus, nobilibus, strenuis ac honestis quibuslibet capitaneis Portusnaonis presentibus et futuris atque vices eorum gerentibus, dilectis nostris fidelibus salutem et plenitudinem omnis boni. Cum dive recordationis progenitores nostri, carissimi principes, utique magnifici et preclari, viros probate honestatis et fidei cives eiusdem loci et districtus Portusnaonis intime dilexerint, eos multis promotionibus et beneficiis extollendo, nos digne in hoc memoranda eorum precessorum nostrorum vestigia imitantes, vobis et cuilibet vestrum seriose per presentes committimus et mandamus quatenus antedictos cives portusnaonenses in iuribus, gratiis et libertatibus suis, quibus ab antiquo hactenus sunt muniti vel gavisi, adhuc in antea firmiter conservetis, non facientes eis neque fieri permittentes contra hec violentiam aliquam vel gravamen, in eo siquidem nostre voluntatis beneplacitum absque omni dubio impleturi. Datum apud Novemburgum claustrale, die 17 februarii, anno ec. LXXXIII.

Ab exemplo recentiori apud P. M.

## C.

(1383, 11 maii, Tyrolis.)

**Leopoldus dux Austriae spondet mille florenos Portusnaonensibus debitos brevi soluturum, aut de proventibus sibi ex eo dominio obvenientibus partem relinquere, donec ex integro exsolvat.**

Nos Leupoldus, Dei gratia, dux Austrie, Styrie, Karinthie et Carniole, comes Tyrolis, marchioque tarvisinus ec. Recognoscimus presentibus et fatemur quod nos honestis et sapientibus potestati, consilio et communi terre nostre Portusnaonis, fidelibus nostris dilectis in mille florenis boni auri et ponderis tenemur et obligamur, pro quibus ab ipsis habuimus et accepimus pro civitate nostra Tarvisii

victualia atque victum, volentes et debentes, ac pro nostre gratie magnificentia promittentes predictis nostris fidelibus solvere prefatos florenos a die dominica ventura in proximo ad quatuor ebdomadas continuo subsequentes. Si autem ex eventu aliquo vel impedimento effectum dicta solutio non haberet, ex tunc fructus, proventus et condempnaciones ad dictam dominationem nostram pertinentes predicti fideles nostri habere et tenere debent tamdiu donec solucionem predictorum habuerint integram debitorum. Quapropter mandamus et precipimus capitaneo nostro presenti vel aliis futuris temporibus statuendis, quatenus post terminum superius nominatum nullum predictis nostris fidelibus impedimentum prebeant in iisdem fructibus, proventibus et condempnacionibus exigendis et a nostris subditis colligendis. Harum sub appensione nostri sigilli testimonio litterarum. Datum Tyrolis, feria secunda post festum penthecosten, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo tercio.

R. Vechinger.

Docum. authent. membr. cum sigillo appenso habet P. M.

## CI.

(1383, 13 iunii, Paduae.)

**Litterae patentes quibus Ludovicus Wagnon praeceptor domus et hospitalis s. Joannis Jerosolymitani, dicti a navibus de Padua, removet Dominicum de Bononia a praeceptoria domus eiusdem ordinis in villa sancti Quirini de Portunaonis, eiusdemque regimen committit Paulo de Superclis de Parma.**

Frater Lodovicus Wagnon preceptor domus et hospitalis sancti Johannis jerosolimitani dicti *a navibus* de Padua, commissarius ad infrascripta specialiter deputatus, per patentes tenoris infrascripti litteras nobis presentatas reverendissimi in Christo patris et domini domini fratris Johannis Ferdinandi Deredia, Dei gratia sacre domus hospitalis sancti Johannis jerosolomitani dignissimi magistri, nec non vicepotestatis et locumtenentis prioratus Veneciarum, religioso in Christo nobis carissimo fratri Paulo de Superclis de Parma salutem et sinceram in Domino caritatem. Meritorum commendabilium consideratione vestrorum vos specialis favoris gratia prosequentes preceptoriam sive baviliam Sancti Quirini ordinis nostri sancti Johannis jerosolimitani vacantem specialiter per absentiam seu remotionem

fratris Dominici de Bononia ordinis nostri, qui contra ordines et stabilimenta ordinis nostri de dicta preceptoria sive domo Sancti Quirini operatus est, et propterea ad dispositionem nostram devolutam. Quem quidem fratrem Dominicum tenore presencium a regimine et gubernatione prefate bavilie Sancti Quirini removemus, cum omnibus et singulis membris et iuribus et pertinentiis ad ipsam preceptoriam sive baviliam spectantibus et pertinentibus et pertinere debentibus, quomodocumque et qualitercumque, et iure quocumque habendam, tenendam, regendam, gubernandam, augendam, meliorandam et multiplicandam in spiritualibus et temporalibus, tam in capitibus quam in membris, sub annuis responsionibus et aliis oneribus impositis et imponendis rationabiliter secundum communem censum aliarum baviliarum prioratus Veneciarum ordinis nostri in capitulo provinciali dicti prioratus Veneciarum annis singulis infallibiliter exsolvendis, secundum statuta et ordines ac consuetudines religionis nostre, conferimus, concedimus et donamus benefaciendo in eadem, teque preceptorem et commendatorem in dicta constituimus bavilia hac serie, et etiam ordinamus, committentes tibi fiducialiter circa curam, regimen et administrationem dicte bavilie ac bonorum et iurium eiusdem, defensionem et recuperationem tam in agendo quam in defendendo hac serie vices nostras alias secundum continentiam et seriem statuti super deficientibus in responsionum solutionem suarum, editi in generali capitulo apud Avinionem de mense marcii, anno sexagesimo sexto celebrato, de premissis baviliis per religiosos in Christo nobis fratres prioratus eiusdem, quovis titulo dicti prioratus regimen nunc vel in posterum possidentem et receptores responsionum prioratus ipsius cum consilio quatuor fratrum preceptorum prioratus iam dicti suarum baviliarum responsiones solventium fratri alicui vel fratribus domus nostre prioratus predicti puro, sufficienti, utili et idoneo, seu sufficientibus, utilibus et idoneis ad regimen baviliarum antedictarum. Et qui illarum responsiones et alia onera bene solvant et supportent, expresse precipimus provideri. Quocirca universis et singulis fratribus, sororibus et donatis, sub virtute sancte obbedientie ac hominibus et vassallis et quibuscumque aliis nobis subditis in dicta bavilia et eius possessionibus ac iuribus constitutis presentibus et futuris, sub sacramento fidelitatis et homagii, quo nobis et prioratui Veneciarum sunt astricti, precipimus et mandamus ut tibi tanquam eorum superiori, preceptori et maiori reverenter pareant, obbediant et intendant, vobisque suum

prebeant auxilium et favorem in omnibus concernentibus utilitatem dicte bavilie quociens opus fuerit, et eos duxeritis requirendos; mandantes universis et singulis fratribus dicti prioratus Veneciarum ordinis nostri, quacumque auctoritate, dignitate vel officio fulgentibus, presentibus et futuris, ne contra presentem nostram concessionem, donationem et ordinationem ac gratiam aliqualiter venire presumant, quin imo illam studeant iuxta eius mentem et speciem inviolabiliter observare; ac cuilibet fratri ordinis nostri quem duxeritis requirendum, ut vos vel procuratorem vestrum in corporalem possessionem pacificam et quietam dicte bavilie inducat et vos conservet inductum, omni contradictione remota, amoto exinde quolibet detentore vel detentoribus si qui sit vel sint, quem et quos nos amovemus per presentes et decernimus firmiter amovendum sive amovendos, inhibentes vobis districtim sub virtute sancte obbedientie predicta, ne pretextu concessionis, gratie, donationis et ordinationis vestre huiusmodi, aliqua de bonis, rebus et iuribus memorate preceptorie et bavilie vendatis, detis, obbligetis, impignoretis, alienetis, distrahatis, permutetis, seu in emphyteosim perpetuam concedatis vel, quocumque alio colore quesito, extra nostram religionem transferatis sine nostra expressa licentia et mandato, ac capituli prioratus Veneciarum. Et si, quod absit, contra inhybitionem huiusmodi nostram aliquid vel aliqua operari vel facere vos contingat, illud et illa ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc cassamus, annullamus ac decernimus irritum et inane, nulliusque existere efficacie vel valoris. Tenor autem litterarum predictarum, quarum virtute predicta ordinamus pariter et committimus per omnia, talis est. Frater Johannes Ferdinandi Deredi dei gratia sancte domus hospitalis sancti Johannis jerosolymitani magister humilis et pauperum Christi custos religioso in Christo nobis carissimo fratri Lodovico Wagnon preceptori bavilie paduane domus eiusdem salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum dicte nostre domus statuta prohibeant bona, preceptorias et administrationes ipsius regenda committi quovis titulo personis ecclesiasticis secularibus et aliis preterquam religionis eiusdem personis, nostra non habita licentia et obtenta, intellecto itaque quod displicenter referimus dicte nostre religionis fratrem Dominicum de Bononia baviliam Sancti Quirini dudum eius commissam regimini contra prefate domus statuta et ordinationes regendam commisisse personis aliisque domus eiusdem fratribus, nulla ad hoc potestate sibi data, prefatam baviliam regi et gubernari ut moris est et docent

statuta volentes, vobis tenore presentium committimus quatenus traditione de dicta domo per ipsum fratrem Dominicum facta irrita nunciata, et quam cassamus per presentem, aliis personis quam ordinis nostri fratribus dictam baviliam Sancti Quirini reductam per vos et extractam a regimine quo supponitur, regatis seu regi faciatis, ut decet, quousque aliter de dicta domo duxerimus ordinandum, sic vos habituros ut negligentia vestra nos neque religio nostra aliqua dispendia paciantur. Datum Avinione, die tertia mensis aprilis, anno incarnationis Domini millesimo trecentesimo octuagesimo tercio. In testimonium quarum litterarum nostrarum, seu quam gratiam, concessionem seu decretum dicto fratri Paulo factam per presentes sigillo nostro cereo quo utimur pendenti fecimus munimine roborari. Datum et actum Padue, in mansione sancti Johannis jerosolymitani dicti *a navibus* die sabati, tertiodecimo mensis junii, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, indictionis sexte. Presentibus tunc magistro Rigo Mascagno quondam Petri et Petro Calegario eius filio de contrata dicti sancti Johannis, testibus ad predicta specialiter convocatis pariter et rogatis.

Membranam habet P. M.

## CII.

(1384?)

**Leopoldus Austriae dux Friderico de Savorgnano, quod sibi duodecim millia ducatorum commodasset, dominationem terrae Portusnaonis, quibusdam conditionibus additis, dat titulo pignoris per octennium.**

Nos Leopoldus Dei gratia dux Austrie etc. Notum facimus pro nobis ipsis nostrisque heredibus et successoribus universis per presentes, quod nos nobili et strenuo domino Friderico de Savorgnano sincere nobis dilecto tenemur et obligamur in duodecim millibus ducatorum boni auri et ponderis condecentis, quos nobis pro utilitate nostra in promptu specialiter comodavit, pro quibus quidem ducatis sibi suisque heredibus atque successoribus quibuslibet assignavimus et pro pignore et loco pignoris obligamus presencialiter castrum, dominacionem et terram nostram Portusnaonis cum omnibus suis iuribus, pertinenciis, potestatibus et municionibus universis prout ab antiquo nos et predecessores nostri regere, tenere consuevimus et gubernare, sic tamen quod cives atque antea dicte terre subditi ad

inconsueta nullatenus astringantur; tali etiam condicione apposita quod ipsi predictam terram nostram habere et legitime tenere ac possidere modo debeant supradicto usque ad octo annos proxime et immediate futuros, quibus vero elapsis et post tres menses quandocumque ipsis prefatam pecuniam presentabimus vel per nostros ad hoc deputatos presentari faciemus, ipsi teneantur et debeant dictum castrum et terram Portusnaonis, cum omnibus suis iuribus antefatis immediate sine condicione aliqua nobis et nostris heredibus reassignare et liberaliter restituere sine dolo et fraude quibuslibet proculmotis. Si vero predicta facere recusarent, tunc eiusdem terre cives et subditi sint et esse debeant a suis sacramentis liberati et totaliter excusati, et deinceps nobis nostrisque heredibus et officialibus fideliter obedire: et si etiam in huiusmodi recusatione aliqua dampna et nocumenta nobis nostrisque heredibus et subditis occurrerint manifesta, ista prefati dominus Fridericus et sui heredes refundere legaliter sint astricti. Prefati etiam dominus Fridericus et sui heredes nobis et heredibus nostris teneantur et cum firma obligacione astringantur dictum castrum et terram aperta et libera habere et tenere, nosque et nostras gentes intromittere et ad eorum libitum stare et exire, quantum quoscumque nullo excepto permittant quando et quotiescumque hoc contigit evenire, dum tamen absque dampno possident hoc exstiterit cui dent. In quorum omnium ec.

Docum. penes P. M.

## CIII.

(1385, 11 aprilis, Tirolis.)

Leopoldus dux Austriae *ad fidelitatis constantiam et servitiorum promptitudinem* Portusnaonensium *oculos convertens,* confirmat *ex gratia liberali et de certa scientia,* eorum *iura, libertates, gratias, consuetudines laudabiles, litteras ac privilegia,* promittens quod non imponet *collectam aliquam sive steuram.*

Editum docum. in *Statuta Portusnaonis* ann. 1609, p. 151; ann. 1670, p. 108; ann. 1755, p. 114.

## CIV.

(1385, 28 augusti, Paduae.)

Franciscus de Carraria, dux Paduae significat Francisco de Doctis potestati Tarvisii *ut communi et hominibus Portusnaonis*

*buletam et licentiam expeditam et liberam concedat de extrahendo de* suo *territorio tarvisino et ad Portumnaonis vel alio quocumque conducendo proventus* in eodem territorio *perceptos ex eorum possessionibus.*

Ex tabulario publico tarvisino edidit documentum Jo. Bapt. Verci in *Storia della marca trivigiana*, vol. XVI, Docum. p. 99.

## CV.

(1386, 13 novembris, Medunae.)

**Societas sancti Georgii affidat Portusnaonenses villasque subditas ita ut libere proprios fines excedere possint, absque eo quod per aliquem eius societatis molestentur, immo et ad eius castra pro venditione victualium accedant, dummodo in antecessum referat de incursu in eorum territorium fiendo.**

Nos comes Antonius de Camisano, Brunorus, Gucerius, et Facinus Canis capitanei societatis sancti Georgii, ac Philippus Canis marescalcus societatis predicte, intendentes cives ac commune et homines terre Portusnaonis eiusque villarum inferius descriptarum iurisdictionis terre predicte, nec non habitatores et incolas eorumdem pro nostris amicis habere, tenere et etiam pertractare, tenore presentium affidamus predictos cives, homines et incolas predictarum terre Portusnaonis et villarum eiusdem, quod tute et secure cum eorum personis, bestiamine et rebus ire, stare, habitare et laborare possint extra terram predictam et in villis predictis, absque eo quod per aliquem de nostra societate, in personis ac bonis et rebus possint offendi nec aliqualiter molestari, concedentes etiam predictis civibus et hominibus dicte terre et villarum, quatenus venire possint ad campum nostrum ubique fuerit cum victualibus et omnibus aliis rebus per ipsos vendendis in dicto campo, et sine ipsis, et in dicto campo stare, morari et abinde recedere et redire ad dictas terram et villas, et a dicta terra et villis . . . ad campum nostrum . . . habitatores dictarum villarum sub terra predicta Portusnaonis totiens quotiens ipsis et ipsorum cuilibet videbitur et placebit, et cum eorum bestiis atque rebus, presentibus usque ad nostrum beneplacitum duraturis, pacto tamen in hoc apposito et inserto quod teneamur de duobus . . . in antea notitiam fieri facere predictis civibus, communi et hominibus dicte terre Portusnaonis, quatenus

libere et super eorum territorio currere et discurrere facere intendimus. Datum Medune, die 13 novembris, 1386, nona indictione.

Nomina villarum dicte terre Portusnaonis.

| | | |
|---|---|---|
| Villa dicte terre. | Villa Sancti Quirini. | Villa Vallis. |
| Villa Curienaonis. | Villa Puincechi. | Villa Naunceli. |
| Villa Rorai. | Villa nova. | Villa Fluminis citra aquam. |

Ex autentico in papyro, existente penes magnificum dominum Curtium dominum castri Turris premissum exemplum, prout inveni, eduxi, additis in fidem signo et nomine consuetis, ego Johannes Baptista Rorarius, imperialis notarius Portusnaonis.

Chartam habet P. M.

## CVI.

(1387, 25 maii, Paduae.)

**Franciscus de Carraria Paduae dominus, attentis necessitudinis vinculis inter domum austriacam et carrariensem, communitatem Portusnaonis ac villas dependentes Nuncelli, Vallis, Flumisini et Sedeani, in propriis bonis assecurat, salvisconductibus Portusnaonensibus oblatis ut in carrariensi dominio libere degant.**

Noverint universi presentes meas literas inspecturi quod ego Franciscus de Carraria Padue ec. per vestigia gradiens priscorum quondam magnificorum progenitorum nostrorum domus carrariensis, mature considerans et sana deliberatione revolvens internum zelum et ferventis caritatis ardorem, quibus inclita et celebris australis prosapia et magnifica carrariensis domus prefata, sibi invicem obsequentes, se mutua vicissitudine benivolentie coluerunt, et ego potissimum tanto propensius et specialius insitum cordi gerens flagrantem amorem qui nos nectit alterutrum, quanto eos in humanis agentes hinc inde firme memorie tenacitas representat et obsequi sibi mutuo persuadet, ut nulla sint que sic calentis vigor amoris aspernetur aut abnuat; consideratione premissorum ac contemplatione illustris et excelsi principis et domini domini Alberti Dei gratia ducis Austrie, Styrie, Karinthie et Carniole, comitis tyrolensis et Portusnaonis domini, me ad hoc licet sit inexpediens provocantis, ex continentia ambaxiate michi pro ipsius illustris principis domini ducis Alberti parte facte, per

egregium et strenuum militem dominum Georgium de Aurspurg, solemnem ipsius ambaxiatorem, assistentibus ei discretis viris Benevenuto de Richeriis et Petro de Marionibus, terrigenis Portusnaonis, pro seipsis agentibus ac pro tota ipsius terre communitate, ac eius incolis, inhabitantibus et districtum, villas ipsius atque loca dicti illustris domini ducis fidelibus et subiectis, nec non intuitu et respectu ipsius communitatis et hominum eius amicorum meorum, assecuro et assecuratos esse volo pariter atque tutos in genere et in specie, in propriis bonis et ere, totam ipsam communitatem et universitatem dicte terre Portusnaonis, ac omnes et singulos homines et personas, mares et feminas, in ea et per totum districtum degentes et habitantes quantumcunque complectatur et ambiat, nec non villas Nuncelli, Vallis, Flumisini et Sedeani in campanea spectantes et pertinentes hominibus dicte terre, ac rurales, colonos, massarios, inquilinos earum, ipsisque universis et singulis plena concedo securitate conductus, status et reditus per totum et in toto ipsius terre Portusnaonis, et dictarum villarum territorio, comitatu et districtu, ac in cunctis locis, civitatibus, oppidis, municipiis et terris meis earumque territoriis et districtibus, et inibi ubique locorum premissorum eos protegere et defensare polliceor atque volo ab omni impetu, incursu hostili, violentia, rapina et quaque preda ac illicita extorsione sibi inferenda seu que sibi posset irrogari, inferri vel fieri, per quascunque gentes meas equestres et pedestres, subditos universos et cunctos moderamini meo et iurisdictioni suppositos, quarumcunque civitatum, castrorum, terrarum et locorum meorum predictorum, ubicunque consistant, eosque Portusnaonenses fovere applacentia qualibet et favore, proprie sicut meos. Ipsis tamen de Portunaonis per se et suis in terra, comitatu et districtu eius et villis facientibus illud idem quibuscunque meis gentibus ac subditis, et ad meos. Et sic e converso ipsis . . . meis facere promiserunt prout in suis patentibus litteris continetur. De uberiori quoque munificentie et gratie mee dono ipsis . . . communitati et . . . hominibus terre Portusnaonis, eiusque districtus et villarum supranominatarum salvum et securum conductum concedo et licentiam impertior tenore presentium, quod unusquisque ex corpore dicte communitatis et villarum a . . . capitaneo et . . . communitate dicte terre licentiam obtinens, habensque salvumconductum a . . . capitaneo meo Turris presente vel qui pro tempore erit, tute, licite et impune, cum somariis vel aliis equitaturis suis ac cum plaustris, bobus et boariis, carrateriis et

carretis, mulionibus atque mulis, vel vacui vadant, possint et valeant ad partes superiores Alemanie per viam rectam Avençoni, et Venetias sive per viam Portuslatisane vel Fluminis, sive alveum Liquentie se conferre; quodque possint salubriter et secure sive de partibus superioribus predictis, sive de Venetiis ad ipsam terram Portusnaonis ipsiusque districtum mercantias quascumque et mercimonia generis cuiusvis ac victualia queque esculenta et poculenta, ac animalia sive bestiamina deferre, conducere atque portare, vel devehere seu portari vel devehi facere pro sue beneplacito voluntatis, per itinera et vias predictas, vectigalibus tamen et mutis solitis in locis meis solutis, si per eam duxerint merces ipsas. Et ultra hoc etiam, sive vacui sive onusti venire possint et ire Paduam ac Tarvisium et in Tarvisanam, Feltrum et Bellunum et eorum districtus, et ad quelibet loca mea, sive pedites, sive equites, et cum plaustris, vehiculis et somariis, per quamcumque viam voluerint, et inde redire salvi et securi, cum suis mercimoniis atque rebus, mutis solitis solutis, ut supra; mandans et stricte precipiens quibuscunque potestatibus . . . capitaneis, vicariis, . . . rectoribus et officialibus, custodibusque quarumcunque mearum civitatum, castrorum, terrarum et locorum, et ad passus quoslibet ubilibet deputatis et existentibus, ac gentibus meis equestribus et pedestribus, ac subditis universis presentes litteras inspecturis, quatenus cum ad loca mea quibus presunt, et in eis ipsos terrigenas, comitativas et incolas Portusnaonis et districtus eiusdem capitare vel declinare contingat, eos benigne suscipiant et generose pertractent et in ere ac personis et rebus suscipiant propicie et favorabili gratia commendatos. Et tam ibidem scilicet in meis locis, quam in eorum territorio et quoque salvoconductu carentes, et alibi ubicunque in emulorum meorum territorio, si salvum conductum habuerint, preservent illesos et indempnitatibus suis occurrant ac abstineant et manus arceant a qualibet noxia novitate. Habentes quoque dictorum capitanei et communitatis licentias et salvosconductus dicti capitanei mei Turris, vacuos euntes ad partes superiores vel Venecias, et cum mercimoniis redeuntes ad propria, et ad loca mea venientes cum mercibus sive sine, et in casu quocunque cum suis equitaturis, bobus et boariis, et plaustris vel somariis tam in aditu quam regressu, referendo singula singulis, libere et expedite ac sine ullo impedimento, mutis dumtaxat exceptis solvendis, ut dictum est, ire, stare et redire permittant, sub mee indignationis incursu. Verum mercimonia ipsa vel aliquam

eorum partem aut victualia ulla non deferant ad emulos meos, nec eis prestent auxilium vel favorem extra terram ipsam Portusnaonis. Contrafacientes vero de quibus dicte communitati scripserim, communitas ipsa, veritate comperta, punire et plectere teneatur pena condigna, taliter quod aliis sit exemplo. In terra autem Portusnaonis et intra ipsam, liceat eis impune tradere et dare, propinare vel vendere posse emulis quibuscunque meis, de suis victualibus atque rebus, ut volent, tota guerra presenti durante presentibus valituris. Presentium sub sigilli mei impressione testimonio litterarum. Datum Padue, die vigesimaquinta maii, anno nativitatis dominice millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, indictione decima.

Membranam authent. habet P. M.

## CVII.

(1387, 6 decembris, Utini.)

**Magister Joannes de Glemona, rector scholarum Portusnaonis, et Franciscus Pelliparius portusnaonensis, legati communitatis Portusnaonis coram placito patriarchali Utini celebrato deposeunt ut, cum ser Baldassius de Maniaco, cuius filius cum aliis porcos quadringentos Portusnaonensibus abstulerat, infra terminum decem dierum post colloquium die ultima novembris celebratum, propria iura super eo facto minime produxerit, communitati portusnaonensi fiat iustitiae complementum.**

In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis millesimo tercentesimo octuagesimo septimo, die sexta decembris. Actum in castro Utini, in camera . . . in qua presentialiter dormiebat infrascriptus dominus . . . patre, domino Bondi, Dei gratia, abbate mosacensi . . . milite domino Simone de Coloreto, Henrico quondam dom . . . et Francisco de Argis familiare generosi militis . . . grano, ubi coram reverendissimo patre et domino domino Frederico, divina providentia patriarcha jerosolimitano, nec non auctoritate apostolica sancte ecclesie aquilegensis rectore, gubernatore et defensore comparuerunt circumspecti viri magister Johannes, quondam de Glemona, in Portunaonis scolas presentialiter regens, ac providus magister Franciscus Pelliparius de dicta terra Portusnaonis, tanquam ambassciatores domini capitanei et communitatis Portusnaonis predicti.

prout per eosdem ibidem fuit assertum, eidem domino patriarche pro parte dictorum domini capitanei et communitatis exponentes in presentia, quomodo nobilis ser Baldassius de Maniacho, qualiter per generale colloquium colligatorum patrie Foriiulii coram ipso domino patriarcha die ultima mensis novembris proxime preteriti celebratum, extitit determinatum et deliberatum quod infra decem dies ipsam colloquii celebrationem tunc proxime et immediate sequuturos, nobilis ser Baldassius de Maniacho debuerit produxisse omnia iura sua et suorum consortum super ablatione quadringentorum porcorum ablatorum per filium prefati ser Baldassii cum nonnullis aliis existentibus et residentibus in Maniacho, certis civibus prefate terre Portusnaonis, ipsos porcos conducentibus et facientibus conduci, sub pretextu et securitate salviconductus dicti domini patriarche, prout alias per ipsos magistrum Johannem et Franciscum ipse dominus patriarcha de hoc facto pluries fuerat seriosius informatus, aliter quod si infra dictum terminum decem dierum ipse ser Baldassius seu consortes sui de Maniacho iura sua non produxisset seu produxissent, quod ipse dominus patriarcha deberet procedere contra dictos de Maniacho, prout ordo iustitie suaderet. Et quia terminus dictorum decem dierum die esterna expiravit, videlicet decima presentis mensis decembris, qua etiam coram dicto domino patriarcha debitis horis et tempore prefati magistri Johannes et Franciscus se composuisse dixerunt, idcircho supplicabant sue paternitati pro parte dominorum capitanei et communitatis Portusnaonis ut contra dictos nobiles de Maniacho qui abstulerunt et fecerunt predari dictos, ex quo ser Baldassius, nec aliquis alius, pro iure et defensione dictorum de Maniacho hucusque nil produxerat, dignaretur ipsi communitati Portusnaonis facere iustitie complementum et ipsos ad suam communitatem cum expeditione remittere rationabili et convenienti, rogantes me subscriptum notarium ut de predictis eis publicum conficerem instrumentum.

Ego Geronimus natus magistri Dominici de Brunacio de Utino, publicus imperiali auctoritate notarius prescriptis omnibus interfui et rogatus scripsi.

Membranam authent. habet P. M.

## CVIII.

(1388, 5 ianuarii, Vindobonae.)

Albertus dux Austriae nuntiat Ferdinando vicario gener. ecclesiae aquil. ac collegis Hugonem de Duino capitaneum in Carniola in

eo esse ut mittat *ex parte fidelium civium Portusnaonis* ambasciatam, cui fidem pleniorem adhibeant.

Ex biblioth. ad d. Marci Venetiar. edidit Jos. Valentinelli in *Principum Austriacorum epistolae.* Venet. 1856.

## CIX.

(1388, 24 iulii, Wels.)

**Albertus dux Austriae Nicolaum de Zopola, cuius castrum Portusnaonis dominio subest, urget sibi obbedientiam ac fidelitatem praestet.**

Albertus, Dei gratia, dux Austrie, Styrie, Karinthie et Carniole, comes Tirolis etc. nobili, fideli nostro, dilecto Nicolao de Zopola gratiam suam et omne bonum. Cum castellum in Zopola nobis et dominio terre nostre Portusnaonis iure denoschatur proprietario pertinere, cumque inibi predecessores nostris progenitoribus obedientiam et fidelitatem exinde exhibuerint, debita et condigna nos de tua fidelitate pariter et honestate sinceram gerentes fiduciam, te monemus presentibus ac attentius exhortamur, quatenus ipsorum predecessorum tuorum inherens vestigiis, nobis ac illustribus nostris nepotibus et heredibus huiusmodi fidelitatis et obedientie debitum exhibeas, ut est dignum: nos enim te nedum iuribus tuis gaudere favebimus libere, sed etiam occurrente opportunitate prosequi singularibus gratia et favore.

Datum in Wels, in die Veneris, in vigilia sancti Jacobi apostoli, octuagesimo octavo anno.

Membranam authent. cum sigillo cereo habet P. M.

## CX.

(1390, 30 iunii — 1. iulii, Tarvisii.)

Ludovicus Maurocenus capitaneus Tarvisii significat terna epistola Antonio Venerio duci Venetiarum, 1. capitaneum Portusnaonis e Germania venientem subditis suis praecepisse *ut omnia sua bona reducant ad fortilitia*, quod ibi *pro hospitio venture erunt ducente lancee comitis de Duyno*; 2. misisse Cordenonum caballarios qui praesentirent et referrent de discessu centum lancearum comitis de Duyno, ne subditi damnum patiantur; 3. ex Spilimbergo

sibi delatum centum lanceas ducis Bavariae cum gentibus comitis de Duyno paratas per Tarvisium Paduam proficisci.

Ex tabulario publico tarvisino edidit documentum Jo. Bapt. Verci in *Storia della marca trivigiana*, tom. XVII, *Docum.* p. 32, 34, 35.

## CXI.

### (1395.)

**Communitas Portusnaonis Austriae duci defert gravamina in Joanninum de Turri, quod minis et violentiis minime parcens, plura vel per se, vel cum sociis, in damnum subditorum dominii Portusnaonis insumpserit.**

Illustrissime et excelse princeps et domine noster gratiose. Infrascripta sunt capitula que oratores devotorum ac fidelium servitorum dominationis vestre, communis et consilii terre nostre Portusnaonis ad informationem serenissime dominationis vestre seu ambassiatorum et commissariorum seu deputatorum inclite dominationis vestre contra olim Joanninum de Turri, qui exponunt, dicunt, asserunt in hunc modum.

Et primo quod serenissima dominatio vestra habet, et sic serenissimi domini duces predecessores vestri habuerunt et tenuerunt ab antiquo, et non est memoria in contrarium, certos mansos et possessiones in villa Turris cum dominio et iurisdictione in dictis mansis, et tenuerunt et habuerunt officialem proprium in dicta villa, qui nostro nomine vocatur *juratus*, qui de iustitia eisdem massariis ad castrum terre Portusnaonis pertinentibus habet ministrare, mediante capitaneo seu gastaldione terre Portusnaonis, et sic usum fuit tempore patriarcharum qui ipsum locum Turris habuerunt, sed dum iste Joanninus venit in Turrim facta permutatione cum domino patriarcha, subito cepit molestare iura, dominia vestra, et rationes volens sibi tirannice vindicare.

Item secundo quod per vim et nullo iuris ordine expulit illos de Berna, massarios et rusticos dominationis vestre in villa Turris, imponens dictus Joanninus minas dictis rusticis quod erueret oculos si laborarent mansos predictos, qui rustici metu et timore dimiserunt mansos, et dicti rustici stant et habitant in Portunaonis.

Item tertio quod idem Joanninus mandavit quod dicti massarii dominationis vestre de villa Turris non exirent de domibus suis, nec

irent per vias publicas, nec eorum animalia, nec aliquis de dicta villa daret eisdem massariis aquam neque ignem.

Item quarto quod non contentus dictus Joanninus captitavit unum rusticum ex dicta villa, massarium castri, nomine Franciscum, qui Franciscus si voluit ex carceribus exire, per vim et ultra eius voluntatem promisit dicto Joannino nunquam laborare mansum in dicta villa dominationis vestre.

Item quinto quod idem Joanninus multotiens captitavit Joannem Baldi, *juratum* et officialem in villa Turris dominationis vestre, inducens ipsum ad faciendum violenter ea que de iure non erat consuetus facere contra iura dominationis vestre.

Item sexto quod idem Joanninus sua superbia et de facto captitavit plures de Curianaonis, tenens ipsos in carceribus et non dimittens, donec episcopus frixingensis fecit dimittere sua virtute.

Item septimo quod idem Joanninus presumptuose et superbe, in despectum dominationis vestre misit Fedricum filium suum ad villam Curienaonis dominationis vestre, qui Fedricus sequens mandatum patris mandavit rusticis et hominibus dicte ville de Curianaonis, quod nullus ipsorum rusticorum de Curianaonis esset ausus ire, stare vel redire super territorium ipsius Joannini, in pena pedis et unius manus.

Item octavo quod dum certi de Portunaonis evellerent terram in et super territorio dominationis vestre, idem Joanninus minatus fuit dictis hominibus ut non evellerent, et si et in quantum evellerent, incideret sibi manus et pedes, et in majorem despectum dominationis vestre venit ibi armata manu, faciens imbuere foveas dominio dominationis vestre spectantes et pertinentes.

Item nono qualiter idem Joanninus mala voluntate fecit comburere unum molendinum in villa de Puglincico, districtus terre Portusnaonis, qui molendinus fuit ser Jacobi et Octoboni fratrum de Quechis, civium terre Portusnaonis, prout ex manifesto Joannis Suriti de Zopola in castro Zopola fuit manifestum.

Item decimo quod idem Joanninus habuit tractatum et tractavit contra terram Portusnaonis, et statum et honorem dominationis vestre, proditorio modo accipere terram Portusnaonis, et notum fuit nobis per ... de Spignimbergo, quibus discohopertis nullus fuit sortitus effectus.

Que omnia et singula nobilis et egregius miles dominus Nicolaus Mordax, tunc temporis capitaneus Portusnaonis et nos, modo non volentes sine querela procedere, monstravimus multotiens dominationi

vestre ac reverendissimo domino Antonio tunc temporis patriarche domini ipsius Joannini, et ultimo reverendissimo domino episcopo frixingensi, et nobili et potenti militi domino Federico de Walse, qui illo tempore ad nostras partes, nomine dominationis vestre, erant, instantes humiliter dictis dominis ut nos cum dicto Joannino pacificare deberent et dictum Joanninum a suis malis propositis revocare, qui dominus episcopus et dominus Federicus, non obstante quod dominus patriarcha satis multis precibus et mandatis non potuit revocare, miserunt pro dicto Joannino instantes humiliter ut a suis propositis se deberet removere, qui Joanninus nullis precibus motus, nullis mandatis inclinatus a dictis dominis recessit, et sic dicti domini videntes eius malam intentionem mandaverunt nobis ex parte domini nostri ut eidem domino Nicolao capitaneo iuxta fidelitatem obedire deberemus in iis que nos requireret.

Item undecimo quod idem Joanninus non bene contentus et non cessans malis nostris intendere, et animum suum totis suis viribus et posse contra honorem dominationis vestre, ad destructionem terre Portusnaonis et personarum habere, habuit socios multos et multam societatem secreto in Turri coadunatam, animo et intentione capiendi dominum capitaneum, qui iverat ad sociandum dominum episcopum frixingensem, qui in reversione iverat ad partes Alamanie, et capiendi terram Portusnaonis ipsamque ponere ad saccomanum, prout Petrus Parvus habitator in Spignimbergo in suo manifesto fuit confessus.

Item duodecimo, quod idem Joanninus addens malum malo, prout diligenter habuimus ex manifesto olim nequissimi Guielmi textoris, habuit tractatum et tractavit cum dicto Guielmo, quod interficeret dominum capitaneum, et promisit idem Guielmus facere, et ut dictus Guielmus adimpleret, venit ad molendinum inferiorem cum quodam Paulo, ut videret si dominus capitaneus exiret de castro, intendens omnino adimplere quod promiserat.

Item XIII, quod dictus Joanninus vocavit dictum Guielmum una die dicens: tu vadis in terram Portusnaonis; inquire diligenter si homines terre Portusnaonis faciunt bonam custodiam, et vide sagaciter si modo aliquo posset capi terra.

Item quartodecimo, quod idem Joanninus habuit multos socios et multam societatem in Turri coadunatos in unum, animo et intentione capiendi dominum capitaneum et ipsum interficiendi, et capiendi terram Portusnaonis, ut supra concordat cum dicto Petro Parvo.

Item XV, quod dictus olim Joanninus misit dictum Guielmum in die Veneris sancti in terram Portusnaonis, qui Guielmus venit ad instantiam dicti Joannini, ut interficeret dominum capitaneum qui illo die sancto ibat solus querendo ecclesias, si posset, et si non posset poneret ignem in terra, et ipse Joanninus habebat intentionem et gentes ad currendum ad portas, ut acciperet terram Portusnaonis, ipsamque poneret ad saccomanum.

Ex quibus tam horrendis et arduis tractatis per dictum Joanninum contra honorem dominationis vestre. ac ad destructionem persone mee et terre Portusnaonis, dubitans quod sicut idem Joanninus suis malis tractatibus destruxerat domum suam propriam et illos suos consortes nobiles de Ragonea. ita de me et terra Portusnaonis faceret. ac videns quod idem Joanninus nullas treguas firmas, ratas non tenebat, ac tanquam inimicus procurabat contra honorem dominationis vestre persone et statum terre Portusnaonis, contra ipsum Joanninum tractavi tanquam contra inimicum dominationis vestre et unum mortalem pessimum et proditorem, inter quem Joanninum et me nulla tregua neque pax erat, immo eramus ad invicem totaliter et publice inimici.

Suprascriptum exemplum ex consimili caractere et carta vetustissimis existente penes scripturas magnifice communitatis Portusnaonis excerpsit Pangratius Amalteus notarius.

Chartam triplicem habet P. M.

## CXII.

(1395, 8 martii, Portusnaonis.)

**Portusnaonenses eligunt vicarium ecclesiae s. Marci Portusnaonis Marinum, cappellanum altaris sanctae crucis in dicta ecclesia, ita ut possit ab officio removeri si sacramentis administrandis et officio celebrando non sufficeret aut negligeret.**

Anno millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, indict. III. die octavo martii, in Portunaonis, in ecclesia sancti Marci, presentibus venerabilibus viris domino fratre Paulo priore domus Sancti Quirini. presbitero Andrea vicario ecclesie sancti Marci, ser Nicolao, ser Antonio, cappellanis in dicta ecclesia santi Marci, ser Ottobono de Quechis de Portunaonis, testibus et aliis pluribus vocatis et rogatis. Ibique dominus presbiter Marinus cappellanus altaris sancte crucis per nobilem et egregium militem dominum Nicolaum Mordax capitaneum

et Jacobum de Quechis potestatem et totum consilium terre Portusnaonis, nemine discrepante. electus fuit vicarius una cum domino spectabili Andrea teste supradicto in predicta ecclesia sancti Marci usque ad unum annum, hac condicione et pacto solemni stipulatione firmato quod si dictus dominus Marinus ad sacramenta ecclesie ministranda et prestanda, ac etiam ad officium celebrandum non esset sufficiens et negligens, si videbitur domino capitaneo et consilio Portusnaonis ipsum esse negligentem et non sufficientem, in dicto termino usque in capite anni et ante et post, ad omnem eorum beneplacitum, possint et valeant dictum presbiterum Marinum expellere et removere atque remittere et privare a dicto vicariatu, et sic ibidem et in presenti dictus presbiter Marinus contentus et confessus fuit, sic esse affirmans omnia supradicta, de quibus rogatus fui ego Joannes notarius infrascriptus per Bartolussium Jacomelli et magistrum Marchettum pelliparium tanquam procuratores et camerarios dicte ecclesie sancti Marci publicum deberem conficere instrumentum.

Manu fideli eductum, ut supra, subscripsit cum signo Pangratius Amalteus notarius.

Ego Ascanius Amalteus notarius eduxi ex autenticis manu dicti notarii domini Pangratii.

Exemplum antiq. chart. penes P. M.

## CXIII.

(1396, 26 maii, Portusnaonis.)

**Bulfus filius Conradi de Portunaonis sacramento testatur gastaldionem semper, ex anteriori instituto, solvisse imbasiatoribus qui per communitatem Portusnaonis aliquo destinabantur, pro parte dominii partes duas expensarum que per ipsos fiebant et tertiam pro parte communitatis.**

Anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo tricentesimo nonagesimo sexto, inditione quarta, die vigesimo sexto maii, in Portunaonis, in camera cubiculari domus habitationis mei Jacobi notarii infrascripti, presentibus provido viro magistro Federico quondam Philippi de Bavaria, nunc in Portunaonis habitante, et Andrea precone et officiali terre Portusnaonis, testibus et aliis pluribus fide dignis, coram provido viro ser Guielmo quondam ser Nicolai de Portunaonis honorabili vicepotestate pro circumspecto viro ser Johanne quondam

domini Lodovici terre Portusnaonis honorabili potestate, cum suis iuratis ser Boschetto quondam ser Alberti et magistro Bartolussio quondam Jacomelli ibidem convocatis. Constitutus Bulfus filius ser Coradi habitans in Portunaonis et requisitus, atque ad eternam rei memoriam pariter et statum dominii totiusque communitatis terre prelibate Portusnaonis, ad petitionem et instantiam Martini quondam Nicolai Lautte communis antedicte terre Portusnaonis massarii, sacramentatus per prefatum dominum vicepotestatem de veritate dicenda et mendacio tacendo super solutione, quam pro parte dominii faciebat imbasiatoribus, qui aliquo pro communitate Portusnaonis destinabantur, dum gastaldio in Portunaonis fuisset olim nobilis et egregie memorie domini Ugonis de Duino, suo sacramento, remotis prece, precio et timore, deposuit quod dum gastaldio esset ut supra de mandato expresso domini de Duino antedicti, semper imbasiatoribus qui per dictam communitatem aliquo destinabantur, solvebat pro parte dominii partes duas expensarum que per ipsos fiebant, et per communitatem antedictam tertia pars solvebatur, sicut et ipse duas partes bannorum et condemnationum recipiebat. De quibus omnibus rogatus fui publicum conficere instrumentum.

Ego Jacobus quondam ser Michaelis de Prata, habitator terre Portusnaonis et publicus imperiali auctoritate notarius, prenotatum depositionis seu testificationis instrumentum ex auctoritate et licentia mihi ut publico notario a consilio et regimine terre Portusnaonis attributa et concessa prout in notis et prothocollo quondam magistri Jacobi gramatice professoris quondam Petri de Forniciis de Canipa habitantis in Portunaonis, fideliter transcripsi, nil addens vel minuens quod sensum variare habeat vel intellectum. Et in eorum fidem signum meum apposui consuetum.

Membrana authent. penes P. M.

## CXIV.

(1396, 27 maii.)

Franciscus de Riccheriis *donat ex causa donationis irrevocabilis que dicitur inter vivos seu causa mortis, Simoni Cerdoni de Portunaone, tanquam camerario hospitalis sancte Marie de Portunaonis, ducatos boni auri et iusti ponderis centum pro una camera cum cubilibus condecentibus ad recipiendum pauperes.*

Dedit documentum Coridamus Silinus in *Raccolta de' privilegi* ec. p. 107.

## CXV.

(1396, 12 augusti, Portusnaonis.)

**Episcopus acconensis omnibus vere poenitentibus et confessis qui missis fraternitatis beatae Mariae virginis de Portunaonis interfuerint, ac eiusdem fraternitatis crucem processionaliter extra ecclesiam associaverint, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis relaxat.**

Gualterius Dei gratia et apostolice sedis episcopus acconensis. Universis et singulis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in Domino et eternorum affluenciam gaudiorum. Dum precelsa meritorum insignia quibus regina celorum, virgo Dei genetrix gloriosa sedibus prelata sideris, quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur, dum etiam inter pectoris archana revolvimus quod ipsa, utpote mater misericordie, gratie et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium qui delictorum onere pergravantur sedula exoratrix et pervigil ad regem quem genuit intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur ut fraternitatem in honorem sui nominis in ecclesia sancte Marie de Portunaonis, concordiensis diocesis iamdudum dedicatam generosis remissionum prosequamur inpendiis, et indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur ut ipsa fraternitas Christi fidelibus augmentetur et crescat, et ut fideles ipsi causa devotionis eo libentius intrent in eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, beatissimeque virginis Marie matris eius ac beatorum apostolorum Petri et Pauli nec non preciosissimi sancti Stephani patroni nostri meritis ac intercessione plene confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui missis dicte fraternitatis interfuerint, et qui crucem eiusdem fraternitatis extra dictam ecclesiam beate Marie processionaliter eundo devote associaverint et secuti fuerint, quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxavimus. Harum sub nostri pontificalis sigilli appensione testimonio literarum. Datum in Portunaonis apud ecclesiam sancte Marie eiusdem loci, anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, indictione quarta, die XII mensis augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifacii divina providencia pape VIII. anno VII.

Membrana cum appenso sigillo cerae rubrae, in nosocomio Portusnaonis.

## CXVI.

(1397, 29 octobris, Portusnaonis.)

**Antonius patriarcha aquilejensis concedit quadraginta dies indulgentiae iis qui poenitentes et confessi ecclesiam s. Marci Portusnaonis quibusdam festis visitaverint.**

Antonius Dei gratia, sancte sedis aquilegensis patriarcha. Universis Christi fidelibus presentes nostras litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuit sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, et eternorum intuitu id seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes quod qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam. Cupientes itaque ut ecclesia sancti Marci terre Portusnaonis nostre Aquilegensis provincie a Christi fidelibus frequentetur et congruis honoribus veneretur, omnibus vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in dicto festo beati Marci, videlicet a primis vesperis usque ad... nec non in solemnitatibus nativitatis, circumcisionis, resurrectionis, et ascensionis Domini nostri Jesu Christi, ac in festivitate assumptionis b. Marie virginis gloriose devote visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia, beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et sanctorum martirum Hermacore et Fortunati, patronorum nostrorum, omniumque sanctorum et sanctarum Dei meritis et intercessione confisi, quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer in Domino relaxamus. Harum sub nostri appensione sigilli testimonio litterarum. Datum in terra predicta Portusnaonis, die vigesimo nono octobris, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, quinta indictione. Johannes ec.

Membrana authent. cum sigillo cereo appenso, penes municipium Portusnaonis.

## CXVII.

(1399, 1 ianuarii, Vindobonae.)

**Wilhelmus dux Austriae investit iure feudi Venceslaum de Spilimbergo de duabus domibus in Portunaonis, decima in Sancto Quirino, molendino et undecim mansis in Curianaonis.**

Nos Vielmus dux Austrie, Karinthie et Carniole comes ec. Recognoscimus publice per presentes quod accedens ad presentiam nostram

nobilis Venceslaus de Spilimbergo, fidelis noster servitor nobis humiliter supplicavit quatenus de infrascriptis bonis iure pheudi ad nos pertinentibus, ipsum et fratres suos dignaremur infeudare, prout illustris princeps dux Leupoldus felicis memorie genitor noster carissimus ipsos de iisdem similiter infeudavit. Nos attendentes ipsius Venceslai et suorum fratrum fidelia obsequia que gerunt et gesserunt diutius apud dominium nostrum Austrie fideliter indefessa, ipsos de eisdem bonis cum omnibus suis pertinentiis infeudamus, prout iure possumus et valemus. Itaque prefati fratres de Spilimbergo et eorum heredes nobis et nostris heredibus fideles ipsa bona de cetero teneant iure pheudi, et sunt hec bona videlicet: due domus in Portunaonis; item decima in Sancto Quirino; item molendinum et undecim mansi in Curianaonis. Harum testimonio litterarum. Datum Vienne, in die circumcisionis Domini, anno ab incarnatione Domini millesimo tricentesimo nonagesimo nono.

Vincentius de Laurentiis, coadiutor cancellarie Portusnaonis fideliter extraxit ex alio exemplo.

Ex consimili authentico existente penes illustrissimum dominum Johannem Carolum de Spilimbergo ego Franciscus Stella cancellarius et n. v. n. Spilimberg. rogatus eduxi et de more in fidem m.

Habet exemplum P. M.

## CXVIII.

(1399, 8 martii, Vindobonae.)

**Ludovicus comes de Porcileis pro se et haeredibus, ac consobrinus Guido de Porcileis pro se, fratre Brisalea et Pagano de Porcileis jus deserunt proprium, beneficio Willelmi et Alberti Austriae ducum, super marchis 1800 et libris 800 bernensibus, quas iam antea Ludovicus, Fridericus et Biachinus de Porcileis commodaverant Friderico nondum imperatori, litteris restitutis super pignore castri Portusnaonis, quod tercentum florenos illis per decem annos Austriae duces spoponderint.**

Ich Ludvveig Grave von Portschill fur mich, alle meine Erben und Nachkommen, und Ich Guido sein Vetter Graf ze Portschill fur mich, meinen lieben Bruder Bartsajan[1]) und Pagaan von Portschill der

[1]) Puto *Brisaja* seu *Sbrisalia*, nomen familiae commune.

vollen Gewalte ich habe und fur die ich mich wissentlich annyme und fur alle unsere Erben und Nachkommen. Bechennen mit diesem offenem Brieue. Umb die Vordrunge und Zuspruch die wir hins den hochgebornen Fursten Herczog Wilhalmen und Herczog Albrechten Vettern Herczogen ze Osterreich etc. und andern iren Brudern und Vettern, unsern gnedigen Herren gehabt haben, die da bracht hat tausent Marken Silbers Wyennischen Gewichts, dreyhundert Marken und sechzig Marken Greczischen Gewichts, und funfhundert Marken Silbers, ye fur ayn Mark vier und sechzig Grosse, bringt die Summe achtzehen hundert und sechzig Marken und acht tausent Phunt Perner, die weylent ir vordern die hochgebornen Fursten Herczog Fridrich, ee er Römischer Kunige warde, Herczog Leupolt, Herczog Albrecht und Herczog Ott Gebrüder Herczogen zē Osterrich etc. seliger Gedechtnüsse weilent unseren vordern Ludweigen von Portschill und Fridrichen von Portschill meins egen. Ludweigs Vatter und Byachynen von Portschill mein des egenanten Guido und meiner vorgenanten Brüder Vatter seligen schuldig waren, und dafur Sy In hetten verschriben die Stat und Herrschaft ze Portenaw, als die Brieue lauttent, die wir darumbe haben ynne gehabt, und den egenanten unsern Herren den Herczogen yeczait widergegeben. Also sind dieselben uns gnedigen Herren die Herczogen mit uns an unserem an der obgenanten unsere Vettern und Bruder Stat überandworden, und habent uns darumbe zu ayne Ergeczunge benenet zegeben von nu Sant Jorgen Tag über zehen Jahr nacheinander, alle Jar drewhundert Gulden von Weinnüczen in Steyr, als der Brief lautt, den Sy uns darumb geben habent, daran uns auch wol benüget. Davon sagen wir dieselben unsere Herren von Österrich. alle ir Bruder, Vetter, Erben und Nachkommen, fur uns all unsere Erben und Nachkommen, aller der Gelt schult die ir vordern seligen unsern Vordern und uns uncz auf den heutigen Tag sind schuldig beliben, es sey mit Brieuen oder an Brieue, genczlich quitt, ledig und los, und haben versprochen und globt, versprechen und globen auch wissentlich bey unsern Trewn mit diesem Brieue, ob unfurbasser in künftigen Zeiten dhaynerlais Brief oder Urchund mer furkemen die über die obgeschriben Pfandschaft ze Portenaw, oder umb dhainerley Dienste, oder umb anderrlay Geltschult, wie die genant weren, dhainerlay unsern Vordern, uns oder unseren Erben von dhayner derselben unsern Herren der Herczogen Vordern sagten von Welhem das were. daz dieselben Brief und Urkunt alle gancz und gar sullen ab und tode

sein, und dhain Kraft nicht haben den egenanten unseren Herren von Österrich, iren Brudern, Vettern, Erben und Nachkommen zů kaynem Schaden, noch uns, unsern Erben und Nachkommen, noch yemand anderem zů kainem Fromen, ausgenomen des obgenanten irs Briefs, den Sy uns gegeben habent umb die drewhundert Guldem Gelts die nechsten zehen Jare jerlich zegeben, der soll dieselben Jar aus bei seinen Krefften beleiben. Wenn sich aber die verlauffent, so soll der auch genczlich tod und absein und kain Kraft mer haben. Und des ze Urkunde haben wir unseren Insigel gehenkt an diesen Brieve. Und haben gebeten den erbern Herren Herrn Fridrichen von Stubenberg unsern lieben Frewnde, daz er zů ayne Gezeugnüsse der Sach sein Insigel gehenkt an diesen Brief zů den unsern gehenket hat, im und seine Erben an Schaden. Der geben ist ze Wienn an Samstag vor dem Suntage so man singet *Letare* zu Mittervasten, nach Cristi Geburde dreuczehen hundert Jar darnach in dem newn und neunczigistem Jare.

Serior manus scripsit extra:

Quietatio illorum de Porzilleis super debitis antiquis, pro quibus dabitur ipsis annua pensio.

Documentum membranac. authent. cum tribus sigillis cereis appensis, extat in tabulario caesareo vindobonensi.

## CXIX.

(1399, 20 iulii, Portusnaonis.)

**Capitaneus, potestas et consilium Portusnaonis, Samuelis filii Salomonis iudaei petitionibus indulgentes, pacta decernunt quibus ille mutuare ad usuras teneatur.**

Universis et singulis ad quos presentes pervenerint. Nos Nicolaus Mordax, miles capitaneus, Johannes quondam domini Lodovici potestas, consilium et commune Portusnaonis, ex deliberatione consilii declaramus, quod nos petitionibus Samuelis judei filii Salomonis judei tanquam iustis et ydoneis, eiusdem Samuelis et suorum presenciam non ambigimus bonam fore et utilem, infrascriptas petitas gratias et pacta eidem Samueli concedimus et tenore presentium confirmamus, promittentes ei, quamdiu steterit et ipse nobis, infrascripta pacta inviolabiliter observare. In primis quidem dictus Samuel mutuare teneatur et debeat ad usuras in Portunaonis civibus et districtui, libra Portusnaonis a duobus ducatis ultra pro parvulis quinque pro singula libra

in mense et ab inde infra pro parvulis sex pro libra in mense donec steterit et hoc super pignus mobile. Item quod dictus Samuel possit recedere ad suum libitum voluntarie, observatis eridis infrascriptis: hoc tamen addito quod si ante eridas predictas trium mensium inveniret sibi aliam mansionèm, quod in eum nullum sit et esse debeat preiudicium. Item quod in predictis eridis trium mensium dictus Samuel possit recedere ad sue libitum voluntatis cum tota sua familia. dummodo suum in domo dimittat donec eride erunt complete, non portando pignora extra terram ante eridas infrascriptas. Item quod commune predictum possit et valeat ipsum licentiare a terra quotiescumque placuerit, observatis eridis trium mensium. Item quod licitum sit dicto judeo accipere valorem et extimationem denariorum quos ipse mutuabit ad eius placitum, et hoc remaneat in discretione dicti Samuelis sine extimatione alterius persone, intelligendo semper quod pignus sit mobile. Item quod quandocumque dictus Samuel teneat aliquod pignus per annum elapsum, quod tunc dictus judeus teneatur et debeat tale pignus et dominum pignoris denunciare domino potestati qui pro tempore erit, et ipse dominus potestas participem faciat illum cuius pignus erit, si de districtu Portusnaonis erit, aliter non, quia ipse exegisse debeat dictum pignus usque ad quindecim dies, alioquin elapso dicto termino dictus judeus possit uti, frui et de pignore antedicto facere sicut de re sua, et vendi facere ut rem suam propriam. Item quod dictus judeus non teneatur mutuare aliquibus personis nolentibus solvere usuras suas, sblaffemantibus eum, dicentibus ei iniurias et facientibus opprobria. Item quod dictus Samuel nec aliquis ex sua familia non possit nec valeat modo aliquo, colore vel ingenio angarizari vel molestari pro angariis terre realibus et personalibus, tam de die quam de nocte, sed solum solvere debeat communi annuatim pro custodiis et omnibus aliis angariis pro tota eius familia ducatos auri quatuor: si pluris centum vel erunt plures, solvere teneatur pro rata. Item quod si aliquis pignora eidem impignoret que tenet furtivo modo accepta, quod ipse judeus restituere non teneatur, nisi primo habito suo capitali et utilitate etiam, si sciverit rem furtivam esse vel non. Item quod commune predictum teneatur et debeat dicto judeo et sue familie dare facere carnes pro macelatione terre, eo precio quo civibus venduntur, iugulando iuxta morem judaicum. Item quod nulli mechanici non possint ipsum judeum et familiam aggravare in preciis suarum rerum quas vendere vellet, sed tractentur ut cives. Item quod

nulla testificatio possit fieri contra dictum judeum vel eius familiam nisi per bonos christianos vel judeos. Item quod nullus civis vel districtualis terre Portusnaonis pignoret pro aliquo forense aliquod pignus in pena librarum viginti quinque soldorum pro unaquaque vice et pro quoque pignorante; forensis nichilominus si pignoraverit pro aliquo forense, denunciare debet ipsum esse forensem. Item quod quandocumque dictus Samuel vellet ire ad festum suum faciendum possit vel alio quo voluerit pro denariis vel causa altera pariter et stare, dummodo unus ad mutuandum in domo remaneat. Item quod si aliquis in christianis ipsi judeo faciet vel alicui de eius familia iniuriam aliquam dictis vel factis in domo sue habitationis, quod eidem et familie sue credatur sub sacramento iudayco, prout essent ibidem testes christiani sufficientes, et dictis eius querelis factis sub dicto eius sacramento plena fides adhibeatur, et delinquentes contra eos vel familiam puniantur, prout cives terre penitus deliquissent. Item quod commune predictum teneatur et debeat sociare facere ipsum et familiam suam intra Tulmetum et Liquentiam contra quemcumque requirat in eius recessu. Item quod quandocumque ipse Samuel recedere vellet a terra, vel commune vellet ipsum licenciare, quod tunc dictus judeus teneatur et debeat facere publice proclamare per terram Portusnaonis, per preconem terre, quod omnes habentes pignora penes ipsum illa debeant exegisse infra spacium trium mensium a die proclamationis facte computandum; alioquin elapsis dictis tribus mensibus, dictus Samuel dicta pignora faciat vendere, et possit in Portunaonis per spacium dierum quindecim, quibus elapsis dictus judeus possit facere de dictis pignoribus ut de rebus propriis, non obstante quod pignora predicta non steterint per annum completum penes ipsum judeum, salvo quod forensibus teneatur denunciare per mensem unum completum ante exspirationem dictorum trium mensium et proclamationis facte ut dicta pignora debeant exegisse. Item talem monetam quam habet et possit expendi in Portunaonis mutuare teneatur, et talis qualiter mutuabit debeat sibi restitui. Item quod commune predictum dare teneatur dictis judeis terrenum pro corporibus suorum defunctorum sepeliendis. Item quod nulla persona cuiuscunque condicionis existat possit mutuare ad usuras in Portunaonis nisi dictis judeis et iis quos duxerit eligendos. Item quod si aliquis princeps, dominus vel alia aliqua persona molestaret dictos judeos vel aliquem ex eius familia vel eius bona, quod commune predictum

teneatur eum et eius bona defendere tanquam si essent cives. Item quod dicti judei teneantur et debeant tenere muscipulas pro muribus capiendis pro custodia pignorum, et dicta pignora apulire, conquassare. ut moris est; et si dicta pignora dampnificaverit per mures vel tarmas, quod dictus judeus non teneatur et quod credatur dicto judeo si dicta pignora conquassavit. Item si dictus judeus foret captus. dictum commune teneatur litteras mittere et procurare de relaxatione ipsius toto posse sine dampno ipsius judei, tanquam si esset civis. Item quod si casus occurrat, quod Deus advertat, quod ignis accenderetur vel in dicti judei vel in domo alterius vicinorum et comburerentur ultra duo pignora vel per aliquem qui curreret adiuvare extinguere ignem derobarentur dicta pignora vel alio modo robarentur. quod dictus judeus non teneatur reficere aliquod pignus. Item quod aliquis capitaneus, potestas sive officialis terre Portusnaonis modo aliquo contra supradicta vel infrascripta pacta se impedire debeat nec articulum vel exceptionem ponere antedictis pactis, sed sit simpliciter observare. Item quod quandocumque dicto judeo videretur quod ius non esset sibi bene ministratum, quod tunc dictus judeus possit et valeat eligere tres bonos viros cives Portusnaonis, qui per fidem suam et sacramentum dicant ius dicti judei, secundum quod eis videbitur fore iustum. Item quod dictus judeus possit mutuare forensibus extra districtum terre Portusnaonis pro quanto voluerit, sine contradictione alicuius persone. Item quod dicto judeo, cuilibet de familia domus ipsius et hiis qui fuerint in domo sui, videlicet suis, ledentibus ipsum vel ipsius bona, eidem et cuilibet de familia sua plena fides adhibeatur. Item nullus ecclesiasticus sive aliquis alius possit se impedire de factis ipsius judei et eius familie nec ei participare nisi solum commune Portusnaonis. Item quod nullus judeus nec eius filius possit baptizari sine licentia sui maioris. Item quod dictus judéus possit et valeat recipere bladum a suis debitoribus super debito, aliter non. Item quod dictus judeus possit ire cum familia sua diebus quindecim pro festo suo et teneatur dimittere unum in domo ad mutuandum, non tamen secum aliquod pignus portans. Item quod dictus udeus non teneatur vendere pignora sua alicui persone, nisi primo habito suo capitali. In quorum rei testimonium presentes litteras fieri jussimus sigilli nostri communis munimine roboratas. Datum in Portunaonis, die vigesima iulii. indictione septima, millesimo tricentesimo nonagesimo nono.

Et ego Zampolinus quondam Franchi draperii de Utino, habitans in Portunaonis, publicus imperiali auctoritate notarius et cancellarius dicti communis, de mandato supradictorum dominorum capitanei et potestatis ac ex deliberatione suprascripsi.

Documentum authentic. membranac. apud municipium portusnaonense.

## CXX.

### (1400?)

**Franciscus de Richeriis nuntiat imperatori sepellisse in arca propriae cappellae cadaver Q. eius legati, in eoque esse ut monumentum ad centum gradus super terram ei apponat.**

Defuncto ipso reverendissimo Q. legato, oratore et consiliario cesareo in Portunaone, in domo mea, cadaver eius sepultum est in ecclesia parochiali dicte civitatis, in cappella quadam mea, in loco honesto, satis convenienti dignitati sue. Quod ut sepulchrum eius ornetur feci et statui ante recessum meum a Portunaone saxa preparari, et ut non sit sine nomine saxum, condidi epitaphium, et quia nollem videre ponere velle, scilicet ad centum gradus super terram, volo ut maiestas vestra videat epitaphium ipsum quod si videbit convenire, apponam, aut mutabo, vel desinam.

Ex Silino: *Raccolta de' privilegi* ec. p. 35.

## CXXI.

### (1401, 16 februarii, Sancti Viti in Carinthia.)

Wilhelmus dux Austriae Portusnaonensium votis indulgens dat potestatem *sigillo cum armis* suae *civitatis, videlicet sculptis cum duabus portis aureis in scuto Austrie super unda maris, ipsorum litteras sigillare* [1]).

Ex tabulario communis Portusnaonis editum leges in *Statuta Portusnaonis* anno 1670, p. 121; anno 1755, p. 115.

---

[1]) Sigilli clypeum quem in titulo operis *Statuta Portusnaonis* (Venetiis, 1670, 1755) excusum, litteris: *Stemma vetustissimum civitatis Portusnaonis*, et pluries ab Herrgott in *Monumenta domus austriacae* prolatum vides, civitas rite est adepta quo anno (1840) *regiae* nomine, Caesaris voluntate, est insignita, littera testimoniali huius tenoris:

## CXXII.

(1401, 16 februarii, S. Viti in Carinthia.)

**Willelmus dux Austrine domino et hominibus castri Cusani indulget ut propria animalia possint ultra pontem Zopolletae ad pascua pellere, pascere ac stramen secare super territorio Portusnaonis, dummodo eius castro annuatim duodecim staria avenae ac quadraginta octo pullos persolvant.**

Nos Guielmus Dei gratia dux Austrie, Stirie, Carinthie et Carniole, comes Tyrolis ec. Recognoscimus in presentiarum et fideli nobis dilecto Joanni Gubertino de Gubertinis de Utino, domino castri Cusani et hominibus ville Cusani, propter fidelia ipsorum obsequia nobis exhibita et in futurum exhibenda de speciali dono gratie concedimus ut omnia et singula ipsorum animalia cuiuscunque speciei fuerint, valeant et possint ultra pontem Zoppolete ad pascua pellere, ibique in et super territorio nostro pertinenti ad districtum nostrum Portusnaonis dicta ipsorum animalia depascere, ac secare de stramine sive paluto in loco Soccagliano iuxta confinia sive terminos ipsis per capitaneum assignandos, ita tamen quod annuatim dent et persolvant ad prefatum nostrum castrum Portusnaonis avene staria duodecim de mensura ipsius Portusnaonis et pullos quadraginta octo, mandantes omnibus et singulis nostris fidelibus et subiectis ad quos presentes pervenerint, videlicet prefatos Joannem Gubertinum ac homines ville

---

Seine kaiserliche königliche apostolische Majestät haben mit allerhöchster Entschliessung vom 7. Jänner d. J. der Stadtgemeinde Pordenone in der Provinz Udine im lombardisch-venetianischen Königreiche ein Wappen allergnädigst zu bewilligen geruht. Hievon wird die Stadtgemeinde Pordenone zur Legitimation über die ihr gebührende Wappenführung mit dem Beisatze verständigt, dass dieselbe berechtiget sei, sich des nachbenannten Wappens zu bedienen, nämlich: eines rothen Schildes, welchen ein schmaler silberner Querbalken durchzieht. Am Fussrande des Schildes breitet sich die offene See aus, und auf derselben erhebt sich bis an den Hauptrand des Schildes ein aus natürlichem Gesteine erbautes, gewölbtes und mit einem Giebel versehenes Thor, mit goldenen, offen stehenden Flügeln, welches in den beiden Oberwinkeln je von einer goldenen Krone beseitet ist. Den Schild umgibt eine goldene aus Arabeskenverzierungen gebildete Einfassung. Wenn dieses Wappen als Siegel gebraucht wird, ist um dasselbe die Umschrift: *Sigillo della città di Pordenone* beizufügen. Dieses Wappen darf ohne besondere höchste Bewilligung nie abgeändert werden. Wien, den siebenten April, Eintausend achthundert und vierzig.

Cusani in dicta gratia per nos ipsis facta non impediant quoquomodo. Harum sub nostri sigilli appensione testimonio litterarum.

Datum in oppido nostro ad Sanctum Vitum in Carinthia, XVI die mensis februarii, anno Domini millesimo quadringentesimo primo.

Ego Nicodemus Grandonius notarius imperialis et cancellarius ipsius communitatis Portusnaonis privilegium suprascriptum ex authentico in pergamena cum sigillo pendente in cera rubea reperto in archivo scripturarum dicte communitatis, requisitus fideliter exscripsi de verbo ad verbum, ut in eo; in quorum ec.

Chartam habet P. M.

## CXXIII.

(1401, 13 novembris, Portusnaonis.)

**Rupertus Romanorum rex nobilem Antonium de Sylarinis potestatem portusnaonensem suum familiarem declarat, eique confert clipeum in suae familiae armis deferendum [1]).**

Rupertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus nobili viro Antonio de Sylarinis imperii sacri fideli dilecto gratiam regiam et omne bonum. Quanquam regalis munificentia erga universos imperii sacri fideles de innata sibi clementia quadam generalitate multo liberalis existat, ad illos tamen uberius sue liberalitatis debet dona extendere quos pro ipsius sacri imperii honoribus fama solempnis ferventioribus testatur studiis laborasse. Hinc est quod habito respectu ad fidei constantiam et utilia sincere fidelitatis obsequia que tu Antonius de Silarinis nobis et sacro imperio fideliter exhibuisti et nobis de cetero exhibere debes, idcirco te in familiarem nostrum gratanter asserimus ceterorumque familiarium nostrorum collegio de certa scientia aggregamus, decernentes ut universis et singulis privilegiis, prerogativis, gratiis et libertatibus ubilibet fruaris et gaudeas quibus ceteri nostri familiares quomodolibet potiuntur, nec non in omnibus et singulis tibi agendis et nobis incumbentibus regale culmen sub plena fiducia implores. Insuper etiam de regie nostre majestatis munificentia tibi et a te legitime descendentibus hanc gratiam specialem facimus auctoritate

---

[1]) Quae missa sunt quod ad epistolae formam pluribus personis communem (ex qua documentum sumptum) se referunt, punctis indicavi.

regia per presentes, et te et quemlibet ex te arma sive clenodia in presentibus depicta, prout in suis ymaginibus, speciebus, figuris, circumferentiis et coloribus pictoris artificio sunt hic distincta et depincta ... ubique locorum deferre et gestare libere debeas, impedimento quolibet penitus procul moto, armis tamen aliorum quorumlibet semper salvis; quorum clipeus de lasuro existit in se continens lunam in medio et duabus stellis a superiori parte ac una ab inferiori deargentatis cum galea deargentata, habens super se manum leonis crocei coloris tenens in unguibus lunam deargentatam. . . . Datum Portenaw, die XIII novembris, anno domini millesimo quadringentesimo primo, regni secundo.

Ad mandatum domini regis Johannes Winheim.

Chmel obtulit regesta in Regesta Ruperti chronol.-diplom. Francof. 1834, ex *Registraturbücher* 1400—1519 tabularii caesarei vindobonensis unde sumpsi.

## CXXIV.

(1402, 28 aprilis. Civitatis Austriae.)

**Captum in pleno consilio Civitatis Austriae de muratoribus et lapidei operis magistris ad locum Turris nuper ruinate et combuste per homines de Portunaonis mittendis.**

1402, die 28 mensis aprilis, in Civitate Austrie, in pleno consilio ad sonum campane congregato, uti moris est, in stupa consilii deputati fuerunt ad referendum sex muratores, et cum eis paciscendum ut pro communitate vadant ad locum Turris nuper ruinate et combuste per homines de Portunaonis, ad laborandum ibidem et elevandum una cum aliis de Prata; videlicet Guielminus quondam Jacobi Puppi et Henricus quondam Fulcharini, et quidquid per ipsos Guielminum et Henricum in conveniendo cum magistris, illosque reperiendo, superius mandando, precipiendo et exigendo factum sit, ac si per totum consilium factum esset. Quibus Henrico et Guielmino data fuit in premissis per totum consilium plena auctoritas, facultas et potestas.

Chartam habet P. M.

## CXXV.

(1402, 29 aprilis.)

**Lamentatio castri Turris incensi ab hominibus de Fortunaonis, una cum omni sua sobole et penitus deleti [1]).**

O padre nostro, o re celestiale
che de mente festi l'universo,
tu sei sì iusto e sei sì grande e tale
che dir may nol potrebbe col mio verso,
summo monarcha e signor generale
a cui sol dispiacer ogni perverso,
adiutame chi io dica un gran lamento
con rime dolorose a compimento.

Adiutame chi io dica il crudel atto
d'un traditor perfido e fellone
fuor de pietade furioso e matto
per cui se reggie anchoy Porto de None
chel recepto de Torre ha disfatto
brusando quel con tutto el suo zirone.
Un padre e una madre e dieci nati
col fuocho tutti ha morti e inabissati.

Come adviene, discordia era nata
tra el gentilhomo e falso capitano
desamato da tutta la contrata,
ma quel tedesco barbaro e vilano
tuthora pensava come una fiata
destar potesse el franco castellano,
ma l'un dell' altro già non se fidava,
e così stando el tempo oltra passava.

Quel scelerato may non dormia
pensando pur come costui dessesse,
et come volse la fortuna ria
un homicida par che recevesse
quel de Ragogna per la sua folia
a nudrigar la serpe in sen se messe,
costui fo quel che contra ogni raxone
che tanto mal se fesse fo caxone.

---

[1]) Die 12 aprilis, 1402.

Due anni e mille doppo el quatrocento
quando el sole tuthor transcorea,
un mercore mattina, sel ver sento,
de aprile el duodecimo venea
quando hebbe effetto el crudel tradimento
de quel che render gratia dovea.
Hor auditi, Signor, la triste mena
delli inocenti, e la mirabil pena.

Un fabro traditor che havea morto
nella sua patria un altro suo vicino,
e inperò non poteva stare in Porto,
ma per poter tornar el can meschino
con gran sagacità presto et accorto
al capitano più che saracino
disse: se me perdoni, Signor mio,
l'entrata del castello te darò io.

E quel che havea l'animo infiamato
d'ogni veneno e d'ogni mal pensiero
respose infin: mo te perdonato,
se say far sì che occida el baciliero
et metta in piana terra ogni suo stato,
e quel rispose: questo m' è lizero:
fa pur ch' io abbia vinti de bon core
che de quel locho te farò signore.

Appareccbiata fo la sua domanda
nel zorno che in miei versi è soprasc ipto
vene inanzi l'aurora in quella banda
dove el castel de Torre è posto e fitto,
et nella fossa ch' el muro ingirlanda
dove l' asse se calla ritto ritto
duy de quella brigata se nascose
e gli altri per le stalle si se pose.

Senza far motto aspettavan el zorno
li perfidi assassin, can, renegati:
ecchо l'aurora che facea ritorno,
e nessun s'accorgea degli apiatati,
che ricevuto non haverian tal scorno.
Ma como li razij for manifestati
del sole, un del castel uscì de fora
per tuor dell' acqua senza altra dimora.

Callò giù l' asse non temendo inganno
innanzi che tornasse el sciagurato.
Quei ch' eran zu nel fosso per suo danno
ciascun de lor all' asse fu tachato
chiamando gli compagnon cum grande affanno,
e quel sentendo ciò fo ritornato,
ma quei co ssono dentro tanto forte
che non puote serar le prime porte.

Et nell' entrar che fece al tapinello
gridava: Signor mio tu sey tradito.
Li tuoi inimici è entrati nel castello,
et quello se levò tutto quanto smarito
chiamando per lo palazo e questo e quello;
subito le armi ch' el se fo vestito,
confortando ogni hom senza sospesa
venne a quel locho ove era la deffesa.

Come fur dentro tutti li traditori
et hebbeno l' entrata al suo dominio,
indreto remandar doy corredori
ch' a Porto reportassen tal latino,
come tutti eran dentro dale muori
subito venne el grande e piccolino:
audita la novella con furore
cridavan: mora, mora el traditore.

May non credette el Signor della rocha
che contro a lui venisse quella gente
perchè la guerra al capitanio tocha.
e a quel popul may offeso niente
lui non haven nè con saette nè non bocca,
Illustris et magnifice frater carissime. Sicut ad fraternam vestram caritatem antea capitaneum nostrum una cum nostris civibus Portusnaonis, cum titulis, capitulis et articulis defectuum, gravaminum et dampnorum, in quibus dicti nostri cives et tota civitas Portusnaonis a vestris gravatos se asserunt et dampna percepisse, curavimus destinare, super quibus vestra caritas omnibus et singulorum singulis responsum ad talem designacionem fecit, quod super talibus gravaminibus et dampnis, quemadmodum vobis notificati forent et essent, velletis satisfactionem eis omnimodam fieri procurare, et in quibus etiam de cetero ipsi vos informarent, in his similiter velletis eos facere ab omni querela quietos. Denuo nos caritati vestre scripsimus quod prefati nostri cives Portusnaonis per querelam nobis intimarunt quod eis iuxta vestrum responsum nondum satisfactum foret neque esset, sed plus quam in anteactis temporibus a vestris gravarentur, et maiora dampna perciperent ab eisdem; quapropter quod etiam duos providos et circumspectos cives Portusnaonis ad vos transmisimus ut vobis hec omnia exponerent et in his vos clare informarent ac peterent, ut illis tot multiplicata et innumera ac indecentia dampna, que a vobis percepissent, refunderentur in effectum. Nunc autem iterata vice dicti nostri fideles capitaneus, potestas, necnon et tota communitas Portusnaonis cum gravi querela ad nos perduxerunt quod eis post nostra scripta et informationem vobis factam, eis tam magni defectus et dampna nondum sunt refusi et ne de cetero fierent intercepti, nam vestra responsio continet in se clare quod quandocumque talium gravaminum et dampnorum ocius essetis informati, quod eis ex tunc vellet vestra caritas huiusmodi dampna refundere congruenter

et condigne. Nichilominus ad presens ad scripta nostra tale responsum se reportasse asserunt quod eorum dampna que perceperunt dolenter suffertis, et sine vestro scitu et mandato sint facta, et iidem stipendiarii qui prefata dampna eis intulerunt sint a stipendio vestro licentiati, quare huiusmodi dampnorum refusio difficiliter fieri possit. Si autem vobis prefata debito tempore notificata fuissent, ex tunc voluissetis satisfactionem omnimodam fieri demandasse, actum de cetero talia fieri . . . debeant eisdem. Insuper nobis exposuerunt qualiter tales villas, nominatim villam Fluminis citra aquam, que prius assecurata existit, assecurare iam non vultis et pretenditis eam in potestate de Prata invenisse, et etiam villam de Turri quam noster fidelis et dilectus familiaris Fridericus de Turri possidet et nos in eadem septem domus tenemus. Item duas villas que nostrorum sunt famulorum et subiectorum Portusnaonis, appellatas Flumisinum et Sedeanum. Ceterum etiam nobis exposuerunt quod ipsi non possent per stratam versus Almaniam et Ytaliam se secure conferre, nam ipsis hoc omnino pretenditur inhibere, quare eorum labores et negocia querere et exercere non valent neque possunt. Est etiam unus civium nostrorum Portusnaonis a vestris captus in Porcilleis, qui se ab eisdem vestris est coactus redimere pro LXXV florenis, quod utique nobis illicitum apparet et alienum. Quapropter vestram fraternam dilectionem et amicitiam sollicite ac seriose hortamur, sicut prius, ut dictis nostris civibus ac subiectis prefata ipsorum dampna refundere, sine dilacione seu prorogatione temporis ulterioris, ordinetur et fieri demandetur. et etiam eos strata in eorum negotiis transire et laborare ut antea, et sicut ab antiquo huc usque ad tempora presentia deduxerunt, permittatur, et eos insuper assecurare quemadmodum vestra caritas sane intelligit hoc fore licitum atque iustum, singulariter post tam amicabilem et placibilem responsionem nobis factam, et denuo ipsis amicabiliter per vos scriptam, et quemadmodum ipsi prefata ipsorum dampna tempore . . . fecerunt vobis nota, sicut pagina vestra ipsis directa hoc clare ostendit et demonstrat, et secundum quod a vobis habent litteras salviconductus et assecurationis, quarum capitula presentibus transmittimus interclusa. Similiter etiam dictas villas et specialiter Fridericum de Turri una cum suis assecurare et ne dampnificentur inhibere, specialiter eos et eorum bona habere velitis recommendatos, in eo nobis singularem amicitiam exhibentes quod nos erga vestram caritatem fraternam volumus in similibus et etiam maioribus causis voluntarie deservire

super premissis in scriptis vestram . . . habere affectantes. Datum Nove civitatis, XVIII^ma^ die mensis marcii, anno ec. XX.

Ernestus Dei gratia
archidux Austriae.

Illustri et magnifico fratri nostro carissimo, domino Thome Mocenigo duci Venetiarum.

Documentum habet P M.

## CLXIV.
## (1421.)

**Repraesentantes communitatis villae Fluminis super Guere de citra aquam obbedientiam, sacramento delato, praestant capitaneo Portusnaonis pro Ernesto Austriae duce, ac obtestantur ut ipsos secundum consuetudines antiquas et solitas ducere velit ac debeat.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo quadringentesimo vigesimo primo, indictione quartadecima, die sextodecimo mensis marcii, actum in villa Fluminis super Guere citra aquam sub nuce ante curtivum habitationis Francisci Pagnuti massarii infrascripti ser Gaspari, presentibus Corfio quondam Pasqualis de villa Fluminis ultra aquam, Johanne quondam Matthei de Pradulonis, Beachino quondam Benvenuti nepote ser Cullini, Odorico qui fuit de Cimpello, Rodulfo dicto Pino, omnibus habitantibus in dicta villa Fluminis de ultra aquam, et aliis testibus vocatis et rogatis coram magnifico et potente domino Johanne Craygher, honorabili capitaneo Portusnaonis, pro illustrissimo domino domino Ernesto Dei gratia duce Austrie ec., sedente ibidem pro antedicto domino duce, cum quo aderant honorabiles et circumspecti viri ser Georgius de Nerlis honorabilis potestas Portusnaonis, ser Daniel de la Fontana massarius communis, ser Ottobonus de Quechis, ser Gaspar de Richeriis, ser Gotardus quondam ser Johannis, Andreas quondam ser Nicolai de Popaytis, Johannes Daniel quondam Jacobi, Johannes Colaus quondam Andree, ser Nicolaus olim domini Lodovici, Antonius quondam ser Johannis Francisci de Zopola, Petrus Cucitti et alii quamplures de Portunaonis. Constituti et congregati ibidem more solito regulariter homines dicte ville, videlicet Dominicus a Ponte, Culussius eius frater, Nicolaus dictus Tonsus quondam Andree de la Volt, Franciscus Patanerius, Johannes eius

filius, Franciscus dictus Pagnut, qui fuit de Cimpello, Coradinus Provesanus eiusdem nepos, Nicolaus quondam Dominici Johannis, qui omnes representabant totam communitatem dicte ville Fluminis super Guere de citra aquam; interrogati si obbedientiam debitam facere et prestare volebant, et ut de iure debebant, prefato domino capitaneo et suis successoribus, nomine prefati illustrissimi domini domini Ernesti ducis Austrie ec. et heredum eius, omnes nemine discrepante responderunt quod obbedire et obbedientiam facere volebant et intendebant, et ad ipsum dominum capitaneum et eius successores qui pro tempore aderunt pro antedicto illustrissimo domino duce Austrie et eius heredibus recurrere velle tanquam ipsorum dominum et defensorem, et sic ibidem iuraverunt ipsi omnes, delato eis et eorum cuilibet debito sacramento per me notarium infrascriptum, debitam obbedientiam et fidelitatem prestare et facere, suplicantes ipsi domino capitaneo locumtenenti ut supra, ut ipsos secundum consuetudines antiquas et solitas ducere vellet ac deberet, qui sic ipsis se facturum promisit. Insuper ibidem Johannes filius Francisci Patanerii suprascriptus electus per antedictum dominum Johannem Craygher capitaneum in suum iuratum et officialem pro delictis si qua fierent manifestandis, et pro iuribus dicti illustrissimi domini ducis manutenendis, juravit delato eidem sacramento per me notarium infrascriptum, ipsum officium juravit bene, fideliter et legaliter facere sine fraude, de quibus omnibus suprascriptis rogatus fui publicum ac publica instrumenta unum et plura conficere eiusdem tenoris pro ipsis ambabus partibus.

Ego Paulus natus quondam ser Odorici de Valle, publicus imperiali auctoritate notarius premissis omnibus interfui et rogatus scribere scripsi, signumque meum apposui usitatum.

Membrana auth. apud P. M.

## CLXV.

(1422, 19 octobris, Novae civitatis.)

**Ernestus archidux Austriae commendat Portusnaonensibus Vernon von der Laitter, matrem degentem Portunaonis una cum rebus suis Goritiam transferre cogitantem, cui securum apparent iter.**

Ernst, von Gotes Gnaden, Erzhertzog ze Österreich ec. Erben. weisen und lieben getrewn. Vernon von der Laitter ist hie bey uns wesen und hat uns ze erkennen gegeben, wie er sein Mütter, die

yetz bey ew ze Porttenau ist, mit Hab gen Görtz zebringen, und dann villeicht verner ze furen. Bitten wir ew und begern mit Ernste daz ir ewern Fleyss tuet und helffet, daz si also sicher daselbs hin gen Görz komme. Daran tuet ir gentzlich uns Gevallen. Geben ze der Newnstat, an Montag vor XI vragind, anno ec. XXII.

A tergo: Den erben, weisen, unsern lieben, getrewn Janen von Kreygt, unsern Haubtmann, dem Potestaten, Rat und dem Commawn ze Porttenaw.

Documentum habet P. M.

## CLXVI.

(1424, 10 maii, Sacili.)

**Provisores communis Venetiarum communitati Portusnaonis arbitros utrinque eligendos proponunt, qui litem definiant super bonis Willelmini et Nicolusii de Prata a Nicolao de Bonbene comparatis.**

Spectabiles et egregii amici carissimi. Vobis per presentes notificamus quatenus hinc ad presens applicuimus capitula essentialia super loco de quo pendet questio inter serenissimam ducalem dominationem nostram Venetiarum et vestram communitatem, occasione bonorum que fuerunt olim Guielmini et Nicolusii de Prata, comparatorum per Nicolaum de Bonbene de Utino a prefata serenissima ducali dominatione nostra. Interim commissum est per sepefatam serenissimam ducalem dominationem nostram, quod esse debent tres pro parte eiusdem provisorie nostre, ac tres pro parte eiusdem vestre communitatis, unde pro alias fixando die . . . debebimus et vos avisabimus . . . debeatis . . . possint inde omnes differentie seu questiones cum affixione terminorum et aliarum rerum ibidem.

Marcus Memo
Zanetus Calvo
Jacobus Gabriel
} provisores communis Veneciarum. Datum Sacili, die decima maii, 1424.

Docum. authent. vetustate exesum penes P. M.

## CLXVII.

(1424.)

**Nicolaus de Bonben de Utino coram provisoribus reipublicae venetae in Foroiulio probat dominium, garritum et iurisdictionem villae Fluminis, quae iura communitas portusnaonensis sibi arrogare contenderat, pertinere Willelmino de Prata.**

Coram vobis spectabilibus dominis provisoribus ec. comparet honorabilis vir ser Nicolaus de Bonben de Utino, et in causa, lite seu differentia quam habet cum domino capitaneo, hominibus et communitate Portusnaonis, occasione dominii, garitus et iurisdictionis ville Fluminis ec. ac pasculorum, et intendit probare et fidem facere sufficientem per testes et alia sua iura salvo numero sufficienti, articulos infrascriptos non astringens tamen se ad probandum omnia et singula infrascripta, sed solum id vel ea que sufficiant ad victoriam sue cause, salvo iure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi ec. quolibet alio suo iure.

Et primo quod dominus Guielminus de Prata per unum, duos. tres, quinque, decem, XV, XX$^{ti}$. XXX$^{ta}$. XL$^{ta}$. L. LX. LXXX$^{ta}$. centum annos citra et ultra continuata possessione suorum antenatorum, usque ad tempus quo exivit de Prata fuit in pacifica tenuta et possessione dominii, garittus et iurisdictionis ville Fluminis faciendo et deputando ibidem suos officiales, videlicet potestatem et juratos pro jure reddendo et administrando iustitiam in civilibus et in criminalibus, et sententias tam civiles quam criminales exequendo, ac condempnando, et dampna et condempnationes exigendo pacifice et quiete, et omnia alia faciendo per se et eorum officiales, que possunt et soliti sunt facere quilibet veri domini et proprietarii possessores cujuscunque sui dominii, garitus et jurisdictionis.

Item quod omnes homines ville Fluminis tam ultra aquam quam citra aquam soliti fuerunt a tanto tempore citra quod omnium memoria in contrarium non existit venire ad visinantiam seu favolam [1]) in ipsa villa Fluminis citra aquam versus Cusanum et ad petendum iustitiam coram officialibus ipsius domini Guielmini, nemine contradicente usque ad tempus novitatum proxime preteritarum.

Item quod si quis voluit appellare a sententiis latis ab eorum potestate et officialibus ville Fluminis, se appellavit et solitus fuit appellare ad dictum dominum Guielminum.

---

[1]) Fors ager incultus, quo sensu Ducange profert *faulaium*. *Favola* eadem significatione, puto, est ager in confiniis Belluni civitatis.

Item quod semel et pluries ac multociens visa fuerunt arma nobilium de Prata super ponte aque Medune in signum confinium territorii ac dominii et jurisdictionis inter ipsos nobiles de Prata et dictam communitatem Portusnaonis.

Item quod dictus pons Medune fuit et est ac habitus, tentus et reputatus fuit pro confinio territorii et jurisdictionis ac garittus inter predictos nobiles de Prata et dictam communitatem Portusnaonis et hoc est verum publica voce et fama.

Item quod dictus dominus Guielminus affictabat ac solitus fuit affictare pascua tocius ville Fluminis et Praturloni ac Flumisini et Cimpelli usque ad pontem predictum aque Medune, et hoc per unum, duos, tres, quinque, decem, XV, XXX^ta^. XL^ta^. LX, octuaginta, centum annos et ultra precedentes recessum suum a Prata pacifice et quiete, sine contradictione alicuius persone, et hoc est verum, publicum et notorium, publica voce et fama.

Item quod tempore guerre existentis inter reverendum dominum dominum Antonium de Portogruario tunc patriarcham ecclesie aquilegensis ac nobiles comites de Prata et eorum sequaces homines ville Fluminis, tanquam subiectos dicto domino Guielmino, se concordaverunt cum nobile ser Natale fratre dicti domini patriarche, quod possent tunc stare et habitare in ipsa villa Fluminis, non obstante ipsa guerra.

Item quod omnes homines ville Fluminis tanquam existentes in territorio ecclesie aquilegensis solverent pro talea domino patriarche frixacenses decem pro focho.

Item quod de predictis omnibus et singulis est publica vox et fama.

Item quod predicti homines ville Fluminis tam citra quam ultra faciebant et soliti erant facere faciones publicas et angarias ac plovigos terre, parti et dominis ipsius terre.

Item quod ad plenam fidem omnium predictorum apparet per dominum potestatem Motte pro ducale dominatione nostra Venetiarum fuisse locatum et affictatum pascua existentia dicte ville Fluminis citra usque ad pontem Medune, tanquam jurisdictionis et dominii Prate.

A tergo: Capitula ville Fluminis contra communitatem Portusnaonis.

Ex authent. memoriali cartac. apud P. M.

## CLXVIII.

(1424.)

**Joannes Kraiger capitaneus Portusnaonis in contestatione cum Venetis super villa Fluminis citra aquam, petit restituantur ablata a Nicolao Bonben; queritur quod protulerit summam locationis a pastoribus de Tisino pro pascuis praestandam; caetera villae Fluminis citra aquam jura super pascuis, homicidiorum patratione, piscatione Portusnaonensibus, non autem Venetis favere.**

Capitula de facto ville Fluminis citra aquam.

Primo exponitur qualiter de anno presenti Nicolaus Bonben de Utino, animo et intentione turbandi possessionem ville Fluminis de citra aquam, subdite domino nostro duci, sine aliquo iure pignoravit homines de dicta villa, habitatores dominii de Portunaonis, et subditos prefati domini nostri ducis ymo verius dicendo derobavit. Quare petit dominus Johannes Craygher predictis habitatoribus, eis oblata restituantur.

Item exponitur pro parte prefati domini Johannis capitanei, quod anno presenti ipse fuit turbatus et molestatus per antedictum Nicolaum Bonben de et super possessione dicte ville Fluminis de citra, de quadam locatione per ipsum seu eius gastaldionem, eius nomine facta pastoribus de Tisino, de iure pasculorum dicte ville, in arrestando fictum sibi promissum per dictos penes quendam ser Culinum de villa Fluminis de citra aquam, iurisdictionis incliti dominii veneti, et ex post levando certum affictum qui erat penes predictum Culinum suo arbitrio, quem fictum etiam petit sibi restitui.

Item pro accusatione iurium dicte ville, homines de villa Fluminis citra aquam, cum hominibus de Portunaonis et Curianaonis, subditis domino duci comugnare semper consueverunt, illi vero de ultra aquam non, nec isti de citra aquam ultra aquam comugnare possunt, nisi forte ipse partes essent ad arandum in aliquo campo quem tenerent, et si fuerint reperti contrafacere, consueverunt pignorare, nisi eis factum concessum sit de gratia, ex voluntate vicinorum.

Item quod si quis in dicta villa Fluminis citra aquam et eius pertinentiis homicidium aliquod commiserit, consuevit continuo banum de Portunaonis habere ex parte capitanei, qui pro tempore fuit.

Item exponitur pro parte dicti domini Johannis capitanei quod Natalinus et fratres de Zopola faciunt sibi arrestare afictus quos sibi

expresse villis suis solvere consueverunt homines de villa Ovoleti pro pascuis territorii domini nostri ducis.

Item quod homines de villa Zopole in aquis domini serenissimi ducis ius non habent piscandi et tamen piscantur.

Item etiam quod illi de Cusano ducunt ad dicta pascua animalia sua ad pascendum, nec debent quia non habent ius pascendi in dictis pascuis, uti vel frui.

Documentum habet P. M.

## CLXIX.

(1424, 19 iunii, Portusnaonis.)

### De institutione monasterii et ecclesiae ordinis minorum s. Francisci Portusnaonis.

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis 1424, indictione secunda, die 19 Martis iunii. Actum in Portunaonis super sedimine et fundamentis monasterii et loci s. Francisci de Portunaone edificandi, et ubi curia dicti loci et ecclesia inchoabatur per rever. in Christo patrem et d. d. Henricum Dei et apostolice sedis gratia, episcopum concordiensem. Presentibus ibidem sp. et generoso viro d. Johanne Craygher capitaneo Portusnaonis et Guilielmo quondam Johannis de Sancto Daniele potestate dicte terre, nec non sapiente viro d. Daniele de Porcilleis, [decano concordiensi et vicario prefati domini episcopi, sapiente viro d. Georgio in iure civili licentiato, ser Romano Chonradi, ser Cresendulo de Prata, ser Martino Laute, ser Benvenuto apothecario, et venerabili viro d. presbitero Zanino vicario s. Marie de Curianaonis, Stephano de Sancto Focato cappellano in ecclesia s. Marci de Portunaonis predicto, d. fratre Blaxio de Prata, ordinis hierosolymitani s. Johannis, et aliis. Constitutus ibidem venerabilis vir d. presbiter Bartholomeus de Venetiis vicarius ecclesie s. Marci de Portunaonis, coram prefato reverendo in Christo patre et d. d. Henrico de Strassoldo Dei gratia episcopo concordiensi, dixit et exposuit quod ipse audierat, propter quod venerat illuc, ac videbat manifeste quod ipse d. episcopus concedebat et dabat licentiam quod edificaretur locus seu etiam monasterium predictum b. Francisci minorum, et quod ipse d. episcopus iam fundamenta ipsius loci et monasterii ibi incipiebat et cum locus ipse esset in confinibus sui vicariatus, protestabatur quod aliqua licentia quam dedisset vel gratia quam idem

episcopus vel alius fecisset, quod dictus locus et monasterium edificaretur, non valeat aut possit sibi dicto nomine, aut successoribus suis in aliquo preiudicare.

Qui reverendus d. d. Henricus respondit eidem presbitero Bartholomeo vicario in hunc modum, videlicet: qui habet scribere scribat: quod ego dicte ecclesie s. Marci seu ipsius vicariatui preiudicare non intendo, et licentiam quam do, ego do de mandato sanct. dom. nostri d. Martini divina favente clementia pape V, non tamen quod preiudicare debeat quovis modo dicte ecclesie s. Marci de Portunaone, vel ipsius vicariatui, vel eius iuribus in aliquo, et quatenus dicta ecclesia s. Marci habeat de funeribus, quam de legatis per testamentum vel aliter dicto monasterio et loco factis, quartam partem vel tertiam secundum consuetudinem patrie Foriiulii, excepto quod de legatis pro fabrica ipsius loci et monasterii. De quibus rogatus ego Paulus notarius publicum conficere deberem instrumentum.

Ego Paulus natus quondam ser Odorici de Ville, publicus imperiali auctoritate notarius premissis omnibus interfui, rogatus scribere scripsi, signumque meum apposui usitatum.

Ex authentico apud nobiles de Prata de Portunaonis descriptum exemplum manu Jo. Jos. Liruti servat Jac. Pirona Utini.

## CLXX.

(1424, 14 augusti, Novae civitatis.)

**Fridericus dux Austriae Portumnaonis mittit deputatos qui una cum Venetis, quaestionibus super villa Fluminis declinandis, certo loco coeant ac confinia inspiciant: ducalem pro Venetis litteram inclusam dat, ac Portusnaonensibus indicit consilio et opera adsint.**

Fridericus Dei gratia dux Austrie, ec. Spectabiles et sincere fideles. Super questionibus inter nos et dominum Venetorum occasione ville Fluminis et aliis dudum ortis, ordinavimus ad conspiciendum terminos ec. fideles nostros Georgium Holinburger vicedominum, Hainricum Verber locumtenentem in Karinthia et Wiglaf de Erolczhaim castellanum in Landskron, una cum conspectoribus Venetorum ad hoc per eosdem deputandis, et in festo sancti Galli proxime futuro, in loco prout simul concordaverunt conveniendis, dirigimus dictis Venetis scripta nostra, prout in copia videbitis presentibus interclusa, fideli-

tatem vestram requirentes attente quatenus dictis nunciis nostris modos et vias, et de singulis ad hoc necessariis ordinem et informacionem detis ut rancorum materia sedetur. Datum in Nova civitate, XXIV mensis augusti, anno Domini ec. vicesimo quarto.

D. d. in consilio.

A tergo: Spectabilibus nobisque sincere fidelibus Johanni de Kreyg capitaneo, consilio, totique communitati terre nostre Portusnaonis.

Documentum habet P. M.

## CLXXI.

(1424.)

**Joannis Kraiger capitanei Portusnaonis gravamina in Venetos, Friderico Austriae duci, puto, facta, quod hi prohibuerint suis locis iustitiam Portusnaonensibus ministrari, hos adegerint duos solidos solvere ut possent propria ex locis Venetorum abducere, victualia interceperint, boves quinquaginta quinque tempore Ludovici de Tech ablati non adhuc restituti sint.**

Super facto quod dominium Venetiae mandavit non ministretur iustitia in civitate et aliis locis, hominibus de Portunaonis.

Exponitur pro parte domini Johannis Craygher capitanei terre Portusnaonis quod contra omnem honestatem inclitum dominium Venetiarum mandaverit in civitatibus et omnibus locis dominationi sue subditis quod non ministretur iustitia alicui civi Portusnaonis, et hoc iam tribus mensibus elapsis, licet per ipsos et rectores suos bene ministretur iustitia contra homines de Portunaonis pro suis subditis.

Item quod de locis suis Aviani, Sacili, Montisregalis, de comitatu Prate non permittatur aliqua victualia adducere ad terram Portusnaonis.

Item quod si quis de Portunaonis habeat suos proprios colonos et habitatores possessionum suarum situatarum in districtibus locorum predictorum expedit vadat ad potestatem loci cui subsunt et petat licentiam ac buletam recipiat, ac solvat solidos duos pro buleta qualibet, quod possit affictum solummodo adducere, et si sunt in debito non possint super debito suo adducere, quod est in maximum dampnum hominum Portusnaonis subditorum.

Item exponitur quod tempore domini Lodovici de Tech, patriarche in patria Foriiulii existentis, per quendam Gubertum de Gumber-

tinis de Utino cum brachio marescalchi dicti domini patriarche, in campis et clesuris ville Curienaonis et eius pertinentiis fuerint de iugo partim et partim cum pascerentur accepta violenter boum capita quinquaginta quinque nec unquam fuerunt restituta, nam dum vellet restituere, iam aliqui boves erant mortui, ex quo dominus Franciscus, qui pro tunc erat capitaneus, recusavit acciperentur, et sic adveniente guerra remansit. Super quibus communitas civitatis et castri est plenius informata, que se interposuit et voluit quod restituerentur.

Documentum habet P. M.

## CLXXII.

(1424, 18 octobris, Fluminis.)

**Legati Friderici Austrie ducis et ducis Venetiarum, deputati controversiae definiendae super confinils et iurisdictione villae Fluminis, statuunt litem ad festum s. Georgii anni proximi dirimendam, quibusdam decretis quae ad iurisdictionem et pascua interim pertinent.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, indictione secunda, die Mercurii, decimo octavo mensis octobris, in villa Fluminis citra Flumen versus Portumnaonis, presentibus nobilibus et egregiis viris dominis Francischino de Zopula, Conrado Asperg, Antonio Forgate, Conrado de Monteregali, Guelmo de Sancto Daniele potestate de Portunaonis, ser Cronpo quondam ser Nicolai, ser Cresendulo de Prata, habitante Portusnaonis, Andrea Guielmi de Storya notario, cive et habitante tervisino, testibus et aliis pluribus ad hec vocatis et rogatis. Cum hoc sit quod esset et sit quedam differentia inter illustrissimum principem et dominum dominum Fridericum Dei gratia Austrie et Stirie ducem ex una parte, et serenissimum et excellentissimum ducale dominium Veneciarum ex altera, occasione confinium et iurisdictionis ville Fluminis . . . , ab aqua fluminis dicte ville citra versus Portumnaonis usque ad pontem Medune. Nunc vero spectabiles et honesti viri domini Georgius Holimburgensis vicedominus in Carantano, Vigilius Herlesaumer castelanus de Landskron, Henricus Werber vicecapitaneus in Carantano pro dicto domino duce Austrie ad hanc differentiam legati dignissimi, et spectabiles et generosi viri

domini Jacobus Gabriel et Petrus Fuscareno pro prefato dominio ducali Venetiarum legati dignissimi super dicta lite, differentia et controversia devenerunt ad tale propositum, videlicet quod dicta differentia, lis et res ac controversia indiscussa remaneat et indeterminata hinc ad festum sancti Georgii de mense aprilis proxime futuri, hoc tamen inter prefatos dominos, dictis nominibus declarato et firmato quod potestas seu iuratus dicte ville Fluminis a dicto latere citra versus Portumnaonis, qui a certo parvo tempore citra per capitaneum seu regimen Portusnaonis deputatus est ad ius reddendum in dicta villa, de presenti removeatur nec amplius ad ius reddendum in dicta villa sedeat, nec alicui ius petenti in dicta villa ministret. Item quod homines dicte ville Fluminis citra dictum flumen versus Portumnaonis nullo modo nec via accedant ad ius audiendum ad capitaneum neque regimen Portusnaonis, nec in civilibus nec in criminalibus, sed sit in eorum hominum libertate eundi ad potestatem et officialem ville Fluminis ultra dictum flumen versus Cusanum, pro iure suo consequendo. Item quod pascua dicte ville Fluminis existentia a flumine dicte ville Fluminis citra usque ad pontem Medune locentur sive affictentur per infrascriptos communes duos amicos ambarum partium predictarum, videlicet ser Petrum Bartolomei gastaldionem capitanei Portusnaonis, electum pro parte legatorum prefatorum dicti domini ducis Austrie, et ser Basilium Dessy de Prata, habitatorem dicte ville Fluminis, electum pro parte dictorum dominorum delegatorum prefati serenissimi ducalis dominii Veneciarum, et afflictus ipsorum pascuorum exigentur per predictos ser Petrum et Basilium ad hoc per dictos dominos delegatos electos, et penes eos conserventur et remaneant usque quo super dicta questione, differentia et lite fuerit aliter conclusum et determinatum, que determinatio fieri debeat immediate post dictum festum sancti Georgii, qua determinatione facta, pecunie inde exacte illi parti tradantur que pociora in hoc habuit iura. Item quod omnia exacta in preterito habita et recepta per utramque partem in possessione recipientium remaneant, donec aliter fuerit determinatum. Que omnia et singula dicte partes, nominibus quibus supra, promiserunt sibi invicem et vicissim una pars alteri et altera alteri semper de cetero servata et grata habere nunc et plenius observare et modo nullo non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, tempore vel ingenio, de iure vel de facto, sub obbligatione omnium bonorum presencium, predictis nominibus superius specificatis.

Ego Guarnerius Ol. quondam Nuvoloni de Falcho de Trevisio publicus imperiali auctoritate notarius dictis omnibus interfui, eaque rogatus de mandato dictorum dominorum scripsi.

Documentum habet P. M.

## CLXXIII.

(1425, mense majo, Portusnaonis.)

**Oratores Friderici Austriae ducis nuntiant duci Venetiarum, quod cum huius oratores iter Portumnaonis versus in die festo s. Georgii, dissidiorum super villa Fluminis componendorum gratia, distulerint, Venetias se conferent.**

Serenissime princeps et illustrissime domine. Juxta conventionem alias factam inter legatos vestre dominationis et oratores et legatos illustrissimi principis domini nostri, domini Federici ducis Austrie ec. super differentiis et dissensionibus ville Fluminis, que fuit quod lis et differentia remaneret indiscussa usque ad festum sancti Georgii proxime preteriti, mandatum habuimus a prefato illustrissimo domino nostro, ad dictum terminum huc nos conferendi, sicut ipse illustrissimus dominus noster per suas litteras serenitati vestre scripsit et post dum ipsa serenitas vestra tales litteras recepisset et salvumconductum petiissemus ab eadem, ipsa vestra serenitas in dicto salvoconducto dictum terminum, qui erat ad festum sancti Georgii, prolongavit per octo dies post, et sic ad hunc locum Portusnaonis applicuimus, putantes quod vestri oratores similiter venissent ad terminum prefixum, et sicut in capitaneo, potestate et communitate huius loci Portusnaonis percepimus ipsi, dum certi nostri familiares quos antea misimus serenitati vestre nuntiaverunt qualiter die XXVI mensis aprilis preteriti hic in sero essemus, sicut revera fuimus, quod dicta intimatio necessaria non fuisset, propterea in litteris hinc scriptis sufficienter fuit utri parti terminus prefixus, heri vero de sero dicti habuerunt unam litteram serenitatis vestre quam nobis ostenserunt, qua scribitis ut dum hic applicuerimus debeant serenitati vestre intimare, quia vestros mittere providebitis. Nos vero ex vestris scriptis comprehendimus quod adventus dictorum oratorum vestrorum nimis protraheretur, cum alias clare per vestros oratores prelibata serenitas vestra sit informata. Nos cupidi et affectuosi more solito, quum antiqua amicitia et firma caritas que dudum viguit et inviolata permansit, sic adhuc firma rema-

neat et augeatur, ad antedictam inclitam dominationem vestram nos de presenti presentialiter conferre pro decidendis differentiis decrevimus eidem vestre illustrissime dominationi complacituri, sperantes ab ipsa inclita dominatione vestra optatum et benignum more solito reportare intentum.

Ernestus Dei gratia episcopus gurcensis.
Georgius vicedominus Carintie.
Angilaus Eroltzheim.

A tergo: Litterae familiares super differentia Fluminis.

Documentum habet P. M.

## CLXXIV.

(1425, 9 augusti, Graecii.)

**Ernestus Austrie archidux antiquam erga domum austriacam Portusnaonensium fidem magni aestimans, ac damna quae in Foroiulli alibique ideo pertulerunt animadvertens, eos ab omni vectigali immunes declarat.**

Wir Ernst, von Gottes Gnaden Ertzhertzog tze Osterreich, tze Steir, tze Kernden und tze Krain, Graf tze Tyroll, tuen kunt als der hochgeborn Fürsten, unser lieber Vetter und Vater Hertzog Albrecht und Hertzog Leupolt Ertzhertzog ze Osterreich, seliger Gedachtnuss unsern lieben getrawn . . . Purgern von Partnawe, von der getrawn Dynst wegen so sy uns getan habent, und auch von der Schaden wegen, den sy in Fryaul und anderswo eingestehen ist und genomen habent, so haben wir in die Genad getan das sy mit ir aigen Hab da Niemant an Dayll hab oder gemain hab, durch alle ire und unser Land Maut Tzolfrey an alle irrung varen und gehandeln mugen ungeverleich nach des Brieffssag, den sy dan unns habent geben. Also haben wir angesehen und betracht denselben Schaden und auch die Dyenst dy sy den vorgenanden unsern Vetern und Vater getan haben und uns noch hinfüer tun schullen und mugen, und haben sy auch damit begnaden. Also was sy mit ir aignen Hab als var geschriben stat durch alle unsre Lant un Gepiet Mawt und Tzolfrey und an al irren varen und gehandeln, und auch muegen ungeverleich. Darumb emphellen wier unsern lieben getrewn Hauptlewten, Herrn, Ritter und Knechtten, Burgraffen, Richtteren, Mawteren und Tzolnern, Amptleitten

und wer dan den dyser Brieff getzaigt wiert, und wellen ernstleich das sy dieselben obgenantten Burger von Partnaw p . . . gnad peleben lassen und wider nit tun noch anders Niemands tze tuen gestatten als var geschriben statt ungeuerleich, wan wier das ernstleich maynen vrchunt des Brieffs. Geben tze Grätz am Pfinstag vor Assuntione Marie, et in millesimo IIII vigesimo ec.

Ernst.

Ich Jan van Kraiger, Hauptman dytzeyt tzw Partnaw und Gespan de . . . und Jorrch dey Nerli und Frantz van Prun, payde Purchmaister tze Partnaw tuen chunt allen . . . Haupleyten, Hern, Ritter und Knechtten, Purgraffen, Pflegern, Richtteren, Mauteren und Tzolneren, Amptleyten . . . den der Brieff getzaigt wiert das Hans Bundiol unser getraw und Purger ist und soll pille . . . Genad dy uns unser genadigen Hern der Hertzog getan habent. Geben tzw Partnaw, am Sampstag . . Kreitz D. in millesimo IIII viginti.

Chartam habet P. M.

## CLXXV.

(1425, 14 septembris, Venetiis.)

**Franciscus Foscari dux Venetiarum potestatem Portusnaonis deprecatur ut quemdam ex sicariis qui stipendiariis venetis stratam ruperunt et pauperes peregrinos derobarunt, Portunaonis latitantem, potestati Mothae puniendum transmittat.**

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum, ec. spectabili et egregio viro potestati Portusnaonis, amico dilecto salutem et sincere dilectionis affectum. Sicuti certissimi sumus vos bene novisse per aliquos sceleratos et levis conditionis homines exeuntibus ad stipendia nostra, istis diebus proxime elapsis, fuit rupta strata, ac percussi et derobati quidam pauperes peregrini, et quia de patratoribus talis excessus unus est in manibus rectoris nostri Mothe et sicut nobis affirmatum est, alius reduxit se Portumnaonis . . . tales sceleritates non minus vestre spectabilitati displicibiles et molestas esse. quod nobis . . . cedat ad damnum et jacturam totius patrie, amiciciam vestram precamur et pro universali bono hortamur, quod placeat dictum sicarium ad manus potestatis nostri Mothe transmittere, ut de eo simul cum complice suo fiat illud quod justitia suadebit. Quod certissimi sumus vobis cedet ad placitum sicut et nobis.

Data in nostro ducali palatio, die XIIII mensis septembris, indictione III, MCCCCXX quinto.

Ex membrana authent. cum sigillo plumbeo appenso. apud P. M.

## CLXXVI.

(1426.)

**Gravamina communitatis curienaonensis contra portusnaonensem, Austriae archiduci delata, quod haec quadringentas libras parvulorum sibi mutuatas non reddiderit; duplici impositioni, ementitis nominibus factae, solvendae Curienaonenses adegerit; horum domus Portunaonis sitas vi fregerit ac furata sit; bovium quadraginta quinque illis ablatorum restitutioni obfuerit.**

Ihesus.

Querimonia communitatis ville Curienaonis contra communitatem Portusnaonis.

Et primo conqueruntur dicti homines qualiter dominus capitaneus, consilium et communitas Portusnaonis rogaverunt homines et communitatem Curienaonis, quod deberent illis mutuare libras quadringentas parvulorum, promittentes dictis hominibus seu communitati restituere dictas libras IIII usque ad quatuor annos proxime futuros, prout constare debet publico instrumento manu ser Zampolini notarii, existente tunc temporis capitaneo nobilis vir dominus Chorat Permer.

Item dicunt suprascripti homines seu communitas quod tempore quo communitas et consilium Portusnaonis posuerunt quandam inpostam pro aliquibus expensis factis, ut asserebant, in Portunaonis, inposuerunt pro qualibet persona in maiori parte ducatum unum. Qui homines et communitas sencientes se gravatos, miserunt ad illustrissimum et serenissimum dominum nostrum ducem Austrie, ut dignaretur de predictis velle providere, et sic per illustrissimam ducalem dominationem vestram scriptum et mandatum fuit dicte communitati et consilio quod de presenti inpostam positam deberemus solvere, et quod de cetero non deberent inponere aliquam inpostam, quousque per illustrissimam ducalem dominationem vestram mitterentur ambassiatores ad discernendum et cognoscendum omnem et singulam differenciam, prout latius continetur in dicta littera scripta sub millesimo IIII XXII, sexta decima februarii. Quo mandato facto suprascripti do-

minus potestas, consilium et commune Portusnaonis de novo inposuerunt aliam inpositionem librarum quadraginta parvulorum. Et dicunt posuisse pro aliquibus custodiis Portusnaonis ad pontes dicte terre, tempore quo gentes Venetorum existebant super territorio Portusnaonis, offerentes nos semper fore paratos ad faciendum custodias in castro, prout temporibus preteritis consuetum est et fuit, et semper dicendo quod non volebamus preterire mandata ducalis dominationis vestre, ne in posterum pateremur aliquod dampnum. Qui dictus potestas, consilium et communitas non attendentes verba prolata, absque dolo aliquo, vi fregerunt domos hominum de Curianaonis sitas in Portunaonis pro dictis libris XL parvulorum, et abstulerunt de dictis domibus bladum, vestimenta et alias res, maximum dampnum et detrimentum suprascriptis hominibus et dicte communitati, non obstante quod fecerimus de Portunaonis de dictis libris XL semper instando quod deberent supersedere, donec illustrissima ducalis dominacio vestra determinaret, an deberemus solvere, an non, quod nec facere nec supersedere voluerunt.

Insuper non obstante quod solveremus primam inpostam, quando littera fuit missa suprascriptis, dominus potestas, consilium et commune voluerunt quod solveremus duplum prime inposicionis posite, que erat ducatum unum pro quolibet, et sic oportuit facere. Quare dicta communitas et dicti homines ville Curienaonis supplicant illustrissimam et excellentissimam ducalem dominacionem vestram, dignare velit mandare dicto domino potestati, consilio et communitati predicte, quatenus dare, solvere et restituere debent dictas libras quadringentas eisdem mutuatas, cum dampnis pariter et expensis ac interesse, sicut debite tenentur ad restitucionem.

Item dicunt dicti homines quod unusquisque habens domum in Portunaonis singulo anno solvunt communitati pro custodia solidos IIII parvulos VIII, sicut antiquitus consuetum est.

Item dicunt quod si dominus potestas, consilium et commune Portusnaonis vellent dicere quod homines de Curianaonis debent et tenentur facere omnes et singulas facciones in terra Portusnaonis, prout alii vicini faciunt, dicunt dicti homines de Curianaonis quod vicini et homines habitantes extra Portumnaonis habent dacia et omnia utilia in dicta terra, et sunt divisi a suo judicio, et sunt suppositi domino capitaneo Portusnaonis, et ultra non possunt vendere vinum ad spinam in dicta terra in magnum dampnum et detrimentum ipsorum, et quod

bene tenentur in conducere liguamina, petras et alia necessaria ad tuendum castrum Portusnaonis, et non in auxilium dicte terre.

Item dicunt dicti homines quod eo tempore, existente capitaneo domino Francisco Strosser milite et ser Ugone eius fratre, per suprascriptos pignorati fuerunt certi districtuales ville Cusani, super territorio domini ducis Austrie, et facta dicta pignoracione post parumper temporis, ser Johannes Gubertus de Cusano depredavit penes villam Curienaonis certis habitatoribus dominationi vestre suppositis boves XLV, et eos conduxit Utinum, et volentes dicti homines exigere dictos boves, dominus potestas, consilium et commune Portusnaonis mandaverunt quod non deberent exigere, et sic predicti fuerunt et sunt in maximum dampnum et detrimentum suprascriptorum hominum.

Item quod communitas Civitatis Austrie se interposuerunt velle quod dicti boves restituerentur, et conduci fecerunt certos boves exiguos usque ad pontem superiorem Portusnaonis, et de residuo volebant facere fideiussionem, et dominus potestas, consilium et commune Portusnaonis noluerunt, et sic res remansit. De quibus omnibus suprascriptis supplicant dicti homines illustrissimam ducalem dominacionem vestram dignetur de opportuno remedio providere.

Ab exemplo antiquiori, apud Petrum Montereale.

## CLXXVII.

(1428.)

**Capitaneus, consilium et commune Portusnaonis mandant Caspar et Johanni Danieli propriis legatis, quae Austriae archiduci Oeniponti referant.**

Capitula et commissio data per dominum capitaneum et consilium ac commune ser Gasparo et Zandanieli super agendis eorum domino nostro.

Primo post debitam recommendationem, supplicare prefato illustrissimo domino nostro ut nos recommissos habere dignetur, ac confirmare iura et privilegia nostra, prout predecessores sui fecerunt.

Item exponendi eidem qualiter deliberatum est per consilium et communitatem suam Portusnaonis una cum domino capitaneo fortificare terram suam uno barachano [1]) extra muros, et quod homines qui

1) Pila parieti muniendo exterius adstructa, latine *anterides* (numero tantum plurali) et *erisma*, itale *barbacane*, alem. *Stützmauer*.

domus habent in dicta sua terra manus suas ponant adiutrices, nec putamus sint qui contradicant aut sint inobbedientes sicut homines de Curianaonis, qui nunquam curaverunt adiuvare fortificare dictam terram, licet maior pars domorum que sunt in dicta terra sit ipsorum de Curianaonis.

Item exponendi prefato illustrissimo domino nostro de facto ville Flumisini, quomodo dominium venetum illam sibi nuper appropriavit creando dampna que nos et nostri diversimode passi sumus, ad que providenda non videtur nisi quod prefatus dominus noster provideat, humiliter scribendo unam litteram dicto dominio credentialem in personam prefato domino capitaneo suo.

Item, si videbitur, procurare quod homines de Curianaonis venire debeant ad terram suam Portusnaonis ad iudicium coram domino capitaneo, vel eius gastaldione. Et si hoc non placebit eidem, quod saltem, si homines de Portunaonis in Portunaonis de bonis intratibus [1]) suis dederint alicui predictorum de Curianaonis qui possit ipsum coram potestate Portusnaonis convenire, ut iura volunt, nomine contractus.

Item super facto Johannis Groft de Rochspurgh qui non observat litteras quas habemus, qui accipit grossum unum pro equo et quolibet bono.

Item similiter procurare quod illi qui erunt sub domino comite Zilie etiam observent litteras prefati domini nostri, cum sint modo eiusdem subditi.

Item si videbitur tempus facere memoriam eidem domino nostro de ruyna castri sui Portusnaonis, ut avisatus provideat si placebit.

Locus sigilli cerei cum porta, insigni civitatis. Documentum habet P. M.

## CLXXVIII.

### (1428.)

### Descriptio itineris legatorum portusnaonensium Gasparis et Johannis Danielis ad archiducem Austriae, Oeniponti, a die 24 octobris ad 23 novembris a. 1428.

Millesimo IIII XXVIII, indictione sexta.

Die Mercurii decimotertio mensis octobris recessi a Spegnembergo cum duobus sociis de Curianaonis, causa eundi in Alemaniam.

---

1) *Intrata* idem est ac *redditus*. „Itemque omnes redditus et obventiones, et intratas et res . . .“ Statuta massil. libr. I, c. 1, §. 1.

et applicuimus illo sero ad Sanctum Danielem, et ibi expenditi fuerunt solidi triginta duo.

Die Jovis decimaquarta.

Dicta die ivimus ad Hospitale et ibi expendimus solidos viginti in prandio et pro feno equorum. In Venzono vero dicta die pro ferando unum equum solidos sex et pro potu solidos duos, pro ipsis ser Jecurilinus de Venzono recepit me equaliter.

Demum dicta die equitavimus ad Sclusam [1]), sed antequam illuc applicuerimus, expendimus etiam in Venzono solidos novem pro clavis et maleo, et per viam vero eundo Sclusam ultra montium solidum unum. In hospitio Scluse solidos quadraginta. Mill. viginti sex.

Demum equitavimus die Veneris ad Pontiebam [2]), expendimus solidos undecim.

Dicta die ad Malumborgetum [3]) expendimus vianenses [4]) triginta octo.

Ungule equi vianenses VI.

Demum applicuimus in loco videlicet villa que vocatur Camporosso, ibi expendimus vianenses sex.

Dicta die in Cachon applicuimus in sero et ibi cenavimus et expendimus vianenses quinquaginta: dormivi cum ancilla hospitii, dedi sibi solidos quatuor. Sunt milliaria viginti quatuor.

Die sabati in mane inde recessimus et applicuimus ad abatiam et castrum Oristang, distans ab inde per quinque milliaria, sed est pessimum iter: ibi pransi sumus et expendimus vianenses XXXIII.

Deinde equitavimus illo sero usque Villacum [5]): reperitur in itinere quoddam fortissimum castrum quod vocatur Vedron, a cuius una parte labitur fluvius qui vocatur *la Zegla*, magnus quippe valde. Sunt milliaria viginti.

A parte una Villachi labitur fluvius maximus et pulcerimus qui vocatur Dian. Est equidem pulcra civitas et fortissima: ibi applicuimus et cenavimus et expendimus vianenses centumquinque. Demum die dominico post prandium, bona hora, recessimus et equitavimus

---

[1]) *Clausa* ital. *Chiusa*. [2]) *Pontebba* alemann. *Pontafel*. *Pons Fellae* ital. *Pontebba* alem. *Pontafel*. [3]) *Malborget*, in Carinthia, ut et loca caetera usque *Frisacum*. [4]) Duo nummi vianensis tribus denariis astensibus aequivalent. [5]) *Carnicum Julium*, ut et *Vaconium* ac *Villacum* alem. *Villach*.

usque ad Sanctum Vitum de Carinthia [1]). Sunt milliaria XXXII: sed antequam illuc applicuerimus, reperiuntur multa castra pulcerima et fortia; expendimus in una villa vianenses octo. In sancto Vito emimus duo sacodalia per vianenses duodecim. In cena et prandio, videlicet die lune ad prandium expendimus et pro equis libras tres et medium vianensem: deinde equitavimus illo die usque ad Vrisach [2]): est equidem pulcra terra: ibi stetimus ad cenam et in crastinum ad prandium usque ad meridiem et ultra, et hospes vocatur Nicolaus Crayger, et fecit nobis magnam curialitatem, quia cognoscebat socios meos: sunt milliaria viginti quinque. Die Martis ibi expendimus pro equis viginti quatuor vianenses, et pro nobis viginti quatuor, quia noluit plus. Emi unum par stibaliorum pro septuaginta vianensibus: et dicta die, videlicet die Martis equitavimus per decem milliaria sive duodecim, quia tarda erat hora, usque ad Forum novum [3]), sed ibi non reperitur valde bonum hospitium. Expendimus pro equis et pro nobis vianenses quinquaginta quatuor.

Deinde videlicet die Mercurii equitavimus ad Sagulin [4]): ibi stetimus in prandio et expendimus pro nobis et equis vianenses triginta duo, sed expendi pro famula solidos quatuor.

Deinde equitavimus ad Judenburch [5]): est equidem satis pulcra civitas cum pulcris domibus: ibi fecimus collationem: expendimus vianenses decem.

Deinde equitavimus ad Nuchtiluelth [6]) illo sero et ibi stetimus ad cenam et expendimus vianenses quadraginta duos: fecimus illa die XXXVI milliaria.

Die Jovis in mane fecimus inde collationem et expendimus vianenses sex.

Deinde recessimus et equitavimus ad Sanctum Michaelem [7]): est equidem parva terra et non pulcra: ibi pransi sumus et expendimus vianenses quinquaginta: est malus hospes.

Deinde equitavimus usque ad quandam civitatem que vocatur Leunz [8]), ubi moratur domina duchessa, et ibi sunt pulcerime domicelle: ibi cenavimus et expendimus vianenses quinquaginta: fecimus milliaria XXXII. Et in mane videlicet die Veneris fecimus collationem et expendimus vianenses octo, et equitavimus ad quoddam castrum

---

[1]) *Sanctus Vitus* alem. *St. Veit.* [2]) *Frisacum* alem. *Friesach.* [3]) *Neumarkt* in Stiria, ut et loca alia usque *Irdning.* [4]) *Scheifling* [5]) *Idunum* et *Varunum* alem. *Judenburg.* [6]) *Knittelfeld.* [7]) *St Michael.* [8]) *Leubum* alem. *Leoben* et *Leuben.*

quod vocatur Hernau, ubi reperimus dominum Conradum Crayger cum fratribus suis. Expendimus in hospitio in alia villa de prope iuxta dictum castrum ducatum unum et vianenses viginti, de die Veneris in sero ad cenam usque ad diem dominicam ad prandium.

Sed quia non potuimus habere expeditionem a domino Conrado, stetimus ibidem usque ad diem Martis et expendimus ibidem de dicta die usque ad diem Martis ad prandium et pro prandio ducatum unum, vianenses quatuor.

Deinde stetimus ibi adhuc usque ad diem Veneris et expendimus pro feratura equorum trium, exceptis duobus pedibus, vianenses quadraginta septem: pro pifaris qui honoraverunt nos et pro liutis vianenses viginti: pro expensis vero ducatos duos, vianenses quadraginta septem. Item donavimus domino Conrado ducatos duos, et cancellario suo ducatum unum, vianenses viginti.

Item domino Johanni fratri suo ducatos duos. Adhuc stetimus ibidem usque ad diem Sabati, et donavimus cuidam familiari domini Johannis vianenses viginti. Item domine et famulo suo in hospitio vianenses octo. Item die dominico de mane inde recessimus et equitavimus usque ad quandam villam ubi pransi sumus, redimus ad Leunz quia oportuit nos illuc transferre: expendimus ibidem in prandio vianenses viginti duos.

Die dominico expendimus pro collatione in meridie vianenses septem. Die lune ibidem pro collatione in mane et meridie vianenses duodecim: adhuc pro collatione vianenses tres, pro solutione literarum domini Conradi vianenses XXXII, pro expensis vero factis vianenses quatuor, ducatum unum in prandio ibidem ad Leunz: dedimus famulis vianenses decem.

Die Martis secundo novembris recessimus de Leunz causa equitandi ad dominum ducem et venimus ad hospitium nostrum primum in villa iuxta Hernau: ibi descendimus et fecimus collationem, et expendimus pro nobis et equis vianenses duodecim.

Deinde recessimus et equitavimus illo sero usque ad quandam villam que vocatur Gries [1]), ubi cenavimus et dormivimus et expendimus pro nobis et equis vianenses quadraginta quinque.

Die Mercurii tertio novembris inde recessimus et equitavimus usque ad quandam villam ibidem distantem per unum milliare theoto-

---

[1]) *Auf dem Griesz.*

nicum, ubi fecimus collationem et expendimus pro nobis et pabulo equorum vianenses viginti quinque.

Deinde equitavimus ad Rotman [1]): est equidem pulcra terra sed parva; ibi sunt valde bona hospitia: expendimus ibidem pro nobis et equis vianenses viginti. Vinum est in caro foro.

Deinde equitavimus illo sero usque ad quandam villam ubi est valde bonum hospitium, et fecimus illa die triginta milliaria et ultra: habuimus etiam pessimam viam, nam est montuosa, limosa et lapidosa: stetimus ibi illo sero et expendimus pro nobis et equis vianenses LII. Et nota, ne mireris, quod in quolibet hospitio valde providimus de equis, et vinum est in caro foro, sed valde bonum, et ibi vocatur Henspruch.

Die Jovis quarto Novembris inde recessimus et equitavimus per duo milliaria videlicet decem de nostris, et applicuimus ad Biernim [2]) ubi pransi sumus et expendimus ibidem in prandio vianenses XXXVIII. Est equidem hucusque pessima via, et tamen pulcra villa ibi et satis bonum hospitium.

Deinde equitavimus illo sero usque ad . . . . . ubi cenavimus. Est equidem satis pulcra villa et pulcer locus, sed antequam illuc applicuerimus, expendimus in alia villa vianenses duodecim. Expendimus illo sero in cena et pro equis vianenses LVII. Fecimus milliaria quindecim, quia mala via est.

Die Veneris de mane bona hora inde recessimus et equitavimus ad terram Postoi et illic stetimus in prandio. Est equidem pulcerima terra: ibi expendimus vianenses XLIII.

Deinde equitavimus illo sero usque ad Sanctum Johannem [3]) ubi stetimus in hospitio, sed non valde bono, et expendimus ibidem pro nobis et equis vianenses LII. Item expendimus pro duobus paribus manicarum vianenses XVIII, pro candelis de cera vianenses IIII.

Die sabati inde recessimus bona hora et equitavimus usque ad aliam terram sive villam que vocatur etiam Sanctus Johannes, ubi stetimus in prandio, et fuit illa die maxima nix et pluvia et malum tempus. Expendimus in hospitio vianenses XXVIII. Est equidem satis pulcra terra cum pulcris domibus.

Nota bene hic. Dicta die post prandium inde recessimus et equitavimus per quandam viam adeo periculosam quod incredibile esset. Nam

---

[1]) *Rottenmann.* [2]) *Irdning.* [3]) *St. Johann*, in ditione salisburgensi, ut et *Embach* ac *Mitterxill.*

prolongavimus iter et venimus per quendam altissimum montem bene per decem milliaria, in cuius cacumine est nemus valde periculosum et adeo altum quod quasi tangit aerem, et tota illa die, quod peius fuit, extitit omnino maxima nix, adeo quod crevit usque ad genua equorum. Narratur quod in illa via stant latrones et homicide, sed tamen secure transivimus, et hoc credo propter malum tempus. Est insuper via stricta et arcta, qua vix potest unus incedere. Illo sero applicuimus ad Emproch [1]) et ibi est quedam villa satis magna et habetur valde carum hospitium, quia vinum ibi venditur in caro foro, sicut malvaxia et est valde bonum. Oportuit nos querere unum familiarem qui conduceret nos ad certam viam. Expendimus ibidem pro nobis et equis illo sero et de mane ad prandium vianenses LXXXX: habuerunt equi duas mensuras pro quolibet. Non credo quod peior via reperiatur in toto mundo: fecimus illa die XXV milliaria.

Die dominico post prandium inde recessimus et conduximus nobiscum hospitem proprium pro familiari nostro, qui nos illic haberet conducere ad rectam viam.

Et sic dum recessimus nunc per quendam montem valde periculosum, cuius iter semper est declivium et quasi precipitium quasi per sex milliaria, et continuo equitavimus per magnam nivem, licet illa die non caderit nix.

Equitavimus illo sero usque ad quandam villam distantem a Mitersil per quam nunquam .... ibi stetimus illo sero et expendimus pro nobis et equis vianenses XXXIII, sed antequam illuc applicuerimus, expendimus adhuc in alia villa precedenti vianenses XXVI: fecimus milliaria XXV.

Die lune octavo dicti mensis inde recessimus et equitavimus per quatuor milliaria usque ad unum castrum quod vocatur Mitersil [2]), et fecimus collationem antequam recederemus, et expendimus vianenses XV. In Mitersil stetimus in prandio et expendimus pro nobis et equis vianenses LX.

Tota illa die cecidit nix, et illa die accepimus unum familiarem qui conduceret nos per stratam securam, quoniam intrabamus in territorio ducis Bavarie. Dedimus sibi pro duobus diebus libras quinque et expensas.

---

[1]) *Embach.* [2]) *Mittersill.*

Expendimus adhuc pro collatione vianenses VIII.

Dicta die equitavimus ad quandam parvam villam in qua est solum unum hospitium, et ibi stetimus in cena et expendimus pro nobis et equis vianenses centum. Habetur vinum valde in caro foro, sed de alio habetur bonum forum. Steterunt equi valde bene et habuerunt bladum per totam noctem et supererat eis. Fecimus illa die XXV milliaria.

Deinde summo mane inde recessimus et equitavimus cum familiari nostro supradicto qui vocabatur Osvaldus, et emimus vinum pro XVI vianensibus et octo pro faciendo collationem. Equitavimus per quendam maximum montem super quo est nemus valde magnum, et certe mala et pessima via et valde congelata; et applicuimus tunc ad quandam villulam parvam ubi non reperitur vinum neque panis nisi ordeaceus sive avene. Expendimus ibi pro equis nostris vianenses X. Deinde applicuimus illo sero ad quandam terram que vocatur Cel [1]), et est ibi forum. Est parva terra sed satis pulcra: habuimus ibi optimum hospicium: fui quoque valde honoratus et bene tractatus. Expendimus pro nobis et equis et pro collatione in crastinum vianenses CLXXXII. Et nota quod de cetero non expenduntur vianenses, sed solum quatrini valent ad ducatum ducenti XL, sex libre de nostris solidis. Ibi solvimus familiari nostro ducatum unum. Et deinde tunc recessimus, videlicet non credo quod alibi sit via peior sicut ista. Fecimus milliaria XXV.

Die Mercurii decimo nota quod dedimus famulo nostro ducatum unum ut adhuc nos ultra conduceret, quia via erat valde gravis et dura. Et deinde recessimus et equitavimus usque ad quandam villam per viam quandam seclusam que vocatur Orb; ibi descendimus propter magnam nivem et expendimus pro nobis et equis . . .

Deinde dicta die usque ad diem Veneris post prandium ducatos duos, quatrinos XLV, sed fuimus quatuor continuo. Et ibi stetimus usque ad dictam diem quia reperimus nostrum ducem in castro ibi proximo quod vocatur Rotimburch [2]), et ibi presentavimus litteras nostras que presentate fuerunt sibi. Et iussit ut accederemus ad Ispruch, quia illuc venturus erat. Et donavimus domino Johanni castellano dicti castri ducatum unum ut esset nobis propicius et favorabilis apud dominum. Fecimus milliaria XXX. Est castrum pulcrum et fortissimum.

---

[1]) *Cella* alemanu. *Zell*, in Tyroli ut et loca cuetera usque *Impecium*. [2]) *Rattenberg*.

Die Veneris post prandium inde recessimus et equitavimus usque ad quandam terram que vocatur Ale [1]). Est equidem bene pulcra terra: non vidi pulcriorem in Alemania, distat ab inde per XV milliaria usque ad Ispruch.

Expendimus ibidem illo sero in cena quatrinos octuaginta sex pro nobis et equis. Est ibi bonum hospitium.

Die sabati in mane inde recessimus et equitavimus usque ad Ispruch [2]) ubi erat dominus dux. Ibi ivimus ad hospitium cuiusdam hospitis qui vocatur Ypofar, qui scit bonum italicum, et est ibi maximum hospitium. Ibi illa die stetimus ad stupam, expendimus solidos VI. Et die dominico presentavimus litteras et iura nostra domino duci, que porrecta fuerant in manibus domini Hernesti episcopi gurcensis, qui est cancellarius domini ducis et ceterorum parvorum ducum, videlicet filiorum olim domini ducis Hernesti. Et nota quod ibi erant etiam dicti pueri duces quos vidi pluries. Donavimus domino episcopo predicto ducatos tres ut esset nobis favorabilis apud dominum ducem. Expendimus pro collatione extra hospitium in alio hospitio solidos XII cum quibusdam aliis sociis quos habuimus.

Expendi ego pro duabus ancillis hospitii, cum quibus habui agere, quaternos XXV, pro hospitio vero pro nobis et equis ducatos tres et solidos XXV.

Expendi ego pro cingulo equorum solidos V, pro feratura vero equi Danielis a posteriori solidos VI. Stetimus in dicto hospitio usque ad diem Jovis per totum. Illud est certe optimum hospitium. Et nota quod in Ispruch est habundantia hospitum, et meretrices sunt in magna copia.

Dicta die Jovis voluimus recedere et recessimus post vesperas et applicuimus illo sero ad cenam in quadam terra que vocatur Matrai [3]). Est satis pulcra et longa sed non in latitudine. Expendimus ibi pro nobis et equis grossos XX. Et nota quod grossus alemanus valet quinque quaternos. Expendi pro ancilla hospitis solidos quatuor. Fecimus illa die milliaria XV.

Deinde die Veneris recessimus et applicuimus ad quandam villam que vocatur Luoch [4]): expendimus in prandio quaternos XLV.

Deinde recessimus et transivimus per quandam terram abinde distantem per XV milliaria. Est satis pulcra terra et vocatur Stercin [5]):

---

[1]) *Hala ad Oenum* alemann. *Hall.* [2]) *Oenipontum* alemann. *Innsbruck.* [3]) *Matrejum* alem *Matray.* [4]) *Lueg* et *Luech.* [5]) *Stiriacum* alem. *Sterzing.*

applicuimus illo sero utique ad quandam villam que vocatur . . . . . ibidem stetimus in cena et expendimus grossos XII. Fecimus illa die XXV milliaria.

Die sabati summo mane inde recessimus et equitavimus ad prandium ad quandam terram que vocatur Mulbach [1]). Non sunt octo dies quod illa terra fuit quasi tota combusta. Ibi stetimus in prandio in bono hospitio, et expendimus pro nobis et equis grossos XII; habuerunt equi duas mensuras pro quolibet. Est enim parva terra et destructa nunc per iguem. Domina illius hospitii est optime litterata et instructa, valde pulcra et placibilis.

Expendimus pro ferandis equis quaternos XXII.

Deinde recessimus et equitavimus illo sero usque ad quandam terram que vocatur Prunech [2]) et est pulcra terra valde, sed parva: stetimus ibidem in hospitio: expendimus pro nobis et equis grossos XVI.

Expendi pro una tascha grossos XII, pro uno pari manicarum totidem.

Die dominico summo mane inde recessimus et equitavimus ad prandium usque ad Belsperch [3]), que est pulcra villa. Ibi stetimus in prandio et expendimus pro nobis et equis solidos XVIII: habuimus bonum hospitium et bonum forum. Deinde recessimus et equitavimus illo sero usque ad Impecium [4]), ubi reperiuntur Italici, expendimus tamen in quadam villa quaternos quinque. Invenitur castrum quod vocatur Botistang, fortissimum valde. Expendimus in Impecio pro nobis et equis, et in mane ad faciendam collationem solidos XLV.

Nunc reperitur Cadubrium [5]).

Die lune summo mane inde recessimus et equitavimus usque ad Sanctum Martinum: est equidem una villa non tam pulcra: ibi expendimus solidos XXIIII$^{or}$ pro nobis et equis, quia hospes non habebat multum ad comedendum.

Denique recessimus et equitavimus certe per magnum montem, a cuius inferiori parte labitur Plavis [6]). Certe illa est pessima via et valde laboriosa, et sic dicitur esse per totum Cadubrium. Expendimus in itinere, faciendo collationem, solidos quatuor. Applicuimus illo sero de nocte in Cavo de ponte [7]): est equidem villa destructa et combusta. Steti-

---

[1]) *Mühlbach.* [2]) *Brunopolis* alem. *Brunecken.* [3]) *Welsberg.* [4]) *Impezzo* seu *Cortina.* [5]) *Cadore.* [6]) *Piave.* [7]) Hodiedum *Capo di ponte.*

mus in hospitio Petriboni quod est valde bonum. Expendimus pro nobis et equis solidos LIIII$^{or}$. Fecimus illa die XXXII milliaria.

Die Martis summo mane inde recessimus et transivimus pontem Plavis, et equitavimus usque ad Saravallum [1]) ad prandium. Expendimus in quadam villa ubi fecimus collationem solidos tres. Est equidem Saravallum satis pulcra terra in quadam valle sita: habet tamen desuper montem certa fortilicia in magna altitudine. Expendimus in hospitio pro nobis et equis solidos XXXIII.

Documentum archet. chartac habet P. M.

## CLXXIX.

(1429, 2 iulii.)

**In controversia capitanei Portusnaonis cum Friderico de Turre super pascuis, producuntur testes duo supra viginti asserentes nullum hominibus de Turre pasculandi ius esse a Colesello et via quae ducit a Rovoredo ad Curiamnaonis supra.**

Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo vigesimo nono, indictione septima, die secundo mensis iulii, actum in Curianaonis in domo habitationis dicti testis quoniam est infirmus. Infrascripti sunt testes producti per egregium militem ser Georgium Gozart capitaneum Portusnaonis, super differentia inter ipsum nobilem virum dominum Federicum de Turre, que est quod prefatus dominus capitaneus probare intendit quod homines de Turri non debent nec ius habent pasculandi a Colesello et via que ducit a Rovoredo ad Curiamnaonis supra. Et dictus ser Federicus dicit quod sic et sic probare intendit per testes infrascriptos sacramentandos per me Zanussium notarium de mandato suprascripti domini capitanei.

Et primo Candidus Pizzoli de Nogaretto testis productus per dictum dominum capitaneum, delato sibi debito sacramento per me notarium infrascriptum de mandato ut supra, interrogatus dixit, quod ex auditu Farbii, Rodulfi Palme, Toni et Odorici eius fratris, homines ville Turris non habebant aliquod ius pasculandi a Colesello et via, eundo de Curianaonis Rovoredum supra, et hoc dixit audisse ab annis quinquaginta, LX et ultra. Interrogatus si scit qualiter pasculant

---

[1]) *Serravalle.*

a Colesello inferius, dixit quia solvunt dandam [1]) domino capitaneo. Interrogatus si doctus dixit: non. Interrogatus quam partem vellet vincere: ius habentem.

2. Item Jacobus Zorzi Linelle testis productus iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod ipse audivit dici ab antiquis quod homines ville Turris non habebant ius eundi ad pasculandum desuper Colesellum et viam vocatam viam Salera, et nihil aliud scire. Si doctus, non.

3. Item Antonius Micheluzzi testis productus iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod audivit dici a . . . Rustigello, et sibi monstrarit dicendo quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, et quod dicebat: ista sunt confinia a territorio domini ducis, a dominio Turris.

4. Item Dominicus Pelizzari testis productus iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod ex auditu Antonii Pelizzari patris ipsius Dominici audisset quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello prope viam eundo a Rovoredo ad Curiamnaonis supra. Interrogatus de tempore dixit quod sunt elapsi anni viginti, et dictus pater suus habebat annos centum vel circa. Si doctus, dixit non.

5. Item Mulus Cardini testis productus, interrogatus ut supra, dixit quod sunt elapsi anni sexaginta et ultra quod Odoricus Natalis, Johannes Vidalis, Franciscus Jacobi de Medio et Odoricus Muli, qui habebant annos centum decem, dicebant: Videte si invenitis homines ville Turris desuper Colesellum, verberate ipsos, quoniam non habent ius pasculandi de supra Collum et stradellam, et quod ipse testis fuit presens et vidit quod Stephanus Collati et Rustigellus verberarunt armentarium ville Turris et Veidam ac Venerium Mazzocchi habitantem in villa Turris, et hoc dixit fuisse ab annis sexaginta et ultra. Interrogatus si doctus, dixit non ut supra.

6. Item Daniel Pizzoli testis productus iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt elapsi anni 20 et ultra quod audivit a patre suo dici, quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi versus Rovoredum de Curte a Colesello supra. Interrogatus de tempore patris sui, dixit quod habebat annos 80 et ultra.

7. Item Jacobus Rodulfi Vesintini testis productus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt elapsi anni 16 et ultra

[1]) *Danda* qua voce caret Dufresne Ducange, sensu par est *tributo*.

quod audivit dici a patre suo quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi versus Rovoretum de Curte a Colesello supra, et quod pater ipsius habebat bene annos octuaginta et ultra. Non doctus ec.

8. Item Turrinus Bertossi testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni XXX et ultra quod dum esset in Rovoredo de Curte in loco vocato *Val della Crosera*, invenit armentum de villa Turris, et quia vastaverat fenum, verberavit dictum armentarium, et ibidem erat Veida Tadeus Fantutii, cui dicebat: male facis, et quando fuit reversus domum, dixit Odorico Cardino eius avo quod fecerat, cui dixit: tu bene fecisti, quoniam non habent ius pasculandi a Colesello supra, et quod dictus Odoricus habebat annos centum et plus, et non doctus.

9. Item Cardinus testis productus, iuratus et interrogatus dixit, quod sunt anni LX et ultra quod audivit a predecessoribus suis, quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, et quod tempore quo dicebant hoc, habebant annos 90 et ultra. Non doctus ec.

10. Item Jacobus de Medio testis productus iuratus et interrogatus ut supra, dixit ut superius dixit Cardinus, de tempore dixit quod sunt anni quadraginta et ultra. Non doctus ec.

11. Item Dominicus Marzotti testis productus iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni octuaginta quod dum essent insimul in domo apud ignem una cum sua familia, quidam frater suus nomine Petrus dicebat quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra versus Rovoredum de Curte, et si reperirentur quod omnes poterant pignorare de licencia domini capitanei Portusnaonis.

12. Item Blasius Agata testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod tempore quo dominus paduanus possidebat castrum Turris et esset quedam melechania [1]), homines ville Curienaonis non erant ausi venire Portumnaonis per viam rectam, sed veniebant per stratam de supra, et quod pluries et pluries audivit ab antiquis qui dicebant quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, sed a Colesello infra habebant ius pasculandi, quo-

---

1) Num morbus *melenae* similis?

niam solvebant dandam domino capitaneo Portusnaonis. De tempore dixit quod sunt anni XL et ultra. Non doctus.

13. Item Rodulfus Vesintinus testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni quadraginta et ultra quod audivit a precessoribus suis et ab aliis antiquis quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, sed a Colesello infra bene poterant pasculare quia solvebant dandam domino capitaneo Portusnaonis. Non doctus, et hoc fuit audisse tempore quo dominus paduanus tenebat castrum Turris. Non doctus.

14. Item Dominicus Marcucii Pizzoli testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni quadraginta quod audivit a Rodulfo Palme, Antonio et Pudacio, essendo in Rovoreto de Curte, quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, sed a Colesello infra bene pasculabant, quod solvebant dandam domino capitaneo Portusnaonis, et quod tempore quo dicebant hoc, bene habebant annos octuaginta et ultra. Non doctus.

15. Item Franciscus Paieri testis productus, iuratus et interrogatus, ut supra, dixit quod sunt elapsi anni quadraginta quod dum iret ad pasculandum in Rovoreto de Curte, sui predecessores dicebant: videte si invenitis homines Turris pasculare in Rovoreto de supra Colesellum, dicite quod exinde veniant, quoniam non habent ius pasculandi a Colesello supra, hoc tempore Pateris capitanei Turris pro serenissimo patriarcha, et quod nullus erat ausus transire viam stratam tunc temporis. Non doctus.

16. Item Daniel Rodulfi Marci testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit ut suprascripti dixerunt, licet per alia verba. Non doctus.

17. Item Candidus Zanini Rubei testis productus, interrogatus, iuratus ut supra, dixit quod sunt anni quadraginta, dum staret cum Johanne Parussii, ibant ad fenum iu Rovoreto de Curte, et quod dictus dicebat quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, sed abinde infra pasculabant, quoniam solvebant quandam dandam domino capitaneo Portusnaonis. Non doctus et quod tempore quo dicebat hoc, nullus erat ausus transire ultra stratam seu Colesellum et de hoc recordatur.

18. Item Zannussius Zotta testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni XL, quod audivit a Rudolfo

Palme, Petro Tissinini et Pudacii, quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, et quod recordatur quod Rudolfus Palme et Joannes eius filius pignoravit homines ville Turris, sed ignorat de homine, et hoc fuit ab annis 48 et ultra, et quod dum ser Zaninus et Rodulfus Palme essent in braida, unus ab uno capite et alter ab alio, dictus Rudolfus dicebat: videte si caderem in terra a spallis reversis, caderem super territorio meo, et si caderem a parte ante, caderem super vestrum territorium. Et non doctus.

19. Item Daniel Puppi testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni XXX et ultra quod audivit dicere a patre suo quod homines ville Turris non habebant ius pasculandi a Colesello supra, nec versus viam, veniens versus Curiamnaonis. Non doctus.

20. Item Candidus Jacobi Rodulfi testis productus, iuratus et interrogatus ut supra, dixit quod sunt anni LXX quod nunquam vidit nec recordatur quod homines ville Turris habuerint nec habeant ius pasculandi a Colesello supra seu a via eundo a Curianaonis Rovoredum. Non doctus, et sic audivit dicere a barbano suo Jacobo et aliis quamplaribus.

21. Item Antonius Petri Tissininus testis productus, iuratus et interrogatus dixit prout suprascriptus, et hoc audivisse a patre suo et ab aliis quamplaribus. Non est doctus et hoc ab annis XX, et pater ipsius habebat annos centum.

22. Item Colussius Saichi testis ut supra, dixit ut supra, et hoc ab annis quadraginta audivisse ab antiquis.

Ab exemplo recentiori apud P. M.

## CLXXX.

(1436, 23 aprilis, Paduae.)

**Frater Bartholomaeus de Plebe Sacci, vicarius provincialis ordinis minorum nuntiat Portusnaonensibus capitulum dilatum; quae pater generalis sit acturus; negotium quoddam sibi bene commendatum ait; praestabit pro fratre Leonardo quod iustitia exigit.**

Magnifice et egregie domine potestas. Consilio vestro Portusnaonis salutem in Domino Yhesu Christo ec. Audita vestra litera sic respondeo, quod capitulum nostre provincie non celebratur modo nec hinc ad VIII menses. Reverendissimus pater noster et totius ordinis

fuit nominatus pro capitulo generali celebrando in festo pentecostes et post capitulum revertetur ad istam provinciam ad tenendum capitulum de officialibus instituendis: in negotio vestro non possum vobis respondere, sed quod literam reservabo et ostendam eam capitulo: sum certus quod capitulum faciet omnia que petitis . . . de fratre Leonardo. Istum fratrem Leonardum non cognosco, quod modicum tempus est quod ego sum in isto officio, sed conabor eum cognoscere et perficiam illud quod justitia exigit. Valeat vestra magnificencia felix in Domino amen. Datum Padue, die 23 aprilis, 1430.

Frater Bartolomeus de Plebe Saci, vicarius reverendissimi patris in provincia sancti Antonii, ordinis minorum.

A tergo: Magnificho domino Georgio potestati Portusnaonis et consilio suo ibidem presentatum.

Ex authent. carta apud P. M.

## CLXXXI.

(1432, 20 decembris, Utini.)

**Leonardus Justinianus locumtenens generalis Foriiulii nuntiat Portusnaonensibus quod, ubi parati sint compromissum facere cum nobilibus de Zopola, deputabit locum quo partium arbitri conveniant, posita conditione certae restitutionis utrinque faciendae, et in eodem statu ad exactam rei definitionem manendi.**

Spectabilis et generose miles et amici carissimi. Litteras vestras accepimus continentes vos dominum capitaneum esse paratum ad compromissum faciendum inter vos ex una parte et nobiles de Zopola ex altera, in amicos communes, de quibus nominastis duos pro parte vestra videlicet nobiles viros ser Nicolaum de Gucho et ser Nicolaum de Venzono, quos quidem dicti nobiles de Zopola acceptaverunt, nosque approbavimus, fuitque nobis gratissimum utriusque iam partis amicos esse electos. Quare rogamus vestras spectabilitates ut ipsum compromissum iam confici faciatis cum dictis nobilibus, qui sunt parati et erunt presto ad omne beneplacitum vestrum. Quod ubi feceritis, mox deputabimus locum idoneum et convenientem in quo omnes partium arbitri convenire possint ac in causa procedere, et cum Dei gratia amicabiliter lis tractari, sicut iamdudum pro bono et honestate utriusque partis maxime desideravimus. Et quoniam in dictis vestris

requiritis ut prius dicti nobiles de Zopola integre solvant pro surgo [1]) et pullis quos restant vobis solvere, respondemus vobis quod ipsi se obtulerunt nobis et quod se offerunt vobis: integraliter facient suos subditos solvere, ita tamen quod et vos restituatis sibi possessionem Serinassilis in qua asserunt se fuisse. Cum utrinque convenistis et declaratum fuit quod usque ad differentie decisionem nihil innovaretur et exclusi de possessione restituerentur. Quare vos rogamus ut pro executione huius exoptati compromissi non differatis ex vestra parte acquiescere rationi. Habuimus veridicam et fidedignam informationem quod post dictam conventionem et declarationem, videlicet quod nihil innovaretur. Fuit sublatus pons quo animalia habebant transitum de locis dictorum nobilium. Itaque placeat petitioni dictorum nobilium satisfacere, ut et ipsi sicut se offerunt integre vobis satisfacturos. Super quo placeat vobis certo per vestras litteras respondere et significare locum ubi conveniendum est pro formatione compromissi.

Leonardus Justinianus patrie Foriiulii locumtenens generalis.

Ex Utino, die XX decembris, 1432.

A tergo: Spectabili (Reliqua vetustate erasa.)

Carta authent. apud P. M.

## CLXXXII.

(1433, 20 ianuarii, Venetiis.)

**Auditores novi sententiarum Venetiis, auditis utrinque partibus, laudant sententiam latam a Laurentio Longo, olim potestate Opitergii, contra Jacobum de Camponogaria coneglanensem, et in favorem camerariorum ecclesiae s. Marci de Portunaonis: praecipiunt insuper Joanni Celso potestati Opitergii, praedicta sententia, aliquali appellatione non obstante, executioni mandetur.**

Spectabiles et egregii amici carissimi. Laudavimus et approbavimus tanquam bonam et iustam latam sententiam quam tulit vir spectabilis dominus Laurentius Longo, olim potestas Opitergii, contra ser Jacobum de Camponogaria habitatorem Coneglani, et in favorem camerariorum ecclesie sancti Marci de Portunaono per quam absolvit suprascriptos camerarios sive commune Portumnaonem a petitione ipsis facta per dictum ser Jacobum, pro qua petebat dimissionem cer-

[1]) Frumentum indicum seu turcicum, botan. *zea mays*, italis *sorgo*.

torum bonorum sive peciarum terre [1]) que fuerunt quondam Nicolai della Stella, et nonnullas pecunias ec. prout in dicta sententia latius continetur. Cumque prius audivissemus inque pluribus terminis Leonardum filium et procuratorem dicti ser Jacobi, et ser Donatum de Campolongo procuratorem ecclesie sancti Andree de Seravallo, ac ser Danielem della Fontana procuratorem ecclesie sancti Marci de Portunaono, vidissemusque scripturas omnes ad hanc causam pertinentes: qua ex re vestris dicimus spectabilitatibus quod sententiam predictam tanquam bene et iuste latam et per nos approbatam . . . executioni mandari facere potestis et debetis, aliquali appellatione non obstante, et quia taxavimus expensas per suprascriptos procuratores ecclesiarum predictarum factas in hac causa appellationis in libris quinquaginta duabus et solidis XIIII parvulorum, computatis libris XXV parvulorum de quibus per alias litteras nostras scripsimus potestati Coneglani, vestram dignam spectabilitatem requirimus, quatenus his habitis dictum ser Jacobum et heredes de bonis suis ad predictarum expensarum solutionem adducatis, et has nostras litteras in actis vestris requirimus ad futuram memoriam registrari et registratas procuratoribus dictarum ecclesiarum predictis restitui. Parati ec.

Zacharias Grimani
Petrus Dandulo
Georgius Valaresso
} auditores novi sententiarum communis Venetiarum.

In XXIIII januarii, 1432 (m. v.)

A tergo: Spectabilibus et egregiis viris domino Johanni Celso, honorabili potestati Opitergii et consortibus suis, amicis carissimis.

Ex authent. carta apud P. M.

## CLXXXIII.

(1435, 28 maii, Vindobonae.)

**Fridericus imperator Tergestinis et Portusnaonensibus praecipit ut, vi pacti inter se et patruelem suum Fridericum Austriae ducem, huiusque patruelem Albertum Austriae pariter ducem, usque ad nativitatis festum, atque hinc ad sex annos initi, Friderico patrueli suo pareant.**

Honestis et prudentibus nobis dilectis et fidelibus iudicibus, consulibus, totique communitati civitatis nostre Tergesti (ut et Portus-

[1]) Pecia terrae idem est ac modus agri.

naonis) salutem et omne bonum. Ad vestram noticiam ducimus per presentes, quod facta amicabili ordinacione inter illustrem principem patruelem nostrum carissimum, ducem Fridericum ducem Austrie et nomine sui ipsius et carissimi patruelis ducis Austrie, fratris sui ex una, et nos parte ex altera, a data presencium usque ad festum nativitatis Christi proxime venturum, et consequenter sex annis continuando perduratura, sicuti in litteris desuper confectis limpidius continetur, que inter cetera personare videntur ut eidem patrueli nostro de remissione omnium dominiorum et terrarum inferiorum que quondam illustris princeps genitor suus, frater noster carissimus dux Ernestus felicis recordacionis manu tenuit et gubernabat, cedere, sibique idem regimen et gubernacionem absque cuiuslibet medii intervallo assignare debemus, ipsi quoque patruo nostro huiusmodi regimen et gubernationem arreptam, optionem et partitum habemus sive regimen terrarum nostrarum superiorum, videlicet Athesis et Svevie quod de presenti possidemus, seu regimen et gubernationem predictarum terrarum inferiorum eligendi, et sibi patrueli nostro easdem optionem et electionem ad prescriptum festum natalis Christi intimandi, quod et facere intendimus et voluntarii sumus. Insuper vestris discrecionibus et fidelitatibus districte precipiendo mandamus ut prefato patrueli nostro pareatur, omni contradictione et dilatione semota, quia vos universos et quemlibet vestrum in solidum iuramento, si quod nobis in . . . fecissetis, absolvimus et absolutos pronunciamus, actione ordinationis, ut profertur, dolo et fraude omnibus postergatis. Datum Wyenne, XXVIII may, anno CCCCXXXVto.

Potestati, consilio, civibus et hominibus civitatis ac terre nostre Portusnaonis.

Ab exemplo chartaceo tabularii caesarei vindobonensis.

## CLXXXIV.

(1435, 10 iunii, Novae civitatis.)

**Fridericus dux Austrie Portusnaonensibus mandat ut sibi, qua patrui sui Friderici in dominatione successori, per legatos ad eum sufficienti potestate Graecium destinatos, iuramentum obbedientiae praestent.**

Fridericus junior Dei gratia dux Austrie, ec.

Honesti ac prudentes fidelesque dilecti. Quemadmodum illustris princeps patruus noster adamandus, dux Albertus, dux Austrie, ec. inter illu-

strem principem, dominum et patruum nostrum preclarum ducem Fridericum, consimiliter ducem Austrie ec. ex una, et nos partibus ex altera, quandam ordinacionem atque concordiam per suam pronunciacionem effecit, in qua inter alia puncta extat comprehensum, quod prelibatus dominus et patruus noster dux Fridericus nobis cedere debeat indilate ab administratione omnium terrarum, dominiorum, civitatum, opidorum et castrorum harum partium inferiorum, et desuper nobis litteras tradidit ad omnes capitaneos, ministeriales, burgravios, officiales ac cives in civitatibus et opidis inibi universis, super obbedientia prestanda, nobisque fideliter obtemperando atque parendo, itaque vobis seriose committimus et mandamus, quatenus duos vel tres ex vobis ad infrascripta sufficienti potestate suffultos, ad diem sancte Marie Magdalene proxime venturum ad nos in Grecio destinetis. Quibus quidem vestris procuratoribus et nunciis assignare volumus litteras memorati domini et patrui nostri dilecti, ducis Friderici vobis sonantes et ab eisdem vice ac nomine vestri suscipere promissiones, obbedientiam ac juramenta. Quapropter premissa non postergetis in his mentem nostram adimplere. Date in Nova civitate, die decimo mensis junii, anno Domini ec. tricesimo quinto.

Dominus dux in consilio.

A tergo: Honestis, prudentibus, nostris fidelibus, dilectis potestati, consilio, civibus et hominibus civitatis nostre Portusnaonis.

Exemplum cartaceum habet P. M.

## CLXXXV.

### (1435, 25 iulii, Graecii.)

Fridericus dux Austriae pro se, fratre Alberto Austriae duce et haeredibus, legationis a Portusnaonensibus sibi ideo missae supplicationibus indulgens *confirmat, approbat, ratificat et innovat iura, libertates, gracias* ec. eorum, *quod erga patrem nostrum Arnestum archiducem Austrie se gesserint obsequiose operosi, et nunc pariformiter nobis se offerant assidue fervidos.*

Ex membrana originali municipii portusnaonensis prolatum documentum in
a) *Statuta Portusnaonis* ann. 1609, p. 153; ann. 1670, p. 110; ann. 1755, p. 116;
b) *Stampa della fedeliss. comunità di Pordenone*, sine l. et a. (1798), p. 26—28.

## CLXXXVI.

(1435, 17 augusti, Portusnaonis.)

Portusnaonenses Friderico iuniori, Alberto fratri ac eorum patruo Friderico seniori, Austriae ducibus ac haeredibus, *omni via, forma et modo fideles et obbedientes* se futuros testantur, *commoda et utilitates ipsorum semper executuri ac dampna et incommoda eorum aversuri, prout hereditariis principibus et dominis perpetuis* convenit.

Ex tabulario caesareo vindobon. protulit Jos. Chmel in *Beiträge zur Geschichte K. Friedrich's des Vierten*, I, 1, 33.

## CLXXXVII.

(1435, 24 augusti, Graecii.)

**Fridericus iunior dux Austriae Portusnaonensium votis indulgens spondet, expleto capitanei moderni termino, idoneum suffecturum.**

Fridericus junior Dei gratia dux Austrie ec. Honesti prudentes fidelesque nostri, sincere dilecti. Litteras fidelitatis ac obbedientie nobis per vos sub iuramento prestitas nos noveritis accepisse: in eisdem quoque super huiusmodi vestra humili subiectione nos ulterius notitiatos extitisse. Et eapropter vobis favorabilius inclinati, dispositi erimus ea recognoscere benigne ac exaudire graciose que digne duxeritis expetenda. Itaque ad vestram instantem precacionem vobis, postquam expletus fuerit capitanei moderni terminus, qui brevis est atque propinquus, alium vobis preficiemus ydoneum, qui frequentius resideat vobiscum, cupientes ut interim per brevioris sui temporis breve intervallum super hiis que nunc nobis expressistis patientes existatis, velut hactenus vos bene meritoque singulariter commendandos fideliter tenuistis atque gessistis, in hiis specialem vobis complacenciam effective ostendentes. Date in oppido nostro Grecii, die vicesimo quarto mensis augusti, anno Domini ec. tricesimoquinto.

Dominus dux in consilio.

A tergo: Honestis et prudentibus, fidelibusque nostris, sincere dilectis, potestati ac consilio, totique communi terre nostre Portusnaonis.

Docum. auth. chart. penes P. M.

## CLXXXVIII.

(1436, 3 februarii, Utini.)

**Foriiulii locumtenens dat facultatem potestati et judicibus Portusnaonis ius dicendi in causa vertente inter Odoricum pictorem et Odoricum quondam Bartholomaei de Maniaco propter quadraginta marcas.**

Spectabiles et egregii amici karissimi. Visis litteris vestris datis 2 februarii ad instanciam magistri Odorici pictoris, commisimus Rafaeli notario qui scribit in causa vertente inter dictum magistrum Odoricum ex una, seu filios eius, et Odoricum quondam Bartholomei de Maniaco ex altera, ut videret et referret nobis de qua re esset talis differentia. Qui Rafael retulit nobis quod talis differentia est occasione marcarum quadraginta denariorum, quas quidem domina Subeta uxor olim ser Olvradini de Maniaco restabat habere pro dote et juribus suis ab heredibus antedicti viri sui, quas marcas XL ser Bartholomeus de Maniaco possessor bonorum olim Olvradini promisit dare ipsi domine Subete sive ipsi domino Prophete quando maritaretur. Unum vobis dicimus quod videtur nobis vos hac causa excepta posse iuridice audire causas vertentes inter dictum magistrum Odoricum et fideiussores olim Bartholomei de Maniaco, sicuti in vestris litteris continetur. Preceptum autem non fuit factum Odorico de Maniaco ad relevandum ser Georgium indemnem, sicuti requisivistis, quia ipse magister Odoricus non voluit facere expensam pro nuncio et precepto, dicens hoc esse onus partis sibi adverse. Valete. Date Utini, die tercio februarii, 1436.

Vitalis Miani patrie Foriiulii locumtenens.

A tergo: Spectabilibus et egregiis viris dominis Francisco de la Fontana honorabili potestati Portusnaonis ac judicibus terre antedicte, amicis et karissimis.

Ex documento authent. apud P. M.

## CLXXXIX.

(1436, 9 novembris, Sancti Danielis.)

**Lucas Tronus Foriulii locumtenens Portusnaonenses reprehendit quod duos subditos Francisci Zopolae stramenta in certa commugna utrique dominio spectanti secantes apprehenderint ac, retentis gladiis et falcibus, postmodum relaxaverint: rogat ut ablata restituant et ab eiusmodi actibus in posterum desistant.**

Spectabiles et egregii amici honorandi. Graviter nobis lamentatus est nobilis, dilectus noster dominus Franciscus de Zopola quod diebus proxime lapsis vestri homines duos de villa Zopole rusticos ipsius domini Francisci segantes stramenta in certa commugna suis et vestris pariter communi, invaserunt cum armis, apprehenderunt et secum captivos adduxerunt ad Portumnaonis, non aliter quam hostili tempore et inter hostes fieret, licet eos postmodum a se relaxaverint, retentis tamen certis eorum gladiis et falcibus ad segandum, quodque et antea vestri alia quedam pignora in eadem commugna rapuerunt aliis subditis ipsius domini Francisci. Denotavit quidem nobis habere suos huiusmodi ius et facultatem segandi et pasculandi in illa commugna sicut vestros de Curianaonis, a proximo et longinquo et remotissimo tempore et temporibus, et in tali possessione fuisse ac esse, atque etiam instrumenta de iure suo offert. Addidit predictus quod tempore regiminis viri nobilis domini Leonardi Justiniani provisoris nostri, dum inter vos et eundem dominum Franciscum foret orta questio, ipse dominus Leonardus statuit quod utraque pars in sua possessione deberet remanere, donec per amicos communes vestra differentia tolleretur. Qui licet electi fuissent, tamen nihil in re egerunt, presertim cum, ut dicitur, velletis quod locus conveniendi foret in villa Sancti Advocati, qui locus nobis et aliis videretur ex certa causa sufficienti non idoneus ad hoc. Arbitror quod intelligitis fore intentionis nostre inclite dominationis venete et illustrissimi domini ducis vestri domini, quod inter vos et subditos atque fideles ipsius dominationis non debeant fieri tales actus gravi culpa et reprehensione ac pena digni. Nobis admodum displicet et displiceret prefate serenissime dominationi quod vestri talia fecerint aut presumant contra subditos prefati nostri fidelis

domini Francisci, et quantum possumus de hoc gravamur, cum vos et vestri ab inclito nostro dominio ubique bene visi et bene tractati sint. Cum itaque ex debito teneamur dictum nobilem fidelem nostrum tueri, ne a vobis ipse aut sui vim patiantur, vestras nobilitates hortamur et petimus quatenus ab huismodi actibus desistatis, permittendo eum uti possessione sua, ac etiam restituendo que accepistis, offerentes nos ad vobis iustitiam faciendam via amicorum communium seu alia convenienti, prout fuerit opportunum. Super his autem vestrum petimus responsum per huius nostrum specialem. Parati ec. Datum in Sanctodaniele, die nono novembris, 1436.

Lucas Truno patrie Foriiulii locumtenens cum salutatione.

A tergo: Spectabilibus ac egregiis viris, dominis capitaneo seu vicecapitaneo, potestati et consilio terre Portusnaonis, amicis honorandis.

Cartam authent. habet P. M.

## CXC.

(1436, 18 decembris, Venetiis.)

**Dux Venetiarum locumtenenti Foriiulii praecipit ut Joanni Cisilino utinensi roganti et sufficientem plezariam exhibenti, concedat per alios duos annos tenutam Ragoneae et redditum ac proventum eius, pro precio quo nunc habet.**

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum nobilibus et sapientibus viris Luce Truno de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii et successoribus fidelibus, dilectis salutem et dilectionis affectum. Concessimus alias fideli nostro Johanni Cisilino de Utino Ragoneam ut haberet pro precio quo eam tenebant et possidebant conductores qui tunc eam tenebant post complementum affictationis dictorum conductorum, sicut in dictis nostris litteris continetur. Nunc vero comparens ad nostram presentiam Johannes Cisilinus suprascriptus exposuit quod terminus dictorum trium annorum quibus habuit Ragoneam predictam in brevi complebit, et supplicavit, considerata fidelitate sua ut dignemur ultra terminum dictorum trium annorum per illud tempus quod nostro dominio videatur, eidem dictam Ragoneam, redditus et proventus eius concedere pro illo precio quo nunc illam habet et tenet. Nos vero, consideratis fidelibus operibus dicti Johannis ad honorem nostrum, eidem concessimus ex ultra terminum

trium annorum, quibus illam tenere debet, dictis tribus annis completis habeat et teneat dictam Ragoneam, redditus et proventus suos per alios duos annos pro illo precio quo ad presens illam tenet et habet, et propterea fidelitati vestre scribimus et mandamus quatenus dictam concessionem eidem Johanni observare debeatis, accipiendo ab eodem bonam et sufficientem plezariam [1]), sicut in similibus fieri est consuetum. Date in nostro ducali palatio, die 18 mensis decembris, indictione XV, 1436.

Ab exemplo cart. penes P. M.

## CXCI.

(1437, 16 februarii, Venetiis.)

**Franciscus Foscari, dux Venetiarum Portusnaonensibus defert querelas Francisci Panciera de Zopola, cuius subditi in pascuis suorum confinium a Portusnaonensibus gravantur, ac rogat ut pignora ablata restituantur et per arbitros utrinque deputandos, quibus per se Benedictum de Mula potestatem et capitaneum Sacili adjungit, lis de confinibus tandem componatur.**

Franciscus Foscari, Dei gracia, dux Venetiarum ec. Spectabilibus et prudentibus viris capitaneo, potestati et consilio et communitati Portusnaonis, amicis dilectis salutem et sincere dilectionis affectum. Dilectus compatriota et fidelis noster Franciscus Panciera de Zopola, qui iure pheudali tenet a nostro dominio certa prata et pascua, querelanter exponi fecit quod parte vestra sepius inquietatur, multipliciterque gravantur subditi seu coloni sui et pignerantur occasione pascuorum et pratorum que recognoscit a dominatione nostra. Unde cum alias reputaverit se gravatum et tempore locumtenentium nostrorum preteritorum et ex utraque parte fuerint deputati amici communes qui differentiam ipsam viderent et terminarent, nec tamen ipsa differentia sit definita, sed modo novissime ipsi eius subditi et coloni inquietati fuerint et pignerati, supplicavit per nos de iustitie remedio provideri, ne contra jus suis iurisdictionibus sit privatus. Nos autem in hoc optantes id fieri quod iustum sit atque conveniens, cedatque communi quieti et bono partis utriusque, amicitias vestras requirimus pariter

[1]) Cautio seu vadimonium, ab ital. *pieggeria* eodem sensu.

et inducimus ut pignora ablata predicta causa restitui faciatis, hac tamen conditione quod per illos communes amicos, qui iam sunt electi et deputati pro utraque parte, videatur locus differentie et cognoscatur si de jure dicta prata et pascua nobis et nostro pheudatario spectent an vestre communitati, et sicut cognitum fuerit et per dictos electos terminatum, sic mandetur partes servare. In qua re commisimus viro nobili Benedicto de Mula, presentialiter nostro potestati et capitaneo Sacili ut vobiscum se intelligat et sit cum electis super loco differentie, et provideat quod ea per concordium iuste et rationabiliter terminetur. Unde et vos ordinem potueritis dare cum vestris ut fiat justa decisio dicte cause, ne habeat superinde cum tedio partium amplius aliquis litigare. Datum in nostro ducali palatio, die XVI mensis februarii, indictione XV, MCCCCXXXVI (m. v.).

A tergo: Spectabilibus et prudentibus viris capitaneo, potestati, consilio et communi Portusnaonis.

Ab exemplo antiquiori apud P. M.

## CXCII.

(1437, 28 februarii, Novae civitatis.)

**Fridericus junior dux Austriae Joanni Valsecher capitaneo Portusnaonis et successoribus facultatem tribuit dissidia componendi super finium quaestione inter Portusnaonenses et Zopolenses.**

Federicus junior Dei gratia dux Austrie, Stirie, Karintie et Carniole, comes Tyrolis ec. fideli nostro dilecto Johanni Valsecher capitaneo dominii nostri Portusnaonis gratiam nostram et omne bonum.

Illud inter desiderabilia nostra reputamus precipuum, si ablatis erroribus dissensionum et pace reformata subditi nostri sub quiete vivant. Sane audivimus inter fideles et dilectos subditos dominii nostri Portusnaonis ex una, et Francischinum de Zopola partibus ex altera super quibusdam pascuis ortam controversie materiam. Cupientes ergo eorumdem parcere laboribus et expensis, tibi Johanni Valsecher capitaneo nostro prefato et singulis dicti dominii nostri Portusnaonis, qui pro tempore fuerint auctoritate nostri capitanei constituti, dedimus et concessimus, tenoreque presentium damus, tribuimus et concedimus plenam, liberam et omnimodam potestatem et mandatum speciale

tractandi vice ac nomine nostris cum prefato Francischino de Zopola seu etiam quibusvis aliis, ac statuendi in eis, conveniendi et placitandi labore et industria predictam dissensionem et controversiam et quascumque alias subortas seu fortasse oriundas, motas seu movendas, per amicabiles compositores tollendi, consudandi super eisdem, concordandi, componendi et, si opus fuerit, in premissis et eorum quolibet unum seu plures arbitrum seu arbitros, arbitratorem seu arbitratores, amicabilem compositorem seu amicabiles compositores eligendi et in eumdem seu eosdem compromittendi, ipsius quoque seu ipsorum laudum seu pronuntiamentum petendi, audiendi et appellandi ab eodem, etiam si visum fuerit appellandi seu ad arbitrium boni viri accurrendi, et generaliter omnia et singula in premissis et eorum quolibet opportuna et necessaria exercendi, que capitanei prefati dominii nostri de iure seu de consuetudine facere consueverunt et facere possent et debent, et que nos ipsi faceremus, volentes ratum et firmum habere et tenere inviolabiliter quidquid per te aut successores tuos predicti dominii nostri pro tempore nostros capitaneos seu aliquem ipsorum actum, factum seu gestum fuerit in premissis seu aliquo premissorum. In cuius rei evidentiam presentes litteras nostri sigilli appensione muniri decrevimus. Datum in Nova civitate, die ultimo mensis februarii, anno Domini ec. tricesimo septimo.

Ab exemplo antiquiori penes P. M.

## CXCIII.

(1437, 1 martii, Sacili.)

**Benedictus de Mula potestas et capitaneus Sacili mittit Portusnaonensibus epistolam ducis Venetiarum, confidens differentias inter eos et Francischinum de Zopola brevi coram arbitris componendas, se iurium venetorum defensore constituto: rogat pignora accepta a subditis de Zopola restituantur.**

Spectabiles et egregii amici carissimi. Heri recepi litteras mee dominationis cum quibus pariter una erat que per prefatam dominationem meam vestris dirigitur spectabilitatibus, quam per chaballarium meum ad vos defero. Verum enim in litteris michi per prefatam dominationem meam missis effectualiter continetur quod in differentiis et causis vertentibus inter vos et ser Francischinum de Zopola tanquam

pheudatarium dominationis mee, occasione certorum pratorum et pascuorum que ser Francischinus dominationis mee iuridicus pheudatarius recognoscit, debeam esse defensor et tueri iura que ad prefatam dominationem meam spectare noscuntur, ac etiam pheudatarii nostri. Et quasi spes michi persuadet quod in contentionibus vobiscum, coram arbitris electis omnes cause et differentie inter vos et ipsum ser Francischinum vertentes acquiescent, quoniam non ignoro quod nichil per vos petitum erat nisi quod iustum et equum erat, ac etiam per me nomine dominationis mee similiter iustum fiet. In omnibus Deo favente spero concordabimur. Et ut hec omnia sibi meliorem sortiantur effectum ac prosequi possint, vos summe rogo atque iterum rogo ut pignora per vos accepta subditis prefati ser Francischini eisdem restituatis quorum intersunt, ut non videamini in re propria vos contra ius arbitrari. Et hec restituendo quidem summopere dominationi mee ac michi gratum facietis. Rescribentes michi superinde parere vestrum, offero ec.

Benedictus de Mula, potestas et capitaneus Sacili ubi die primo marcii 1437.

A tergo: Spectabilibus et prudentibus viris capitaneo, potestati, consilio et communitati Portusnaonis amicis honorabilibus.

## CXCIV.

(1437, 8 iunii, Utini.)

**Lucas Tronus Forliulii locumtenens questus Portusnaonenses rusticos Casteglono vicinos pignorasse, quod lapides ex torrente Celinae aedificiis in Zopola reficiendis duxerint, rogat pignora restituant, nec amplius eorum lapidum conductionem, quae ab antiquo fit, prohibeant.**

Nobiles et egregii amici carissimi. Nobis lamentatus est pro parte egregii viri domini Francischini de Zopola, fidelis dilecti nostri, quod diebus proximis vos pignorastis certos rusticos de vicinitate de Casteglono qui conducebant lapides ex alveo et gravis [1]) Ciline ad Zopolam pro construendis seu reficiendis domibus suis quas habent in Zopola, quodque id fecistis contra id quod ab antiquo consuetum est, quodque semper in preterito usque in presens permissum est quibuscunque

[1]) *Glareis*, seu lapidum torrentis cursu orbiculatorum congeries.

hominibus volentibus fabricare in Zopola, conducere lapides ex Cilina et Miduna . . . Zopola, que res si per vos prohibeatur, redundabit in magnum detrimentum ipsius domini Francischini et castri sui Zopole. Nam sic tolleretur sibi modus edificia faciendi et reparandi. Quantum hec res honesta sit, ipsi vos iudicate: propterea vos rogamus quatenus pignora predictis rusticis accepta illa de causa restituere debeatis, et contra consuetum non attentetis prohibere vel pignorare accipientes lapides pro conducendo ad locum predictum Zopole, donec per amicos communes receptos super vestris differentiis terminabitur, paratus ec. Ex Utino, die VIII junii, 1437.

Lucas Truno patrie Foriiulii locumtenens generalis.

A tergo: Nobilibus ac egregiis viris, domino capitaneo, potestati et communitati Portusnaonis, amicis carissimis.

Exemplum cart. authent. habet P. M.

## CXCV.

(1437, 15 iulii, Utini.)

**Foriiulii locumtenens mittit Portusnaonensibus Joannem Cisilinum, cui fidem plenariam adhibeant, cuidam negotio Francisci de Zopola pertractando.**

Spectabiles ac egregii amici carissimi. Mitto ad spectabilitates vestras insignem et circumspectum virum ser Johannem Cisilinum fidelem, dilectum meum ad exponendum et tractandum apud spectabilitates vestras, iuxta mandatum et litteras serenissimi ducalis dominii Venetiarum, nonnulla in negotio egregii et nobilis, dilecti eiusdem dominii domini Francisci de Zopola, cui ser Johanni in dicendis et exponendis debeatis fidem plenariam adhibere.

Ex Utino, die XV iulii, 1437.

Lucas Truno patrie Foriiulii locumtenens.

A tergo: Spectabilibus ac egregiis viris, dominis capitaneo, consilio et communitati terre Portusnaonis, amicis carissimis.

Documentum authent. cartac. habet P. M.

## CXCVI.

(1438, 21 iunii, Venetiis.)

**Dux Venetiarum mandat locumtenenti Forilulli ut Joanni Cisilino reipublicae venetae benemerenti, maxime quod pluribus mensibus servierit sine stipendio in capella Bergomi, permittat per novum quinquennium possessionem Ragonee tenere.**

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum, nobilibus et sapientibus viris Victori Bragadeno de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii, et successoribus suis fidelibus, dilectis salutem et dilectionis affectum. Attentis fide et devotione probi viri Johannis Cisilini erga nostrum dominium multimode ostensis, et maxime nunc noviter, quia pluribus mensibus cum uno famulo nostro dominio servivit in capella Pergami sine stipendio, suis expensis, declaramus, volumus, sicque vobis mandamus quatenus permittere debeatis ipsum Johannem habere et tenere possessionem nostram Ragonee, quam habet ad presens, per alios quinque annos incepturos post complementum termini per quem eam nunc habet, et eo precio et omnibus conditionibus quibus nunc eam habet et tenet. Datum in nostro ducali palatio, die 21 mensis iunii, indictione prima, 1438.

Docum. authent. cart. cum sigillo, penes P. M.

## CXCVII.

(1438, 17 augusti, Utini.)

**Victor Bragadenus Forilulii locumtenens Portusnaonensibus conquestus quod vi quinque habitatores Zopolae in aqua Basaldelae piscantes aggressi, in carcerem detruserint, nec relaxaverint nisi datis fideiussionibus, rogant, discordiis declinandis, restituant retia et securitates.**

Jesus Christus.

Spectabiles et egregii amici carissimi. Nuper gravi cum querela est nobis expositum quod vos, domine capitane seu vos vicesgerens capitanei cum certis famulis vestris, existente etiam vobiscum quodam cive portusnaonensi, invasistis cum armis et vi quinque habitatores ville Çopole, subditos nobilis domini domini Francisci de Çopola conquerentis, qui piscabantur in aqua Basaldelle, que labitur inter Portumnaonis et Çopolam, et quod aliquos ex eis percussistis, quodque omnes quinque captivos adduxistis ad Portumnaonis et in carceribus detrusistis. Item quod eosdem noluistis relaxare nisi datis per ipsos

fideiussoribus et promissione de solvendo decem libras pro quolibet, aut rursus ad carceres redeundi. Nunciatum quod miratur idem dominus Francischinus quod contra eius subditos talia attentaveritis. Miramur etiam nos, si ita est, cum predicti alii de Çopola, ut dicitur, semper in preterito habuerunt facultatem piscandi in dicta aqua, ac tali possessione fuerint ac sint, nec de vobis talia sperabamus, quinymo magis iuxta promissiones per oratores et communitatem vestram factas nobis, spem firmam retinebamus quod deberetis amicos recipere ad tollendum differentias existentes, non autem quod novas discordias suscitaretis. Sciunt etiam vestre prudentie non pertinere ad vos ius vobis dicere contra subditos nostros, si etiam ista iure facere pretenderetis. Etiam scitis quod nos adversus subditos dicti domini Francischini et adversus ipsum bonam iusticiam faciemus. Propterea spectabiles amicitias vestras rogamus quatenus restituere velitis prefatis de Çopola retia et alia que eis accepistis et . . . promissiones et securitates quas ab ipsis recepistis. Denotamusque vobis quod nos predictis mandavimus sub pena eis nostro arbitrio imponenda, quatenus nullo modo debeant occasione alicuius promissionis vobis facte coram nobis comparere, nec aliquid solvere ex causa predicta. Et denique vos instanter rogamus et exhortamur quatenus pro imponendo fine discordiis omnibus velitis procedere ad electionem amicorum qui differentias confinium cognoscant et tollant. Parati ad maiora. Ex Utino, die XVII augusti, 1438.

Victor Bragadino patrie Foriiulii locumtenens.

A tergo: Spectabilibus et egregiis viris dominis capitaneo, consilio et communitati Portusnaonis amicis carissimis.

Carta authentica apud P. M.

## CXCVIII.

(1438, 19 septembris, Portusnaonis.)

**Portusnaonenses ac Fridericus de Turre, subortis inter eos controversiis de pascuis inter certos confines in documento enunciatos, iurisdictione eius loci, iure piscationis in Noncello, arbitros dicunt legum doctores Joannem Moysi de Utino et Antonium de Belgrado, qui appositis terminis utrinque non praetereundis, quaedam minutatim declarant a partibus servanda.**

In Christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, indictione prima, die Veneris, decima

nona septembris, hora tertiarum. Actum in terra Portusnaonis, sub logia communis, presentibus egregio legum doctore domino Joseph de Colle, Utini habitante et nobilibus ac honorabilibus viris ser Nicolao quondam domini Maphei de Mapheis de Verona, ser Janno quondam ser Antonii de Sanctovito, ser Thomasio olim Bixigati de la Motha, Christophoro quond. ser Gabrielis de Cordevado et Carulo de Carolli de . . . . . testibus ad hec habitis, vocatis et rogatis, ibique de omni lite, causa et differentia, seu litibus, causis et differentiis vertentibus seu que verti et esse poterant inter spectabilem militem dominum Leonardum Welscher capitaneum terre Portusnaonis pro illustrissimis principibus et dominis dominis Federico et Alberto fratribus, ducibus Austrie, ac commune et homines dicte terre Portusnaonis ex una parte, et nobilem virum s. Federicum quond. ser Joannini de Thuri parte ex altera, nomine et occasione commugne seu pascuorum sitorum inter Musile Gavornici ad ipsum Gavornicum et nemus magnum bannitum dicti ser Federici et flumen Noncelli ac viam communem, tendentem per prope clesuras dicte terre Portusnaonis, ducentem ad aquam Methune, ac nomine et occasione iurisdictionis dicti territorii siti intra dictos confines, ac confinium dicti territorii, nec non facultatis piscandi in dicto flumine Noncelli intra dicta confinia, ac dependentibus et connexis a predictis partis predicte, videlicet: Prefatus dominus Leonardus capitaneus necnon egregii viri ser Gaspar quond. ser Danielis de Richeriis potestas, ser Georgius quond. ser Nicolai de Nerlis, ser Andree quond. ser Nicolai de Popaytis, massarii communitatis eiusdem terre Portusnaonis, cum voluntate et consensu infrascriptorum consiliariorum dicte terre, videlicet ser Pauli quond. ser Odorici de Valle, ser Danielis quond. ser Richerii della Fontana, ser Sebastiani quond. ser Antonii de Monteregali, ser Joannis Danielis quond. ser Jacobi . . . quond. ser Cresendoli, ser Nicolai quondamser Ermani, ser Jacobi quond. ser Christophori de Richeriis, ser Petri quondam ser Bellini de Manticis, ser Enrici quond. ser Nicolai et mei Jacobi notarii infrascripti, ultra duas partes consiliariorum dicte communitatis in totam ipsam communitatem representantium ex una, et antedictus ser Federicus de Turri ex altera, compromiserunt et se libere dimiserunt inter egregios et famosos viros dominum Johannem Moysi de Utino, legum, ac dominum Antonium de Belgrado, decretorum doctores, ibidem presentes et onus huius compromissi in se sponte recipientes tanquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, bonos viros et communes amicos, dantes et attribuentes eis-

dem dominis arbitris plenam et liberam auctoritatem, potestatem et facultatem dictas lites, causas et differentias cum suis dependentibus omnibus et connexis audiendi, videndi, examinandi, decidendi, difiniendi, cognoscendi et arbitrandi alte et basse, de iure et de facto, prout eis videbitur et placebit hodie per totam diem, sedendo, stando quomodocunque et qualitercunque, visis, auditis et intellectis juribus partium ac ipsis partibus, dictisque partibus presentibus vel absentibus, dum tamen legitime citatis ad videndum et audiendum ferri et promulgari sententiam et arbitrium seu compositionem ferendos seu ferendas per dictos dominos arbitros, promittentesque dicte partes stare, parere et acquiescere omni laudo, arbitrio, arbitramento et sententie seu compositioni per dictos dominos arbitros ferendis et promulgandis super predictis, et ab eis non appellare, non reclamare, nec petere reductionem ad arbitrium boni viri, neque de nullitate agere, sed presens compromissum ac laudum, arbitrium ac sententiam seu compositionem male ferens, ac omnia et singula in eisdem contenta perpetuo firma, rata et grata habere, tenere et adimplere, et in nullo penitus contrafacere, dicere vel venire per se vel per alium seu alios, ratione aliqua, dolo, ingenio seu causa, de iure vel de facto, sub pena ducatorum quingentorum auri boni totiens committenda per partem contrafacientem quotiens contrafactum fuerit in aliquo predictorum, que quidem pena tota parti observanti applicetur, et qua pena soluta vel non, presens nihilominus compromissum ac sententia inde ferenda perpetuam semper obtineat firmitatem, pro quibus omnibus et singulis firmiter attendendis et plehius observandis dicte partes obbligaverunt sibi vicissim, videlicet dominus capitaneus, potestas et massarii communis omnia eiusdem communitatis, et supradictus ser Federicus omnia sua bona mobilia et immobilia, presentia et futura, rogantes et requirentes me Jacobum notarium infrascriptum et Raphaelem notarium quondam ser Raphaelis de Thorellis de Verona Utini habitantem, quatenus de premissis unum et plura, publicum et publica in consonantia conficeremus instrumentum et instrumenta.

Ego Jacobus quondam magistri Nicolai de Portunaonis, imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui et rogatus a partibus supradictis scribere scripsi, signumque meum ad huius roboris firmitatem apposui consuetum.

In Christi nomine amen. Nos Johannes Moysi et Antonius de Belgrado, legum decretorumque doctores, arbitri, arbitratores et commu-

nes amici electi et assumpti de et super lite et differentia vertentibus inter spectabilem militem dominum Leonardum Welscher capitaneum Portusnaonis pro illustribus principibus et dominis dominis Federico et Alberto fratribus, ducibus Austrie, ac commune eiusdem terre Portusnaonis ex una, et nobilem virum ser Federicum quondam ser Johannini de Turri ex parte altera, nomine et occasione commugne seu pascuorum sitorum inter Musile Gavornici et ipsum Gavornicum, et nemus magnum bannitum dicti ser Federici et flumen Noncelli ac viam communem tendentem per prope clesuras dicte terre Portusnaonis, ducentem ad aquam Methune, ac nomine et occasione iurisdictionis dicti territorii sui intra dictos confines et confinium ipsius territorii, nec non facultatis piscandi in dicto flumine Noncelli intra dicta confinia, visis dicto territorio, confinibus et aqua, et auditis pluries dictis partibus tam super loco quam extra locum. ac testibus ipsarum partium et aliis iuribus partium predictarum, et potissime visa et intellecta quadam arbitrali sententia lata alias per dominum Federicum de Pinzano et Mainardum de Ragonea, sub millesimo ducentesimo septuagesimo, indictione tertia, prima die Veneris. ultimo junii scripta manu Gregorii de Portunaonis, nec non omnibus aliis et singulis que in premissis et circa premissa videnda et considerande fuerunt et que partes predicte dicere voluerunt, et super omnibus predictis habita matura et diligenti deliberatione et pensamento ex auctoritate nobis a partibus premissis attributa, vigore compromissi in nos facti et scripti manu Raphaelis notarii, quondam Raphaelis de Thorellis Utini habitantis, et Jacobi notarii, quond. Jacobi Nicolai de Portunaonis, dicimus, pronunciamus, componimus, arbitramur, declaramus et reservamus ut infra.

Et primo declarantes supraseriptam arbitralem sententiam arbitramur et declaramus quod confinia dicte commugne et pascuorum sint et esse debeant incipiendo primo prope stratam que est inter nemus magnum bannitum predicti ser Federici a Musile Gavornici et veniendo per iuxta . . versus Portumnaonis, secundum confinia per nos apposita, et veniendo usque ad caput nemoris dicti Rodulfi gastaldionis de Turre, quod est in capite sive angulo dicti nemoris magni secundum terminos per nos appositos, et postea a dicto capite nemoris Rodulfi redeundo sursum per prope ipsum nemus Rodulfi a latere versus montes, tendendo usque ad dictum nemus bannitum, et exinde ascendendo per prope quodam pratum sive regenacium [1]) appel-

[1]) *Reganeum* idem ac *foenum autumnale.*

latum *Del Ros*, quod est iuxta ipsum nemus magnum, et eundo versus aquam Noncelli, et feriendo inter collem cretarum et collem longum, secundum etiam signa lapidea per nos apposita, et ex dictis signis descendendo per prope dictam aquam Noncelli ad viam communem exeuntem de vado appellato *El vat della Brayda*, et per ipsam viam communem eundo per prope clesuras Portusnaonis usque ad rectum fornacis Danielis de Villalta, et ex recto dicte fornacis eundo ad viam contiguam tendentem per prope fornacem communis, secundum signa lapidea per nos apposita, et ab ipsa fornace usque ad fossatum et angulum Gavornici, ubi est ultimum signum per nos appositum, et exinde descendendo per prope fossatum usque ad Musile redeundo usque ad nemus bannitum supradictum, ubi est signum per nos ibidem appositum prope stratam supradictam.

Insuper declaramus quod territorium situm ultra sive supra dictos confines versus Turrem sit et pertineat ad dictum ser Federicum, quidquid vero est subtus dictos confines tam versus Portumnaonis quam versus Methunam sit dominorum ducum et hominum terre Portusnaonis, exceptis pratis dicti ser Federici et hominum de Turri, sitis subtus dictam fornacem communis, in quibus pratis duntaxat dictus ser Federicus et homines de Turri possint pascuare et damnificantes pignorare tempore quo ipsa prata sint bannita.

Itaque sententiamus et arbitramur quod inter seu intra predictos confines supra per nos declaratos ac signa . . . illi de Portunaonis, quod illi de iure possint pasculare, buscare, secare, commungnare communiter et in diviso, declarantes quod ipsum totum territorium situm inter seu intra predictos confines et signa apposita, sit et debeat esse de dominio et iurisdictione et districtu predictorum illustrium dominorum ducum, cum hoc tamen quod tam capitaneus et homines terre Portusnaonis, quam predictus ser Federicus et homines de Turri possint et valeant pignorare extraneos pascuantes seu aliter damnificantes inter predictos confines et signa, ita quod in hoc locus sit preventioni, ut qui prius invenerit, ille valeat pignorare et habere moltam, et si concurrerent, molta dividatur. Cum hoc quoque quod si contigerit fieri seu committi aliquod delictum in territorio predicto sito intra dictos confines et signa, per aliquem subditum predictorum dominorum ducum, quod capitaneus et regimen terre Portusnaonis illius habeat cognitionem et punitionem, et e converso si contigerit aliquem de Turri delinquere intra dicta signa, quod cognitio et punitio spectet

ad ipsum ser Federicum, si vero contingeret aliquem forensem in eo territorio delinquere, quod ipsius cognitio et punitio spectet ad prefatum capitaneum et regimen Portusnaonis, ita tamen quod neutra partium possit intra dicta confinia seu signa facere novas presas seu campos sine concordi utriusque voluntate.

Insuper dicimus et declaramus quod facultas piscandi et iurisdictio ac dominium aque Noncelli a signis lapideis per nos appositis, uno videlicet citra dictam aquam inter collem cretarum et collem longum, et alio ultra dictam aquam ex opposito infra versus Portumnaonis spectet et pertineat ad dictum dominum capitaneum, a dictis vero signis . . . predicti ser Federici. Mandamus denique dictis partibus et earum utrique presentibus, sub pena in compromisso apposita, debeant laudare et approbare huiusmodi nostram sententiam, declarationem et arbitrium.

Lata, data et in his scriptis promulgata fuit suprascripta arbitralis sententia per antedictos dominos Joannem Moysi et Antonium de Belgrado, arbitros pro tribunali sedentes et per Raphaelem notarium infrascriptum de eorum mandato lecta et pronunciata sub logia communis terre Portusnaonis, sub millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, indictione prima, die Veneris, decima nona septembris, hora vesperorum, presentibus ibidem egregio legum doctore domino Joseph de Celle Utini habitante, nobilibus ac disertis viris s. Nicolao quondam domini Maphei de Mapheis de Verona, ser Thano quondam ser Antonii de Sancto Vito, Nicolao quondam ser Candidi de Meduno et Christophoro quondam ser Gabrielis de Cordovado, testibus ad hec habitis in aliisque pluribus, presentibusque supradicto domino Leonardo Velscher capitaneo, nec non egregiis viris ser Gasparo de Richeriis potestate Portusnaonis, ser Georgio de Nerlis, ser Andrea de Popaytis massariis communis dicte terre, ac ipsam communitatem representantibus ex una, et antedicto ser Federico parte ex altera, per prefatos dominos arbitros ibidem admonitis ad dictam arbitralem sententiam audiendam, quam quidem sententiam sic latam statim partes predicte ibidem laudaverunt et approbaverunt, et denique dicti domini arbitri mandaverunt Raphaeli notario quondam Raphaelis de Thorellis de Verona Utini habitanti, et mihi Jacobo notario infrascripto: ipse vero partes rogaverunt nos ipsos notarios quatenus de ipsa sententia publicum in consonantia conficeremus instrumentum.

Ego Jacobus quondam magistri Nicolai de Portunaonis publicus imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui et rogatus a partibus supra dictis scribere, scripsi, signumque meum et nomen apposui consuetum.

Et ego Raphael quondam ser Raphaelis de Thorellis de Verona Utini habitans, publicus imperiali auctoritate notarius, quia suprascriptis compromisso et sententie arbitrali, ac omnibus et singulis in eis contentis presens fui, eoque omnia una cum suprascripto Jacobo notario rogatus et requisitus scribere scripsi et in notam propriam recepi, ac ea cum nota mea inveni, ideoque me hic propria manu subscripsi, signum nomenque mea apposui consueta ad fidem et robur omnium premissorum.

## CXCIX.

(1439, 11 martii, Portusnaonis.)

**Capitaneus Portusnaonis locat Friderico de Turri Vencaredum [1]) cum territorio, cuius fines statuuntur, eo ut homines de Turri et Portusnaonis possint in eo commugnare, solvendo annuatim capitaneo unum pullum pro quolibet foco.**

Anno millesimo CCCCXXXVIIII, indictione secunda, die XI mensis martii, in Portunaonis, sub logia communis, presentibus nobilibus viris ser Gaspardo de Richeriis honorando potestate terre Portusnaonis, ser Georgio de Nerlis, ser Andrea quondam Nicolai de Popaytis massariis communis, ser Guilelmo quondam ser Johannis, ser Paulo de Valle, ser Gottardo quondam ser Johannis, ser Daniele della Fontana, ser Francisco eius fratre, ser Nicolao quondam ser Romani, ser Jo. Daniele de Gregoriis, ser Sebastiano quond. ser Antonii de Monteregale, ser Enrico quond. ser Nicolai, ser Guilelmo quond. magistri Andree phisici de Opitergio, et me Jacobo notario infrascripto, omnibus de consilio terre Portusnaonis, volentibus et ad infrascripta consentientibus et suum assensum prebentibus, ibique spectabilis et generosus vir dominus Ropertus Creuzer honorabilis capitaneus terre Portusnaonis, cum voluntate, consensu et deliberatione supradicti domini potestatis et omnium supradictorum testium de consilio, et nemine discrepante,

[1]) In communitate *Sexti*.

considerata littera illustrissimi et excellentissimi principis domini domini nostri Ernesti archiducis Austrie ec., per quam recommendat capitaneo et communitati terre Portusnaonis nobilem virum ser Federicum de Turri, considerataque bona vicinia et fidelitate, quam hactenus habuit in terra Portusnæonis, et in futurum de bono in melius sperat, per se et suos successores dedit et affictavit prefato nobili viro ser Federico per se et suos heredes stipulanti et recipienti Vencaredum cum territorio quod est citra Levatam et citra aquam Methune usque Gavornicum, ultra signa divisionis apposita, cum hoc quod homines de Turri cum hominibus terre Portusnaonis possint pasculare secure, falzare et buscare infra dictos terminos, et annuatim nomine affictus predicti homines de Turri pro quolibet foco solvant predicto domino capitaneo vel suis successoribus unum pullum. Que omnia promiserunt ipse partes sibi vicissim una alteri et altera alteri solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, habere rata et firma et in nullo contrafacere vel venire sub obbligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

Exemplum recentius apud P. M.

## CC.

(1442, 20 iulii, Katein.)

Franciscus Strassoldo capitaneus Tergesti commendat Portusnaonensibus *den edeln vesten Jacoben von Czukch meinen Eyden.* cui quaedam Portunaonis praestanda crediderat, quem *mit sundern Fleysse. von meinen wegen* belle excipiant.

Documentum authent. prolatum in *Documenti storici delle famiglie comitali Strasoldo e Della Torre.* Venezia, 1863, p. 30.

## CCI.

(1442, 17 decembris, Utini.)

**Hector de Brazza et Varnerius de Zucco utinenses, Forliulii locumtenentis nutu, Bernardum de Rabatta et Nicolaum Fondani arbitros communitatis Portusnaonis in dissidiis cum Zopolensibus excitant ut sententiam dicant.**

Jesus.

Nobili et egregij amisi honorandi, poy la debita salutatione. Benchè de nostro officio fosse più tosto vignir da voy che mandar algune

nostre lettere, niente de mancho considerando noy non posser vegnir per questo molesto tempo, pensemo per vostre humanitade e zintilize ne haveredi per scusadi, conzosia che di questi festi proxime de nadal spirava el termine del compromesso della caussa e differentia della egregia comunitade de Pordenon, d' una parte della quale voy seti amisi tolti, e de Messer Francischino Pansiera de Zopola del altra parte per cui noy semo tolti. Considerando noy la gravissima infirmitade che za piu dì ha hauto el ditto Messer Francischino e ha al presente, de la qual dise li medici non posserlo guarir anchora per tuto março, imperò el so mal senti gotta. E considerando più oltra la honesta recommendatione del magnifico messer lo logotenente e finalmente de questa magnifica comunitade de Udine, e anchoro prigiere assaissime de quella honorevole comunitade de Pordenon le quale tutte in comune concorono che per niguna chossa non se lasse che questa differentia non se togla via, a questo etiamdio concorendo el ditto Messer Francischino cum summa instantia, intendemo sopra di questa chason de nostra intention farve avisadi. E si per aventura questo nostro avisamento non ve piazesse, niente de mancho tutto quello a voy piaserà, piaserà anchora a noy. E per fin mo per honestissime rason, e per rimover ogni melanchonia che possessi may esser entra le parte, noy si prolongemo questo compromesso per fina a sancto Zuhanne de zugno proximo che de vegnir, e questo per autoritade de nostra intention, in presentia dey nobili et egregij ser Nicolo de Bonbeni, Ser Odorigo de Gerardini, Ser Daniel de Savorgnano e ser Antonio chalderar habitante di Udine, testimonij a questo pregadi e rogadi. Pregandove in quanto ve sia di piaser adi questo cum summa instantia che el simile ve piaza a far cum ogni autoritade sia valida. E si in quanto questo modo non ve piasesse, ve pregemo che ve piaza per nostre lettere farne avisadi del dì e del luogo dove voy diliberareti che non obstante alguna contrarietade de tempo noy vignaremo. Più volontiera certamente saressimo vignudi da voy che mandar lettere, si questo tempo non fosse stado, el qual pensemo etiamdio voy la consideraredi. Valete, parecchiati a vostri comandi sempre. Dada in Udine, adi XVII de decembrio, 1442.

Vestri in tutto Hector de Brazà e Guarnier de Zucho.

A tergo: Nobilibus et egregiis viris ser Bernardo de Rabbatto et ser Nicolao Fondani, majoribus honorandis.

Exemplum cartac. penes P. M.

## CCII.

(1443, 30 iunii, Vindobonae.)

**Fridericus imperator Judenburgensibus mandat ut eorum nundinas frequentantes Portusnaonenses a quocumque vectigali super illatis mercibus relinquant indemnes.**

Wir Friedrich von Gotts Genaden Romischer Chaiser, ze allen Zeytten Merer des Reichs, Hertzog ze Osterreich, ze Steyr, ze Kchernden und ze Kchrain, Grafe ze Tyrol ec. Embieten unserem getrewn lieben dem Richter und Rat ze Judenburg unsere Gnade und alles Guet. Uns haben unsere getrewe lieben unsere Burger zu Portnaw lassen fürbringen wie das ir von ir Chauffmanschafft und iren Guet so si daselbs ainfueren und pringen Wechsel maindtt und ze haben das si vormallen nie geben haben, und wider ir Gnade und Freihaitt sey, damit si von unseren vorderen Fursten von Österreich löbleicher Gedechtniss pegnadet sein und darauff unseren getrewn Petter Mantega unseren Purger zu Portenaw dienen hab muessen vier Phundt Phennig von solchs Wechsel wegen pey Euch niderlegen, des si sich peswären und uns auch nicht gevellt. Emphellen wir ew und wellen ernstleich das die obgenanten unsere Pürger mit ir Chauffmanschafftt daselbs ze Judenburg handeln lasset, als von allen . . . vormallen herchomen ist. Und in chain Newerung wider ir obgenante Gnade und Freyung von Wechsel wegen noch in andern Weg nicht machet und dem obgenanten Petter Mantega die pemelten Verhefften vier Phundt Phenning andziechen ledig lasset: das mainen wir. Geben ze Wienn am Suntag nach sand Peter und sannd Paulstag der zweliffpoten. Anno domini ec. quadragesimo tertio, unseres Reichs im vierdem Jare.

Commissio domini regis in consilio.

Document. cart. auth. habet P. M.

## CCIII.

(1443, 25 septembris, Graecii.)

**Super quaestione inhabitationis, locationis seu venditionis domorum quas Curienaonenses in Portunaonis possidebant, Fridericus rex, auditis partibus, definit Curienaonenses teneri eas inhabitare, seu locare aut vendere.**

Nos Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Austrie, Stirie, Karinthie et Carniole dux, comesTirolis ec. Notum facimus

tenore presentium universis quod, vertente controversia inter honestos, prudentes, fideles nostros dilectos iudices, consules et commune civitatis nostre Portusnaonis ex una, et fideles nostros dilectos homines ville nostre Curienaonis partibus ex altera, occasione inhabitationis, locationis seu venditionis certarum domorum dictorum hominum nostrorum de Curianaonis sitarum in Portunaonis, ad quod iidem subditi nostri de Portunaonis dictos homines Curienaonis ratione cuiusdam statuti in Portunaoanis super hoc editi obbligare asserebant procuratoribus partium prefatarum coram nobis comparentibus, ac allegationibus, propositionibus et explicationibus eorundem auditis, pronunciavimus et difinivimus ac pronunciamus et tenore presencium difinimus, quod homines nostri Curienaonis domus suas in Portunaonis in fronte sitas in posterum inhabitare, locare aut vendere debeant, contradictione quavis semota. Harum testimonio literarum. Datum in oppido nostro Gretz, die vicesima quinta mensis septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tercio, regni vero nostri anno quarto.

Commissio domini regis in consilio.

Membrana authent. apud P. M.

## CCIV.

(1443, 26 septembris, Graecii.)

**Fridericus Romanorum rex mandat capitaneo Portusnaonis ne hominibus Curienaonis impedimento sit quatenus sal et oleum absque ulla gabella libere vendant.**

Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Austrie, Stirie dux ec. Fideli nostro dilecto Wilelmo Pawnchirchen capitaneo nostro in Portunaonis. Fidelis dilecte. Accepimus quod licet fidelibus nostris dilectis hominibus Curienaonis libertas antea foret sal et oleum ac alias merces absque ulla gabella libere ac secure vendere, nichilominus tamen id eos iam agere sub pena 25 librarum prohibueris in grave ipsorum damnum atque gravamen. Quocirca tibi committimus seriosius precipiendo quatenus prefatos nostros subditos in venditione salis et olei in posterum non molestes, nec id contra libertatem huiusmodi prohibeas eisdem. Et si fortasse aliquem rumorem ex eo a Venetis oriri contingeret, nobis cum circumstantiis singulis

clarius cures scripto insinuare. Nam ex tunc remediis opportunis curabimus providere, nostram in eo adimplendo voluntatem. Datum in Grecs, die 26 mensis septembris, anno Domini 1443, regni vero nostri anno quarto.

Franciscus de Fresculinis ex authentico fideliter exemplavit in tabulario notarili Utinensi.

Exemplum habet P. M.

## CCV.

(1443, 30 octobris, Utini.)

**Utinenses conquesti quod Zopolenses super palude Copulatici pignorati sint, Portusnaonenses deprecantur ut, pignoribus restitutis, finis differentiis ante festum Martini imponatur.**

Spectabiles viri ornatissimique cives nobis familiarissimi. Post optatam salutem vobis significamus quod nuper dilectus civis noster ser Odoricus Panciera cum grandi querimonia nobis exposuit quod his proximis diebus homines suos de Zopula pignorari fecistis super palude Copulatici, de qua ab ipsis hominibus Copulaticum affictum similiter cum ipso ser Odorico spectabilis capitaneus vester recepit. Item et alibi nuper pignorari fecistis in locis et commugnis ipsorum hominum consuetis contra antiquas consuetudines et sententiam per novos arbitros latam, quod pignora accepta restituantur, et in futurum nulla fieret novitas lite pendente. Quare attento quod affictus dicte paludis debetur ita ut ea dicti de Zopula utantur et fruantur, et alibi vigeat votum ipsorum arbitrorum quod nulla fiat novitas, vestras spectabilitates, quantum possumus, deprecamur et hortamur ut, dictis pignoribus restitutis, sine partium preiudicio, ad finem differenciarum nostrarum, quanto citius fieri potest, pervenire debeatis, et maxime ante festum Martini, quod usque dicitur facta prorogatio, ut vestris et dicti ser Odorici laboribus, sumptibus et expensis parcere valeatis, quod cum feceritis nil nobis gratius aut magis acceptum a nobis putamus. Valete et iterum valete, et si quid hinc a nobis cupitis, iubete: ea nobis adimplere fas est. Ex Utino, penultimo octobris, millesimo CCCC° XLIII°. Septem deputati ad regimen, consilium et commune terre Utini.

A tergo: Spectabilibus et circumspectis viris dominis capitaneo, potestati, hominibus et communitati terre Portusnaonis, amicis et tanquam fratribus eorum precipuis.

Carta authent. apud P. M.

## CCVI.

(1444, 14 februarii, Portusnaonis.)

**Capitaneus et potestas Portusnaonis Nicolaum de Prampero Portunaonis decedentem, a peste indemnem declarant.**

Noi Bilhelmo Pamfilio capitano et Gaspero de Recchieri podestà et governatore di Pordenone, per l'autorità che habbiamo con la presente nostra significhiamo a cadauno che sarà presentato il presente nostro per parte di Nicolò de Prampero, come di qui si parte con buona sodisfatione d'ogni uno, et libero d'ogni mal contagioso, che perciò suplicamo cadauno dargli fido recapito in ogni luoco e stato ove capiterà, et in corrispondenza si esibiamo in altre et simili ad ogni occasione di rimunerare. In fede di ciò habbiamo fatto la presente. Dato in Pordenone, li 14 febraro di s. Valentino, 1444.

Suprascripta omnia ex alio simili exemplo scripta lingua germanica Raphael Michiseus, publicus v. a. tulmetinus ac Sancti Danielis notarius rogatus fideliter de verbo ad verbum in hanc publicam formam exemplavi in fidem sub. et de more signavi. In quorum.

Exemplum penes P. M.

## CCVII.

(1444. 1 octobris, Nurembergae.)

**Fridericus imperator praecipit comitibus Henrico de Goritia et Ulrico de Cilleja, ac proprio marescallo et capitaneo in Carinthia, Conrado Kraiger capitaneo Portusnaonis, ut iura monasterii millestadiensis super villa Sancti Advocati contra Morandum de Purcilleis integra servent.**

Wir Fridreich von Gotes Gnaden Römischer Künig, zu allen Zeiten Merer desReichs, Hertzog ze Österreich, ze Steir, ze Kernden und ze Krain, Graue ze Tyrol ec. Embieten den wohlgeborn Heinrichen Grauen zu Görtz, Ulrichen Grauen zu Cili, zu Ortemburg und im Steyer, unsern lieben Oheimen Fursten und getrewen, dem Edeln Kunraten von Kreig zu diesen Zeiten unserm Hofmeister und Hauptman unsers Furstentums in Kernden, unserm Hauptman zu Portenaw,

der yetzo ist und hirnach sein wirt, und sust allen und yeglichen anderen Fürsten, Grauen, Freyen Herren, Rittern, Knechten, Amptleuten, Staten und Gemeinden, unsern und des Reichs Untertanen und Getrewen, dieser Brief, oder sein geloplich Abgeschrift getzaigt wirt, unser Gnad und alles Gut. Wolgebornen Edeln und lieben Getrewen. Es ist auf heut datum diss Briefs für unsere kuniglich Landsgerichtt kom. des ersamen Christoffans Abbts und des Convents gemeintlich des Gotshauses zu Millstat Machtbote, und hat in Gerichtt furgetragen wie der yetz genant Abbt und Convent von dem erwirdigen Johannsen Bischofen ze Gurkh, unserm Fursten und Commissari in dieser Sach wider den edeln Moranden Graven zu Portzili mit Urteil und Recht erwonnen und erstannden haben, daz In und dem Gotshaus zu Millstat das Gerichtt in burgerlichen Sachen in dem Dorff zu Sand Focat rechtlich zugehöre, und Sy des von dem vorgenanten Moranden Grauen ze Purezili billich berubt und ungeirret beleiben soll, als dann das ein Gerichttsbrief under des vorgenanten Johannsen Bischofen ze Gurkh Insigil daruber gegeben, der in Gerichtt verlesen ward mit anderen ausweiset, und bat und begert Im uber solich Urteil, wann doch davon nicht geappeliert sei, Executori Processus mit Recht zuerkennen, die Im auch also von uns zegeben erteilt sind. Und darumb so gepietten wir euch allen und yeglichen von Römischer küniglicher Macht ernstlich und vestichlich, und ermanen euch wes wir euch von unsern, des heiligen Reichs und des Rechten wegen zuermanen haben, daz In den vorgenanten Abbt, Convent und Gotshause, ob Si den vorgenannten Morand Graf zu Porcili, oder yemand anderen von solichem Gerichtt zu Sand Focat drengen, oder Si daran irren oder hindern wolten, beholffen und beraten sein wider solich, und Si dabei hanthaben, schüzen und schirmen nach ewrem Vermügen getrewlich, so dikh und vil das Notdurft wirdt, und In von Iren oder durch andern, von Iren wegen hierüber ermanet und ervordet werden. Auch daz mit allen ewern Hauptleüten, Phlegern und Amptleüten bestellen und schaffen daz Si desgleichen auch tun von Ewren wegen, wenn Si darumb ermanet werden, wann Ir und alle die die denselben Abbt, Convent und Gotshuse wider solich die Si an Irem behabten Rechten irren und hindern wolten, beholfen sind, sollen mit eynichen Sachen an soliche noch an Irem Gut wie Ir damit gefaren, nit freueln noch unrecht tun in kain Weise, und dieselben, die den Abbt und das Gotshause also irrten und alles Ir Gut sol nit schirmen noch freyen kein Recht, Ge-

wonheit, Freiheit, Gnad, Privilegi, Geleitt, Sicherheit, noch sust gar nichts in derheinen Weg. Und darumb so tat Ir all und yeglicher nit anders als lieb euch sey unser und des Reichs Swer, Ungnad und solich Pein. Darein wir einen yeglichen der uns hierin nit gehorsam wer vervallen sein erkennen würden uns zu betzalen vermeiden wollen. Geben und mit unserem kuniglichem anhangenden Insigel versigelt ze Nuremberg an Donerstag nach sand Michelstag, nach Christi Gepurd vierzehenhundert Jar, und darnach in dem vierundvierzigsten Jar, unsers Reichs im funfften Jare.

Ad mandatum domini regis d. Conrado de Weinsperg referend.

Ex membrana authent. cum sigillo cera rubra impresso, tabularii caesarei vindobonensis.

## CCVIII.

(1445, 30 aprilis, Utini.)

**Marcus Lippomano Forilulii locumtenens Portusnaonensibus suadet ut, cum nova dissidia inter eos et Zoppolenses oborta sint, pacem cum istis componant ablatis vicissim restitutis, usquequo arbitri utrinque vocati sententiam dicant.**

Spectabiles et egregii amici carissimi. Audivimus ex informatione nobis pro parte viri nobilis ser Francischini de Zopola concivis nostri utinensis, differentiam vertentem inter ipsam vestram communitatem ac ipsum ser Francischinum, dictamque differentiam per ambas partes in arbitrium commissam fuisse. Sed hoc intervallo antequam huiusmodi a iudicibus arbitris cognita esset, quare adhuc indecisa manet, videtur vos inde armata manu ac violenter surripi fecisse certa ipsius ser Francischini bona, forte eo quod ipse et adversus vos idipsum faceret, quod revera minime tam apud Deum et iustitiam quam homines seculi huius laudandum est, eo presertim cum non sit modus bene vivendi. Itaque si ita ut asseritur est, displicenter utique audio, nam discordie sedande et reconciliande sunt et non prosequende. Et propterea vestras quero et ortor amicitias ad hoc ut res ipsa vestra pro meliori partis utriusque pacifice et quiete sub silentio maneat et quiescat, ita quod merito laudari et commendari possint partes, qualiter vobis placeat restitui cum effectu facere predicto ser Francischino sive eius filio et nuntio quecumque sibi deinde ablata fuere, ipseque idipsum faciet adversus vos, quemadmodum se obtulit, nec per vos et

ipsum aliquid superinde novetur, sed stetur arbitrio et laudo ferendo a iudicibus suprascriptis, quemadmodum iustum et conveniens esse videtur, quod cum feceritis, gratissimum quippe habebo. Rescribentes mihi per vestros quid in premissis duxeritis disponendum. Paratus ec. Ex Utino, die 30 aprilis, 1445. Marcus Lippomano patrie Foriiulii locumtenens.

A tergo: Spectabilibus et egregiis viris domino Gulielmo Pawnchirchen, honorabili capitaneo, ac communi Portusnaonis, amicis carissimis.

Documentum cart. apud P. M.

## CCIX.

(1447, 26 martii, Portusnaonis.)

**Episcopus concordiensis relaxat quadraginta dies de iniunctis poenitentiis iis qui in fraternitate beatae Mariae virginis de Portunaonis sunt ad praesens, et in posterum constituerint se collegas, et eorum missis interfuerint et fraternitatis crucem personaliter associaverint.**

Baptista Dei et apostolice sedis gratia episcopus concordiensis dilectis nobis in Christo filiis . . . gastaldioni sive priori, juratis, officialibus, ceterisque fratribus fraternitatis sub nomine et vocabulo celestis regine gloriosissime Dei genitricis Marie in Portunaonis nostre concordiensis diocesis, licentia et auctoritate predecessorum nostrorum constitute, nec non aliis Christi fidelibus per ipsam nostram diocesim constitutis, presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Licet is de cuius munere venit ut sibi et suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur et habundantia sue pietatis que merita supplicum excedit, et vota bene servientibus sibi multo maiora tribuat oportet valeant promereri, nichilominus desiderantes Domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum scrutatorem, fideles ipsos ad complacendum ei, quasi quibusdam alectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus incitamus ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur ut fraternitas supradicta iuxta morem predecessorum nostrorum augmentetur et crescat, et ob hoc vestigia predecessorum predictorum qui eidem singule singulas indulgentias et quadragenas remissionum contulerunt, ut in eorum indultis legitur, imitantes, et ut fideles ipsi causa devotionis eo libentius intrent in

eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, prefateque regine celestis, et beatorum Petri et Pauli apostolorum, sancti Stephani patroni nostri et omnium sanctorum et sanctarum Dei meritis et intercessione confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in dicta fraternitate sunt ad presens et in posterum constituerint se collegas, et eorum missis interfuerint reverenter, ac crucem eius extra ecclesiam processionaliter devote associaverint, XL dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Harum sub nostri pontificalis appensione sigilli testimonio litterarum. Datum in dicto Portunaonis, die vigesimosexto marcii, millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, indictione X^a^, presentibus bonis viris presbiteris Antonio Parvo, Stephano et Johanne Daniele, in ecclesia sancti Marci de dicto Portunaonis beneficiatis testibus et aliis.

Ego Francischinus quondam ser Antonii de Isnardis de Lendinaria, habitator terre Portusgruarii, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, ac prefati rever. domini episcopi et eius episcopalis curie cancellarius predictis concessioni et omnibus aliis suprascriptis presens fui et rogatus fideliter scripsi et publicavi meis nomine et signo consuetis, una cum prefati rever. domini episcopi pontificalis appensione sigilli in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Membrana cum sigillo cereo appenso, in tabulario nosocomii Portusnaonis.

## CCX.

(1448.)

**Querelis Curtisnaonensium se a finitimis Venetis vexari ad se delatis, Austriae archidux ducem Venetiarum hortatur ut super his providere velit opportune: recens vero cum Portusnaonenses sal a Tergesto per Forumiulii deferre, nova Venetorum lege impediti sint, rogat ut pristinam libertatem dimittat.**

Illustri ec. Optavimus semper et ad id operam dedimus, quantum in nobis fuit, efficacem, ut domus nostre Austrie subditi cum omnibus finitimis et maxime cum subditis suis bonam vicinitatem custodirent, idem quoque versa vice erga vos fieri sperantes. Nuper vero homines ville nostre Curienaonis per suos nuncios nobis exposuerunt quod

nonnulli subditi tui, videlicet Franciscus de Zopola, Bertoldus de Spilimbergo, Bononinus de Cusano et Fridericus de Turre qui castra et terras suas prefate ville nostre conterminas habent, eosdem homines ac subditos nostros multis modis in dies molestant, iurisdictionibus nostris plurimum preiudicantes, unde diverse contenciones utrinque insurrexerunt et scandala non modica sunt exorta, ita ut proximis diebus quidam ex hominibus dicte Curienaonis graviter extitit vulneratus. Rursus quoque cum prefati subditi nostri emere sal in civitate nostra tergestina et alibi pro libitu suo potuerint, ac tute et libere per terras dicionis tue illud domum suam portaverint, nunc sicut ipsi asserunt propter certas cameras salis in Foroiulii de novo a te institutas nullam quantitatem salis per dictas terras vehere permittuntur, quod est eis non solum grave sed valde dispendiosum. Quibus ex causis cum has novitates ex mente tua procedere non putemus, que bonam vicinitatem impediunt ac perturbant, sinceritatem tuam duximus exhortandam ut super his opportune procedere quantocius velis, scribendo ac mandando prenominatis subditis tuis ut ab omni violencia et perturbatione desistentes, communitatem nostram Curienaonis predictam humaniter et amicabiliter tractent, nullam molestiam aut iniuriam in bonis sive personis inferentes, ne, si secus fecerint, scandalum postmodum gravius oriatur. Quantum vero ad materiam salis attinet, te obnixe deposcimus atque requirimus ut attenta prisca consuetudine et dicte communitatis nostre inopia, que paupercula est et vix se arando et rusticando potest sustentare, dimittere pristinam libertatem ei nequaquam graveris, saltemque illud permittere ut pro suo usu suisque necessitatibus sal undecumque emptum libere possint ad suum domicilium comportare. Quibus in rebus et ius convicinitatis servabis et nobis plurimum complacebis. Datum. . . .

Exemplum habet P. M.

## CCXI.

(1449, 8 iunii, Cordenaonis.)

**Conradus de Monteregali, Aloisius de la Turre et Andreas de Popaytis, arbitri vocati sententiam dicunt super confinium controversia et comungnandi iuribus inter fratres de Zopola et Portusnaonenses.**

In Christi nomine amen. Nos Conradus de Monteregali, legum doctor Padue habitans, Aloysius de la Turre civis Utini, Andreas de Popaytis civis Portusnaonis, arbitri, arbitratores, amicabiles composi-

tores et communes amici partium infrascriptarum, visa facultate nobis attributa, visis earundem partium scripturis, processibus, attestationibus, litteris sigillatis, eorumque petitionibus, auditis allegationibus partium sepe ac frequenter, visis locis differentiarum super quibus equitavimus pluries, habita consideratione condigna, communicatoque parere et consilio plurium proborum virorum pro bono pacis et concordia partium antedictarum, sequentes viam arbitratorum et amicabilium compositorum potius quam iuris, sedentes super una communea in capite Codedeani, Christi nomine repetito, dicimus, pronuntiamus, arbitramur et arbitramentamur et componimus in hunc modum, videlicet, primo quod jurisdictio, dominium et garittus locorum positorum ultra Methunam versus Zopolam, videlicet a capite paludis, extirando recta linea a castro Cusani, sive versus castrum Cusani directe per caput dicte paludis usque ad aquam Methunam per signa que reservamus per nos ponenda et designanda, et a dicto loco aque Methune eundo usque ad viam Valvasoni antiquiorem, designandam per signa per nos reservata, ponendo, includendo in huiusmodi dominio, garitto et jurisdictionibus dicta confinia, ipsam aquam et lectum Methune, ut et esse debeat dicti ser Odorici, et suorum fratrum.

Item declaramus quod prata illorum de Curianaonis, que sunt ultra dictam aquam Methune versus Zopolam, sint et esse debeant dictorum hominum et personarum quorum sunt, et in eorum facultate secandi et pascuandi, adeoque ad dicta prata accedere et exire possint et valeant more solito, possint tamen in tempore hiemali in quo prata non banniuntur predicti domini Odoricus et fratres ac eorum subditi et habitatores suarum villarum possint et valeant pasculare in dictis pratis, absque damno arborum vel vitium si quod foret.

Item quod predicti Odoricus, fratres cum eorum subditis predictis, solvendo censum consuetum seu pensionem magnifico domino capitaneo Portusnaonis, possint et valeant pasculare super palude que est ultra Methunam more solito ac consueto. Possint iusuper predicti dominus Odoricus et fratres in locis antedictis jurisdictionem suam exercere, mulctas et banna imponere, prout iuris ordo et iustitia suadebit, a palude supra.

Item declaramus et pronuntiamus quod reliqua omnia loca differentiarum, que erunt inter pontes antedictos, sint et esse debeant in dominio et garitto et iurisdictione magnifici capitanei terre Portusnaonis, excepto loco de Murlis qui potest circuire per spacium decem cam-

porum, qui spectet et pertineat pleno iure dicto ser Odorico et fratribus, cum dominio et iurisdictione. Item declaramus ac pronuntiamus quod predicti dominus Odoricus, fratres et eorum subditi antedicti habeant et habere debeant facultatem et potestatem secandi et pasculandi, commugnandi et buscandi super communeis existentibus a latere superiori versus viam Valvasoni, et a dicta via Valvasoni antiqua infra declinando per secundam ruptam [1]) que declinat per Zopolam in Basaldellam, et que rupta vadit per subtus prata hominum de Curianaonis, et prout designabitur per nos arbitratores, et declinando per dictam Zopolam per rivale quod est prope prata illorum de Curianaonis usque in Basaldellam.

Item a dicto loco Basaldella declinando per certa loca fixa sive bassa secundum signa per nos ponenda, usque ad locum in quo de presenti sumus declinando per subtus rivale pratorum hominum Curienaonis et veniendo usque ad certum povolum (populum) sive alborem ubi dictam nostram proferimus sententiam, et deinde a dicta albore sive povolo, declinando recta linea usque ad pontam de subtus foveam Codedeani a latere inferiori et prout designabitur, et a dicta ponta fovee Codedeani declinando recta linea usque ad confinia antedicta ultra Methunam transversalia per caput sive iuxta caput paludis antedicte.

Item declaramus et pronuntiamus quod predicti dominus Odoricus et fratres in locis predictorum pascuorum de quibus proxime dictum est, possint et valeant temporibus debitis et consuetis dicta loca et pascua bandire et disbandire, mulctas et banna indicere et exigere pro dictis pascuis banniendis ut supra.

Item quod in locis proxime dictis in quibus data est facultas dictis domino Odorico, fratribus et eorum subditis pascuandi et secandi, subditi et homines predicti magnifici capitanei terre Portusnaonis et precipue villa Curienaonis non possint et valeant se quoquo modo impedire in dictis pascuis pascuando, secando, commugnando vel buscando.

Et versa vice predicti dominus Odoricus et fratres et eorum subditi ultra dicta loca et confinia sic ut supra designata et designanda,

---

[1]) Idem ac *fossa*. „Detrainati fuerunt cum omnibus aliis interfectis usque ad quandam *ruptam*, quam ipsimet fecerant in capite Ferrarie. . . . . Et sic omnes mortui numero 1854 catervatim missi fuerunt in dicta rupta; quare clausa fuit integre. . .“ Muratori, Script. rer. ital. XV, 367.

in eorum facultate pascuandi et secandi, non possint neque valeant se quoquo modo impedire secando, vel pascuando, commugnando et buscando, sed ista loca exclusa permaneant, et sint in facultate et potestate pascuandi et secandi, commugnandi et buscandi subditorum dicti magnifici domini capitanei terre Portusnaonis, Curienaonis et habitantium concessiones et facultates pascuandi, commugnandi et secandi.

Item declaramus quod dicti magnificus capitaneus terre Portusnaonis et villa Curienaonis possint eorum pascua ac prata bandire, disbandire, muletas et banna indicere ac exigere more solito.

Item declaramus et pronunciamus quod predicti dominus Odoricus, fratres eorumque subditi possint et valeant accedere ad eorum campos et prata existentia ultra eorum confinia sic ut supra designata et designanda, ac habeant in predictis locis, videlicet campis et pratis facultatem laborandi, secandi, pasculandi, commugnandi et buscandi, et res ac fructus asportandi per loca solita et consueta, licet ab illis locis per presentem nostram sententiam sint exclusi. Declaramus quoque quod in tempore hiemali, in quo damna non inferuntur in pratis predictis de Curianaonis, possint et valeant pascuare, non inferendo damna arboribus sive vineis, simul cum antedictis subditis predictorum domini Odorici et fratrum in predictis pratis. Insuper volumus et declaramus quod predicti domini Odoricus et fratres et eorum subditi, et laboratores in suo fortilitio, possint et valeant in locis dominii et garittus magnifici domini capitanei et terra Portusnaonis in grava sive gravis [1]), et a lucis Celine accipere et accipi facere de lapidibus sive codulis [2]) ad fabricandum domos et fortilitia sua, dummodo non damnificent prata, nec transitum faciant per prata ipsorum nisi per vias solitas.

Item volumus et declaramus pro bono pacis et concordia partium predictarum quod hinc inde remittantur iniurie, restituantur omnia pignora hinc inde ablata, que de presenti reperiuntur ablata, quam quidem nostram sententiam volumus et mandamus per presentes attendi et observari debere in pena in compromisso contenta.

Quam sententiam predictus dominus capitaneus terre Portusnaonis, vice et nomine hominum Curienaonis, et nomine quo supra, ac dominus Odoricus pro se et fratribus ac subditis suis laudarunt et

---

1) Glarea.

2) Calculi torrentis decursu orbiculati, veneta loquendi forma *cogoli*. „Solvit duobus puerulis qui vacarunt ad portandum quandam quantitatem codulorum, existentium in carreria ante portale Magdalenes.“ Hist. Nem. tom. II, p. 260.

approbarunt, rogante me notario una cum ser Petro de Rizardo quondam ser Silvestri de Canipa in consonantia.

Lata, data, et in his scriptis pronunciata fuit hec suprascripta arbitraria sententia sive arbitramentum per predictos dominos arbitros, arbitratores, currentibus anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, indictione duodecima, die octavo mensis iunii. Actum in dicto loco Codedeani, presentibus spectabili viro domino Beachino comite Purliliarum quondam domini Guidonis, comitis Purliliarum, et nobilibus et egregiis viris dominis Antonio de Belgrado et domino Erasmo antedictis, Jacobo famulo reverendi domini Guarnerii de Artenea vicarii domini patriarche aquilegensis, quondam Francisci de Utino, Francisco nominato Parvopasta de Spilimbergo quondam Blasii, et Gregorio de Solzpurch famulo domini Biachini, testibus et aliis quampluribus vocatis et rogatis.

Dictis millesimo et indictione, die nono iunii, actum super dicta via antiqua superiori Valvasoni, presentibus ipso domino Erasmo, nobili ser Thomasio quondam ser Nicolai de Spilimbergo, ser Nicolao de Tricano, Simone quondam Nicolai de Sancto Daniele, famulo nobilis ser Georgii de Valvasono, testibus et aliis quampluribus ad hec vocatis et rogatis; ibique predicti domini arbitri et arbitratores, vigore et auctoritate sibi in sententia reservatis, volentes ipsam, confines et terminos magis clarificare et lucidare, posuerunt sive poni fecerunt et designari foveas ac cumulos terre in locis superius in sententia descriptis. Item poni et designari fecerunt super dicta via antiqua Valvasoni cumulos terre quamplures, declarantes per illos cumulos fuisse et esse viam antiquam Valvasoni, clarificantes vero illam esse scaldam ruptam, videlicet incipiendo a primo cumulo versus villam Curienaonis, designato super dicta via antiqua Valvasoni directe declinando usque ad certos povolos magnos et veteres existentes in ipsa rupta, de qua rupta fit mentio in documentis. Item declaramus quod a dicta via antiqua Valvasoni infra usque ad castrum Methune ser Odoricus et fratres ac subditi eorum ut in terminis in sententia designatis valeant quoad possunt, pasculare, commugnare, secare et buscare. Et quidquid est a dicta via supra, sit et esse debeat prefati domini capitanei et ville Curienaonis in dominio, garrito et iurisdictione, ac etiam valeant pasculare, commugnare, secare et buscare. Item declaramus quod sachonum [1]) superius

[1]) Terre tractus aqua circumfusus, quo sensu caret vocabulum apud Ducangium.

quod est apud Basaldellam sit et esse debeat, et intelligatur in confinibus ipsis ser Odorico et fratribus ac subditis designatis. Item quod certum sachonum inferius apud ipsam Basaldellam sit et esse debeat et intelligatur in confinibus ipsis ser Odorico et fratribus ac subditis designatis Item quod certum sachonum inferius apud ipsam Basaldellam sit et esse debeat domini capitanei et illorum de Curianaonis ut supra. Item declaramus quod neutra partium valeat nec possit operari in reparatione aque Methune, neque edificatione quam habeat damnificare alteram partem. Quam designationem et positionem terminorum et predicta omnia alia, ut supra, mandamus observari per partes suprascriptas sub eadem pena edenda in compromisso. Ibidem versantibus, audientibus ac videntibus ipso ser Odorico de Zopola, et ser Odorico de Aviano, gastaldione et nomine ipsius domini capitanei ac ex pluribus et pluribus hominibus ville Curienaonis in eisdem terminis positis laborantibus.

Exemplum recens apud P. M.

## CCXII.

(Saecul. XV.)

**Index lipsanorum dimidio saeculo decimoquinto in cella thesauri s. Marci Portusnaonis asservatorum.**

Reliquie che son in una chassa de viero, et prima molti ossi de Santi che non se sa el nome.

Reliquie de l'Inocenti.

De la spatula de santi Heustachii.

In una chassa di vedro choverta:

De spatula santi Maurizii.

De relique santa Maria Madalene.

De la pietra ubi Christus fuit inchoronatus.

De la pietra ubi Christus fuit chrucifixus.

De porta haurea.

De lapide ubi Christus natus est.

De lapide ab ostio monumenti.

De lapide ubi Christus fuit flaielatus.

Laus Deo 1313.

Reliquie sono chonquistati per ser Francescho de li Richerij del 1418, le quali for tolte per li Hongari a Seravalle, e prima

Reliquia una del monte chalvario.

Reliquia una de li fiori de li rosari che fiori de febraro, quando lo papa dete lo perdon a la Sensa [1]).

Del sangue de santo Gierardi et Profetasi (Gervasii et Protasii).

De pannis sancti Jachobi.

Del pe de la cholona che Christo fo batudo.

De la verga de Moixe.

Del monumento di santo Jeronimo.

De la piera dove el vangelista dise mesa a la nostra dona.

De la porta del sepulchro de Christo et altre piedre del ditto.

Del velo de santa Chlara.

De la piedra dove stava lo nostro Signor quando predicava ai disipoli suoi.

De la piedra la che fo fatto san Mattio apostolo.

De la piedra dove fo lo nostro Signore et de la colona del nostro Signor.

De la vesta de santo Francesco et de santa Clara.

Son tutte queste reliquie in lo tabernacolo che son nel altar, ma non son ornade.

Charta apud P. M.

## CCXIII.

(1450, 7 maii, Novae civitatis.)

**Fridericus Romanorum rex mandat capitaneo Portusnaonis ut ratificet et confirmet sententiam prolatam ab arbitris, dissidiis super finibus componendis inter Cordenaonenses et Ulricum de Zopola.**

Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Austrie, Stirie, Karinthie, Carniole dux, comes Tirolis ec. fideli nostro dilecto Bernhardo de Tahenstain, capitaneo nostro Portusnaonis gratiam regiam et omne bonum. Quia, sicut relatione tua intelleximus, inter fideles nostros cives et incolas ville nostre Cordenaonis ex una et Ulricum de Zopellis (sic) partibus ex altera, in materia dissensionis ac differentiarum, que inter eosdem occasione quorundam confinium extiterunt, quoddam arbitrium super designatione confinium huiusmodi per honorabilem legum doctorem Conradum de Monte regali et nonnullos

[1]) Festum ascensionis Jesu Christi.

alios per partes ipsas ad hoc electos et deputatos factum et prolatum est, ideo tibi presentium tenore committimus et mandamus quatenus dictum arbitrium ac confiniorum designationem sic, ut premittitur factum, uti capitaneus noster in Portunaonis approbes, ratifices et confirmes, faciasque ut eadem a prefatis nostris subditis, absque contradictione aliqua, inviolabiliter observentur, ad quod tibi plenariam et omnimodam potestatem damus et conferimus per presentes. Date in Nova civitate, die septima mensis maii, anno Domini ec. quinquagesimo, regni vero nostri anno undecimo.

Commissio propria domini regis.

Documentum authent. cartac. cum sigillo aquila unicipiti insculpto apud P. M.

## CCXIV.

### (1451.)

### Lapis inscriptus honori Lucae Muazzo episcopi caprulensis, ante altare s. Mariae ecclesiae maioris Portusnaonis, cum simulacro.

Hic iacet exanimis caprulensis episcopus olim
Lucas Mundatio qui vitam perdidit istam
Mille quatercentum uno quinquaginta sub anno.

Pavimento ecclesiae recens instaurando monumentum abmotum.

## CCXV.

### (1451.)

### Elencus clenodiorum Lucae Muazzo episcopi caprulensis, Portunaonis defuncti.

Infrascripte sunt res argentee rever. domini episcopi caprulani.

Primo coclearia argentea XVII quorum duo circiniata per nodos et anulos.

Item pironi [1]) XXV argentei.

Item duo pisides nucis Indie cum pedibus et capitibus argenteis.

Item decem crathere magne.

Item duo crathere parve.

Item bacinum cum brondino [2]), ambo de argento.

---

1) *Furculae*, alem. *Gabel*, itale *forchette*.

2) Proprie *bronzinum*, idem ac *urceus* ex quo aqua lavandis manibus.

Item salifera [1]) tria de argento.

Item in una cortelaria [2]) gladii XII preparati cum argento.

Item in una cortelaria septem ornati argento.

Item una crux cum cathena parvula de argento.

Item unum vas olei sancti.

Item unus anulus cum lapidibus novem.

Item baculus pastoralis de ebore.

Item paria duo cirothecarum.

Item paria duo sotularium [3]) pontificalium.

Item mitra deaùrata cum lapidibus preciosis.

Item unum par caligarum de sindone azura.

Item una pera [4]) seu thusca [5]) ornata grigetro, desùper deaureata.

Item unus cingulus de urthiamario [6]) cum passetis [7]) et ..... ... desuper deaureata.

Item duo crathere magne pro confectionibus argentee, a superficie aureate.

Ex docum. cart. apud P. M.

## CCXVI.

(1451, 20 februarii, Novae civitatis.)

**Fridericus rex Forliulii locumtenentem rogat ut Wolfango Vngnod et Alexio de Vensel prohibitis (mandato, ut asseritur, ducis Venetiarum) a collectione redditùum quarundam possessionum quas in Foroiullo sitas, iure feudi, eis ipsemet tradiderat, oblata restituantur, potestate cuilibet data ad caesarem qua feudi dominum, pro iuribus pretensis recurrendi.**

Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Austrie, Stirie ec. dux. Spect. sincere dilecte. Scripsimus alias tibi et simul illustri nostro duci Venetiarum, rogantes quatenus fidelibus nostris dilectis Vuolfango Vngnod familiari nostro et Alexio de Vensels civi oppidi nostri ad Sanctum Vitum in Carintia in hac parte consortibus adiuvamini et favori esses, quo mediante possessionem nonnullorum

---

[1]) *Saliferum* idem ac *salinum* aut *concha salis*, alem. *Salzfass*, itale *saliera*. [2]) *Cultrorum vagina* alem. *Messerscheide*, itale *coltelliera*. [3]) *Calcei*, quod *subtalares* sint. [4]) *Vestis sacra*. [5]) Idem, quo sensu deest vox glossario mediae et infimae latinitatis a Dufresne Ducange, quod et de proxime subsequenti *grigetro* assero. [6]) Vox obscura, in glossario a Dufresne Ducange desiderata. [7]) *Fibulae librorum* metaphorice cingulo aptatae.

bonorum in partibus illis situatorum et a nobis in feudum dependentium, que iamdudum ad nos legitime erant devoluta, queque ipsis et eorum heredibus contulissemus, quiete et pacifice adipiscerentur, quod et factum prima fronte esse intelleximus. Verum postea, nescimus qua occasione, mandato quidem ut asseritur predicti ducis, tempore colligendorum fructuum et reddituum eorumdem, eos ab illorum collectione prohibitos, unde et in presentiarum eidem duci Venetiarum scribimus hortantes ipsum, quatenus huiusmodi bona, fructus et redditus antedictis Vuolfango et Alexio absque impedimento reddere, eaque libere et quiete possidere et levare permittat. Si qui autem ad ea forsitan ius habere pretenderent, ad quorum instantiam huiusmodi prohibitio seu mandatum emanasset, illos ad nos et nostrum iudicium tanquam ad dominum feudi, de quo est contentio, prout iustum est, remittat. Quare te similiter rogamus et hortamur, quatenus in ea etiam parte esse et ad eam declinare vellis ut prefati nostri familiares et subditi dictorum bonorum possessionem quiete et pacifice assequantur, in eo nobis gratam complacenciam ostensurus. Datum in Nova civitate, die vigesima mensis februarii, anno Domini nostri LI, regni nostri anno undecimo.

A tergo: Spectabili nostro locumtenenti Foriiulii, nobis sincere dilecto.

## CCXVII.

**(1451, 1 martii, Venetiis.)**

**Dux Venetiarum mandat Forilulii locumtenenti ut pheudo Ragonee a dominio Portusnaonis reipublicae Venetae devoluto investiat plus offerentem, digniorem tamen et fideliorem.**

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum nobili et sapienti viro Jacobo Lauredano, de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii, fideli dilecto salutem et dilectionis affectum. Intelleximus per vestras litteras diei 23 mensis elapsi quantum scribitis nobis de pheudo Ragonee per industriam et diligentiam vestram devoluto et restituto in nostrum commune, cui spectat vigore concordii facti in M.CCC.LXV (V. num. LXXXV) inter d. Franciscum de Savorgnano militem ex una parte et consortes Ragonee ex altera ec. et notavimus oblationem nobis factam per fidelem civem nostrum Utini Joannem Cisilinum de libris centum annuatim solvendis per eum illi camere

nostre, si de pheudo predicto investiretur, quod idem obtulerunt nonnulli de Sancto Daniele, et non dubitatis quod de pheudo ipso adhuc maior utilitas poterat consequi. Vobis igitur respondentes dicimus quod contenti sumus et volumus ut de pheudo ipso trahere procuretis illam maiorem utilitatem possibile erit, et de eo investiatis plus offerentem, habendo etiam advertentiam a contradictione personarum, videlicet digniori et nobis fideliori persone conferatur et que melius merita sit. Datum in nostro ducali palatio, die prima martii, indictione XIIII, M.CCCC.LI.

Exemplum apud P. M.

## CCXVIII.

(1451, 15 martii, Utini.)

**Locumtenens Forilulii sententia declarat pheudum Ragonee qua tale non potuisse alienari, propterea que emptores et possessores partium divenditarum restitutioni adstringi.**

In Christi nomine amen. Nos Jacobus Lauredano pro illustrissimo ducali dominio Venetorum patrie Foriiulii locumtenens, cognitor et decisor litis et differentie coram nobis vertentis inter doctorem egregium dominum Erasmum de Utino tanquam sindicum phiscalem nostri illustrissimi dominii antedicti ex una, et infrascriptos de Sancto Daniele et Ragonea, videlicet filios Martini Simonis, Colaum de Polenacto, Blasium de Rivis, filios Thomi Pauli, Dominicum de Flora, Cosactum de Ragonea, Simonem Thomasini, heredes Grossi, heredes Guecelli, Leonardum Calanum, Simonem Pelegrini, Laurentium Mesagii, Colaum Petri Margani, Thophulum de Gnesuta, Joannem Vasenaglia, Thomum Catharussium, Nordum de Muris, Colaum Blaucum, Joannem de Ungolis, Stephanum de Ungolis, Paulum Petri, Colaum de Muris, Jacobum Zani, Jacobum de Montibus, Gervasium de Muris, Danielem Brizi, Thomam Linzi fabrum, Franciscum Philippi, Jacobum de Izotto, Joannem Petrum Morgan, Cecchum de Vedono, Jacobum Philippi, Colaum Lucie, dominum plebanum, Benum de Garino, Mattheum de Viluzza, Dominicum de Muris, Thomum Festa, Fantes de Vinezza, Thomum Vasenaglia, Andream de Garino. uxorem Ageni Simonis et Leonardum Medici emptores et possessores certorum terrenorum pheudalium, spectantium et pertinentium pheudo Aunedis Ragonee, et unius mansi situati in villa Pitscula, nec non

dominam Rosam uxorem viri nobilis s. Federici de Toppo, ac ipsum et Federicum suo nomine ac vice, et procuratorem ipsius domine Rose ex altera, quod pheudum vigore pacti et conventionis initorum inter virum spectabilem dominum Franciscum de Savorgnano militem, tanquam vicedominum ecclesie aquilegiensis ex una et consortes Ragonee ex altera, tempore guerre tunc inter ipsos existentis in M.CCC.LXV. die quinto novembris pervenit ad ipsam ecclesiam aquilegiensem, et successive ad prefatum nostrum dominium, cuius quidem pheudi partem alienavit predictis de sancto Daniele et Ragonee ipsa domina Rosa, partem etiam ipse s. Federicus nominibus predictis: pars etiam alienata fuit per quondam predecessores dicte domine Rose iure proprio, qui ipsius pheudi investituram nullam a dicta aquilegiensi ecclesia nec a prefato nostro dominio, quod in ius predicte ecclesie successit, recognoverunt. Volentes ut tenemur, unicuique iustitiam ministrare, visis concordio predicto et instrumentis alienationum predictarum factarum non ut de rebus pheudalibus, sed propriis et allodialibus, visaque et intellecta responsione dicti s. Federici de Toppo, ac auditis Henrico quondam Colai Agarini et Nicolao Petri Morgeni de Ragonea, sindicis et procuratoribus in causa ista aliorum de Ragonea intervenientium, ut de dicto sindacatu nobis fidem fecit s. Urbanus Brunalescus notarius, attentoque termino predictis de Sancto Daniele stabilito per hanc diem ad audiendum ferri hanc nostram sententiam: Christi nomine repetito, a cuius nutu cuncta recta procedunt iudicia, consideratis omnibus considerandis, dicimus, sententiamus, pronuntiamus et declaramus dictum pheudum cum omnibus et singulis suis iuribus et pertinentiis ei modo quolibet spectantibus et pertinentibus, non potuisse in toto nec in parte alienari, et predictas alienationes esse nullas et ineficaces et nullius valoris, et ipsum pheudum cum suis pertinentiis et iuribus devolutum esse ad nostrum serenissimum ducale dominium venetum et eius cameram, et prefatos emptores et possessores terrena ipsa camere predicte relaxare debere, reservato tamen iure tam ipsis emptoribus et possessoribus dictorum terrenorum et bonorum contra venditores et authores suos ac heredes eorum, quam ipsi camere phiscali contra ipsos emptores et possessores bonorum pro fructibus per eos perceptis a tempore quo ipsa terrena possederant citra. Et predicta dicimus, sententiamus et pronuntiamus omnibus melioribus modo, via, iure et forma quibus possumus et debemus.

Lata, data et in his scriptis sententialiter promulgata fuit suprascripta sententia per prelibatum magnificum dominum locumtenentem sedentem in castro Utini sub logia ad suum solitum iuris bancum, et lecta, publicata per nos Guarientum de Tarsia notarium et cancellarium suum, presentibus viris nobilibus ser Hermachora et Federico de Colloreto, ser Caspare de Brazacho, ser Leonardo de Cavalcantibus et ser Christophoro de Cignottis, omnibus civibus et habitatoribus Utini, currentibus annis Domini M.CCCC.LI, indictione XIIII, die lune, 15 martii.

Exemplum cart. penes P. M.

## CCXIX.

(1451, 18 martii, Utini.)

**Locumtenens Foriulli precibus Joannis Cisilini indulgens, hunc investit, ducis Venetiarum accedente consensu, de pheudo Ragoneae, iure census perpetualis, solvendo annuatim camerae Utini libras centum viginti parvorum.**

In Christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, indictione XIIII, die Jovis XVIII martii, actum in platea castri Utini, presentibus insigni decretorum doctore domino Erasmo de Utino, ser Antonello de Vida iustinopolitano marescalco patrie, ser Leonardo quondam ser Raynerii de Cavalcantibus, ser Nicolao quondam ser Petri de Paserinis, civibus et habitatoribus terre Utini, testibus adhibitis, vocatis, rogatis, et aliis, ibique constitutus honorabilis vir ser Joannes Cisilinus quondam ser Christophori de Cisilinis, civis et habitator Utini coram magnifico et generoso viro domino Jacobo Lauredano, pro illustrissimo nostro ducali dominio veneto patrie Foriiulii locumtenente dignissimo, humiliter et devote supplicavit ut, cum omni sollicitudine et sua propalatione recuperata sint nostro inclito dominio bona pheudalia dudum a serenissimo Othone duce Austrie tunc domino Ragonee investita, cuius investiture tenor talis est: *Nos Otho* ec., et per eundem dominum locumtenentem fuerit declaratum ipsa bona esse devoluta ad prefatum nostrum dominium quod successit in iure et iurisdictione Ragonee, vigore certi concordii de quo fit mentio in predicta declaratione, cuius sententie tenor talis est: *In Christi nomine* ec. (v. num. CCXVIII),

dignaretur ipsum de gratia speciali iure perpetualis census, nomine prefati serenissimi ducalis dominii nostri Venetiarum investire de dicto pheudo ut supra devoluto, virtute literarum ducalium tenoris sequentis, videlicet: *Franciscus Foscari* ec. (v. num. CCXVII) et authoritatis, ac omni meliori modo quo fieri potest. Quo audito magnificus dominus locumtenens, habita plena informatione et experientia fidelitatis ipsius s. Joannis, ac de diligentia et notitia sibi facta per eundem ad recuperandum nostro dominio ipsa bona pheudalia, dictum ser Joannem coram se genibus flexis constitutum pro se et heredibus suis cum suo annulo aureo de dictis bonis pheudalibus, vice et nomine nostri incliti dominii, investivit iure census perpetualis, solvendo annuatim camere Utini nostri antedicti dominii libras centum viginti parvorum hoc modo, videlicet medietatem in festo s. Michaelis de mense septembris proxime venturi, quo tempore incipere debeat terminus, et aliam medietatem prima die aprilis M.CCCC.LII, et sic successive, dans eidem et Joanni plenam et liberam facultatem se intromittendi in dictis bonis, et eorum tenutam ac possessionem corporalem accipiendi cum nuntiis curie sue et sine. Quibus omnibus sic peractis dictus ser Joannes pro se et heredibus suis antedicto magnifico domino locumtenenti prelibati nostri dominii recipienti fidelitatis debite fecit iuramentum, et quod erit semper fidelis et legalis vassallus prefati dominii, et quod alia omnia et singula perpetuo faciet et observabit ad que tenentur fideles et legales vassalli domino suo. In quorum fidem et testimonium prefatus magnificus dominus locumtenens presentem fieri iussit et ad futuram memoriam registrari et suo consueto sigillo sancti Marci ad cordulam sirici rubei pendentem roborari et sigillari.

Ego Guarientus quondam ser Christophori de Tarsia, civis iustinopolitanensis, publicus imperiali authoritate notarius et iudex ordinarius, nec non prelibati magnifici domini locumtenentis cancellarius predictis presens fui, et de eius mandato fideliter scripsi.

Exemplum cartac. penes P. M.

## CCXX.

(1451, 30 aprilis, Venetiis.)

**Cum Fridericus rex Ragoneam iure pheudi sibi dari postulasset a Forliulii locumtenente, hunc instruit dux Venetiarum Joannem Cisilinum a se de eo investitum in eius possessione tenendum, minime vero sciscitanti respondendum [1]).**

Franciscus Foschari Dei gratia dux Venetiarum ec. nobili et sapienti viro Jacobo Loredano, de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii, fideli, dilecto salutem et dilectionis affectum. Scripsistis nobis nuperime habuisse litteras serenissimi domini regis Romanorum, inquirentis ut daretis tenutam et possessionem pheudi Ragonee, et declarastis nobis ipsum pheudum iurisdictionis esse specialiter ob concordium factum de 1365, die 5 novembris, et quod iam per nos investitus fuit discretus, fidelis noster Johannes Cisilinus. Quare respondemus quod ipsum Johannem in tenuta et possessione feudi suprascripti tenere et conservare debeatis, et preterire sine responsione danda suprascripto serenissimo domino regi, nam si nobis scribet, nos dabimus sue serenitati responsum. Datum in nostro ducali palatio, die ultimo mensis aprilis, indictione XIIII, 1451.

Exemplum penes P. M.

## CCXXI.

(1451, 25 maii, Utini.)

**Dubiis subortis super sententia lata in confinium controversia inter Portusnaonenses et fratres de Zopola, arbitri, sedentes in apotheca Alberti speciarii, veneti dominii iussu, eam sententiam plenius declarant.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, indictione quartadecima, die Martis, vigesimo quinto mensis maii. Actum Utini in foro veteri, in apotheca Alberti speciarii, dicti Plasentini, presentibus nobilibus viris

---

[1]) Vide num. CLXXVI, CLXXXII.

ser Viquardo quondam ser Johannis de Andreottis de castro Utini, ser Vuargento quond. ser Francisci de Percotto, Utini habitanti, ser Daniele quond. spectabilis militis domini Tristani de Savorgnano, ser Jacobo de Pitsculis de Venzono testibus, et aliis ad infrascripta adhibitis et rogatis. Cum super certis vertentibus differentiis inter spectabilem dominum Guilielmum Pawnchirchen capitaneum Portusnaonis, egregiam communitatem dicte terre Portusnaonis, ac communitatem ville Curienaonis ex una, et nobilem ser Odoricum et fratres quond. nobilis domini Francischini de Zopola ex altera, super quibus factum fuisset compromissum per partes ipsas inter spectabilem dominum Coradum de Monteregali eximium legum doctorem, ac nobiles et egregios viros ser Andream de Popaytis de Portunaonis, et ser Alovisium quond. spectabilis militis Caroli de la Torre, tanquam in arbitros et arbitratores, ut in compromisso super inde confecto, scripto manu ser Petri de Canipa et mei notarii infrascripti, sub suis millesimo, indictione et die, et per ipsos dominos arbitros et arbitratores super inde lata fuisset sententia arbitraria, ut continetur manu dicti ser Petri et mei notarii infrascripta, et deinde super ipsa orta essent certa dubia, cuius rei causa per inclitum ducale dominium venetum, per suas litteras mandatum fuisset, quod ipsi domini arbitri et arbitratores ipsa dubia declarare deberent, ut in ipsis litteris continetur, quarum tenor talis est: *Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum* (v. num. CXCI). Nunc autem ipsi domini arbitri et arbitratores volentes parere ipsis ducalibus mandatis, ac mandato magnifici et generosi viri domini Jacobi Lauredano, pro prelibato serenissimo ducali dominio Venetiarum patrie Foriiulii locumtenentis, sedentes in dicta apotheca, quem locum sibi pro idoneo elegerunt, presentibus dictis partibus, videlicet nobili viro ser Odorico de Aviano, spectabili et generoso milite domino Bernardo Tahenstain dicte terre Portusnaonis honorabili vicecapitaneo, ac nobilibus viris ser Sebastiano de Monteregali potestate dicte terre et ser Nicolao de Biscotter pro dictis communitatibus ex una, et predicto nobili viro ser Odorico et ser Simeone fratribus pro se, et ser Nicolao eorum fratre ex altera, dictam sententiam seu dubia declaraverunt in scriptis ut infra, videlicet: Nos Coradus de Monteregali, Andreas de Popaytis de Portunaonis et Alovisius de la Torre de Utino, attendentes non minus mandatis nostri illustrissimi ducalis dominii, et magnifici et generosi viri domini Jacobi Laure-

dano, dignissimi locumtenentis patrie Foriiulii, quoad compromissum in nos alias factum, declarando terminos nostre sententie alias late et dubia pro nunc inter partes occurrentia que dilucidari possunt, dicimus, pronuntiamus et declaramus quod pensio sive census solvendus pro facultate pasculandi super palude, de qua in alia sententia fit mentio, per illos de Zopola sit et esse debeat de stariis quatuor cum dimidio surgi, licet aliter appareat per litteras capitaneatus Portusnaonis. Item quod predicti ser Odoricus et fratres exigant sive exigere possint a suis subditis ville Zopole unum par pullorum quos illi de Zopola videlicet ville dicunt solvisse, sine obbligatione vel preiudicio iurium locorum et officialium predicti capitaneatus Portusnaonis. In aliis vero partibus de quibus sententia predicta declarat, ipsa forma permaneat, quam quidem declarationem suprascriptus ser Odoricus vicecapitaneus predictus et ser Sebastianus potestas antedictus, et ser Nicolaus de Biscotter nominibus antedictis laudaverunt. Dicti vero ser Odoricus et ser Simeon pro se et dicto ser Nicolao eorum fratre, dixerunt eidem stare nolle nec debere, quoniam ex dicto affictu stariorum quatuor cum dimidio eximi solebant ipsi pulli solvendi ipsis fratribus, et per hanc terminationem ipsi de Zopola darent libere, et servi de Zopola qui non solvebant de suo, gravarentur de proprio satisfacere, et aliis rationibus suis loco et tempore allegandis.

Ego Daniel quondam ser Antonii de Lautter de Portunaonis, publicus imperiali auctoritate notarius ac cancellarius magnifice communitatis terre Portusnaonis his omnibus interfui et ea rogatus in consonantia cum egregio viro ser Nicolao del Dean notario de Utino scribere scripsi, signoque meo et nomine consuetis appositis in fidem et testimonium premissorum omnium et singulorum,

Ex libro membranaceo *Commemorialium* XIV, fol. 176.

## CCXXII.

(1451, 22 novembris, Utini.)

**Jacobus Lauredanus Foriiulii locumtenens mandat Friderico de Turri ut vias in propria iurisdictione reficiat, iter commodius paraturus Friderico imperatori, qui per Portumnaonis Romam coronae suscipiendae gratia tendebat.**

Jacobus Lauredanus patrie Foriiulii locumtenens. Nobilis fidelis noster dilecte. Habuimus informationem quod sub iurisdictione

vestra sunt nonnulle strate male in ordine et vaste, per quas serenissimus dominus imperator cum societate sua nunc qui ibit versus Romam est transiturus. Et quoniam facilime ob talem defectum sequi possit inconveniens contra mentem et mandata nostri illustrissimi dominii, volentes quod maiestas sua honoretur, fidelitati vestre mandamus qualiter his habitis debeatis aptari facere omnes et singulas stratas iurisdictionis vestre, ut maiestas supradicta cum omnibus suis habiliter et commode transire valeat per stratas ipsas.

Ex castro Utini, die 22 novembris, 1451.

A tergo. Nobili fideli nostro dilecto ser Federico de Turri.

Sulpitius Millesius notarius Portusnaonis et cancellarius castri Turris exemplavit, subscripsit et sigillavit.

Exemplum apud P. M.

## CCXXIII.

(1452, 24 aprilis, Romae.)

**Nicolaus pontifex mandat episcopo concordiensi ut Portusnaonenses excommunicatos, quod Vivianum judaeum, publicum usurarium, apud se tenuerint ab eoque pecunias ad usuram receperint, a censuris absolvat, et indulgeat Vivianum inibi stare aut, eo recedente vel decedente, alium Judaeum eius loco, necessitatis ergo, suffici posse.**

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo concordiensi salutem et apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis, illis presertim que in reipublice utilitatem ad pauperum commoditatem cedere dinoscuntur, libenter annuimus, eoque quantum cum Deo possumus favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum oppidi sive terre Portusnaonis in tua diocesi petitio continebat, quod ipsi pro eorum ac aliorum incolarum et habitatorum districtus eiusdem oppidi sive terre communi utilitate quendam Vivianum hebreum sive judeum publicum usurarium in prefato oppido aliquandiu tenuerunt prout tenent de presenti, domum quoque et habitationem sibi locarunt ac pecunias ab eo ad usuram receperunt, secumque conversati sunt, ac illi carnes, granum, vinum aliaque sibi et familie sue necessaria vendiderunt: notarii quoque in dicto oppido commorantes contractus usurarios per ipsum Judeum cum dictis hominibus, incolis et habitatoribus aut aliis personis pro tempore initos conscripserunt, ac in publicam

quandam formam redegerunt, excommunicationes, aliasque sententias, censuras et penas ecclesiasticas in talia perpetrantes a iure promulgatas incurrendo. Quare pro parte communitatis et hominum predictorum asserentium quod cum ipsi prefatum Hebreum sive Judeum amplius non tenere temptassent, pendente tempore quo ipsum non tenebant, oppidum, precipue pauperes persone quamplurima damna et incommoditates sustinuerunt, quodque ipse Hebreus in dicto oppido quamplurimum necessarius existere dinoscitur, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsos de debite absolutionis beneficio providere ac alias ipsorum statui et indemnitati consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur quorumlibet Christi fidelium animarum salutem paternis exquirentes affectibus, publiceque utilitati, nec non pauperum commoditati favorabiliter annuentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam communitatem singularesque utriusque sexus homines, incolas et habitatores huiusmodi, si id humiliter petierint, ab omnibus et singulis excommunicationum aliisque sententiis, censuris et penis ecclesiasticis, si quas a iure vel ab homine quomodolibet latas premissorum occasione incurrerint, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde ipsis singulis pro modo culpe penitencia salutari, ac aliis que de iure fuerint iniungenda, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eos occasione premissorum quomodolibet contractam penitus aboleas. Et nichilominus si id ad evidentem reipublice dicti oppidi utilitatem, dictorumque pauperum commoditatem cedere cognoveris, communitati et hominibus prefatis, ut predictum, vel illo recedente seu decedente, alium Hebreum sive Judeum tenere, domumque et habitationem sibi locare, ac alia sibi et familie sue necessaria vendere, ac contractus quoslibet in quibus ius commune servari volumus, cum eodem vel altero Judeo inire et facere, ipsiusque notarii contractus huiusmodi conscribere ac in formam publicam redigere, ac omnia alia et singula in premissis necessaria seu quomodolibet opportuna, prout hactenus consueverant, et quatenus alias ius commune in dictis contractibus observetur, facere et exercere libere et licite possint et valeant, ita quod id communitati et hominibus ac incolis et habitatoribus et notariis prefatis, seu alicui eorum ad culpam non valeat imputari, nec ipsi propterea excommunicationis seu alias sententias, censuras ecclesiasticas vel temporales penas incurrere censeantur, indulgeas auctoritate memorata, non permittens

communitatem, homines, incolas, habitatores ac notarios prefatos occasione premissorum coram quovis etiam ecclesiastico iudice per quoscumque indebite molestari, vexari seu quomodolibet inquietari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod Vivianus et alius Hebreus prefati notabilem, per quod illorum a Christi fidelibus differentia habeatur, in suprema eorum veste signum gerere teneantur. Datum Rome, apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, octavo kal. maii, pontificatus nostri anno sexto.

A. de Panigalis cult. de mandato domini nostri Pape.

Documentum authent. membran. cum sigillo plumbeo appenso, apud municipium portusnaonense.

## CCXXIV.

**(1452, 20 augusti, Novae civitatis.)**

**Imperator Fridericus uxori Eleonorae lusitanae assignat sexaginta millia florenorum, titulo donationis seu augmenti dotalis, eaque assecurat una cum sexaginta millibus florenorum dotis super dominiis Portusnaonis, Blaiburgi, Stuchsenstain, et salinis ac redditibus in Aussee.**

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, ac Austrie, Stirie, Karinthie et Carniole dux, dominus Marchie sclavonice et Portusnaonis, comes in Habspurg, Tirolis, Ferretis et in Kyburg, marggravius Burgovie et lanndgravius Alsacie. Recognoscimus ac notum facimus tenore presentium, pro nobis ac heredibus et successoribus nostris in ducatibus et dominiis nostris hereditariis supradictis, quum alias in tractatu et conclusione matrimonii inter nos et serenissimam Leonoram, illustrissimi principis Alfonsi regis Portugalie, fratris et sororii nostri carissimi sororem, conthoralem nostram dilectissimam tunc temporis contrahendo, jam vero, Domino concedente, feliciter contracti atque consumati, per certos

oratores et procuratores ad hoc, tam ex parte nostra quam prefati regis Portugalie utrinque cum pleno ac sufficienti mandato deputatos, in civitate Neapolis, serenissimo principe Alfonso Aragonum et Sicilie rege, dicte consortis nostre avunculo, fratre et affine nostro similiter carissimo intermediante, deventum, ibique inter alia conclusum ac concordatum fuerit quod nos eidem conthorali nostre nonnullas terras, castra, oppida, redditus et loca alia nostra hereditaria pro summa sexaginta millium florenorum auri de camera in curia romana currentium, predicte conthorali nostre per prefatum regem eius fratrem pro dote constituta, nec non aliorum sexaginta millium florenorum similium vel equivalentium, per nos eidem viceversa pro donacione propter nupcias, seu augmento dicte dotis, sive eius recompensa assignandorum obbligare, ypotecare et specialiter consignare, ipsumque super eisdem terris, castris, oppidis et redditibus assecurare deberemus, prout hec omnia in instrumento pubblico ac litteris autenticis memorati regis Aragonum desuper confectis plenius continetur; nos volentes huiusmodi pacta, conventiones et capitula, quantum nobis incumbit et ad nos pertinet, observare et eisdem plene satisfacere, prefate conthorali nostre dilectissime infrascriptas terras, castra, oppida, dominia ac redditus, videlicet terram Portusnaonis cum suo castro et dominio in partibus Foriiulii, item castrum et oppidum bleiburgense in ducatu Karinthie, item castrum Stuchsenstain in ducatu Austrie situata, item super salinis et redditibus nostris in Aussee in ducatu nostro Styrie, quatuor millia et septuaginta florenorum annuorum reddituum, que omnia nostri iuris, proprietatis et dominii hereditarii existunt, una cum omnibus et singulis dictorum castrorum, terrarum et oppidorum ac cuiuslibet ipsorum iuribus, iurisdictionibus, villis, possessionibus ac eorum districtibus, confinibus et pertinenciis, nec non universis fructibus, redditibus et proventibus suis, qui quidem communi estimacione annuatim se una cum supradictis quatuor millibus et septuaginta florenis ad summam sex millium florenorum se extendunt, pro prefata dotis ac donationis summa, videlicet centum et viginti millium florenorum predictorum, tenore presentium, ex certa nostra scientia, obbligamus, ypothecamus, consignamus, ipsamque conthoralem nostram super eisdem terris, castris, oppidis et redditibus predictis assecuramus, ita quod ipsa eadem castra, terras, oppida et redditus, suis casibus, libere tenere, possidere et percipere, illisque uti et frui possit et debeat iuxta formam et continentiam concordatorum

predictorum. Providimus etiam per speciales litteras nostras preceptorias dictarum terrarum, castrorum, oppidorum et reddituum capitaneis, castellanis, officialibus et subditis commisimus, et ad maiorem dicte conthoralis nostre assecurationem et cautelam, eisdem tam presentibus quam futuris, tenore presentium, precipimus et mandamus, quatenus ad omnem requisitionem prefate conthoralis nostre aut suorum in hac parte procuratorum ad hoc speciale mandatum habentium, eidem vel procuratoribus suis fidem et promissionem debitam faciant, et in eventum restituende dotis ac assignande sive retinende donationis supradicte, suis casibus in dictis capitulis concordatorum specialiter designatis et expressis, dictarum terrarum, castrorum, oppidorum et reddituum realem et actualem atque liberam et expeditam eorundem possessionem tradant et assignent, deque eorum fructibus et proventibus nec non redditibus supradictis respondeant et obbediant, ad quam quidem traditionem, assignationem, responsionem et obbedientiam, eidem conthorali nostre vel suis procuratoribus ex tunc faciendam, eosdem quicumque pro tempore fuerint efficaciter volumus esse astrictos et obbligatos, quacumque alia obbligatione, promissione aut iuramento nobis vel heredibus aut successoribus nostris prius prestitis non obstantibus, absque etiam ulla heredum aut successorum nostrorum vel aliorum quorumcumque contradictione, molestia sive impedimento. Interim autem pro ampliori dicte conthoralis nostre cautela et securitate constituimus nos dictas terras, castra, oppida et redditus tanquam eidem pro dicta dotis ac donationis assignatione obbligata, ipsius vice et nomine possidere, adiicientes quod si eandem conthoralem nostram in predictis redditibus vel aliqua dictarum terrarum, castrorum, oppidorum aut annuorum reddituum eorundem quemquam defectum sive diminucionem habere contingat, eundem volumus et promittimus nos aut heredes vel successores nostri predicte conthorali nostre de aliis terris, castris et redditibus nostris usque ad pretaxatam summam sex millium florenorum annuorum reddituum integre refundere atque resarcire, ita quod in eisdem nullum penitus defectum sive detrimentum patiatur. Volumus autem predictam obbligacionem, ypothecam et consignationem de prefatis terris, castris, oppidis et redditibus prefate conthorali nostre factam ad predictum regem Portugalie et heredes suos, suo casu, cum videlicet predicta dos sibi vel heredibus suis, iuxta prefatorum capitulorum continentiam restituenda erit, simili modo extendi

atque prorogari, reservatis tamen nobis et heredibus vel successoribus nostris omnibus et singulis circa premissa vel aliquod premissorum, videlicet retentione ususfructus pro tempore vite nostre, detractione prefate consignationis pro rata dotis non solute, ac etiam reluitione predictarum terrarum, castrorum, oppidorum et reddituum in suis casibus, tam ratione dotis quam donationis antedicte nobis et prefatis heredibus aut successoribus nostris, tam ex predictis capitulis concordatorum quam alias de iure vel consuetudine quomodolibet competentibus et eorum remediis et actoribus semper salvis. In quorum fidem et testimonium presentes litteras confici et sub typario maiestatis nostre aureo fecimus ac iussimus communiri. Datum in Nova civitate, die vigesima mensis augusti, anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, regni nostri anno tredecimo, imperii vero primo.

Commissio domini imperatoris in consilio. . .

Ex membrana cum bulla aurea pendenti, in tabulario caesareo vindobonensi.

## CCXXV.

(1452, 23 augusti, Novae civitatis.)

**Fridericus imperator Bernardo de Tahenstein, ubi nuntiavit Eleonorae uxori obbligasse, titulo augmenti dotalis, castrum et terram Portusnaonis, aliaque alibi sita, mandat ut obbedientiae sacramentum una cum civibus praestet.**

Wir Friderich von Gotes Gnaden Römischer Kayser zu allen Zeyten Merer des Reychs, Hertzog ze Osterreych und ze Steyr ec. Embieten unserm getrewen lieben Pernarten von Tahenstain, unserm Rat und Hauptmann zu Portenaw unser Gnad und alles Gût. Wir lassen dich wissenn das wir unser lieben Gemahel unser Herschafft, Geslos und Statt Portenaw mit Irer Zugehörung verschriben und Sy darauff und auf ettliche andere Stuck umb Ir Heiratgût und Widerlegung verweyset und versichert haben nach laut unser Verschreybung Ir darumb gegeben. Darumb emphellen wir dir und wellenn ernstlich das du denselben unser Gemahel und unsers lieben Swagers des Künigs von Portugal Pottschaft oder Iren anwelden, so du mit disem unserm Brief darumb angelanget wirdest, gelobest und versprechest mit den bemelten unser Herschafft, Gesloss und Statt, und allen Iren Nutzen

und Rennten, Zinsen und Zugehörungen, so das zu Schulden chümpt nach laut der bemelten Verschreibung gehorsam und gewärtig zu sein und in dieselben Nütz, Rennt und Zins an all Intrag und Widerred ze rayhen und ze antwurten zu Iren Hannden. Wir schreyben auch hiemit und emphellen den erbern, weysen, unsern getrewn, lieben dem Potestat, Richter, Rat und Gemain unser Statt daselbs zu Portenaw Ir oder Iren anwelden solich Geleub und Ayd auch ze tun, doch vorgehalden uns und unsern Erbenn die Oberkait und Ablösung darauff und die Nücz und Rennt davon unser Lebtag auf ze heben nach Inhaltung der bemelten unser Verschreibung und gantzen Gewalt dich und ander unser Hauptleut dasselbs wer die künftigleich da werend zu stizen und zu entsetzen nach unserm Gevallenn, doch der bemelten unser lieben Gemahel und dem obgenanten Künig von Portugal an der vorgemelten Verschreybung unvergriffenlich und an Schaden ungeverlich, das meynen wir ernstlich. Geben zu der Newnstatt an Sand Bartholomeus Abent, under unserm Insigel so wir vor unser kayserlichen Krönung geprauchte haben und noch prauchen. Anno Domini ec. quinquagesimo secundo, unsers Reych im dreyzehenden und unsers Kaysertumbs im ersten Jar.

Ex autogr. membran. tabularii caesarei vindobonensis.

## CCXXVI.

(1452, 24 augusti, Novae civitatis.)

**Fridericus imperator nuntiat Portusnaonensibus, castrum et terram Portusnaonis cum aliis castris, oppidis et redditibus obbligasse Eleonorae uxori et Alphonso Lusitaniae regi, titulo donationis propter nuptias; eoque mandat ut Eleonorae et Alphonso aut eorum procuratoribus promissionem et fidem praestent.**

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, ac Austrie, Stirie dux ec. honestis, prudentibus, fidelibus nostris dilectis potestati, judicibus, consulibus et communi terre nostre Portusnaonis gratiam caesaream et omne bonum. Honesti, prudentes, fideles, dilecti. Noveritis nos serenissime Leonore conthorali nostre dilectissime, ac etiam serenissimo principi Alfonso regi Portugalie, sororio nostro carissimo et heredibus eius dominium, castrum et terram nostram Portusnaonis, cum omnibus suis perti-

nentiis, una cum quibusdam aliis castris, oppidis et redditibus pro dicte conthoralis nostre dote ac donatione propter nuptias, sive eiusdem dotis augmento aut recompensa, pro eorundem securitate obbligasse, prout in huiusmodi obbligationum litteris desuper confectis plenius continetur. Quapropter vobis tenore presentium precipimus et mandamus seriose, quatenus antedicte conthorali nostre ac prefati regis Portugalie oratoribus et nuntiis seu procuratoribus eorum, cum ab eis presentibus requisiti fueritis, promissionem et fidem prestetis, qua eidem conthorali nostre ac regi prefato vel heredibus suis cum dicta terra nostra Portusnaonis ac pertinentiis suis, cum casus se iuxta dicte obbligationis tenorem obtulerit, parere et obbedire, eisque in eventum dicti casus, de eiusdem terre nostre iuribus, fructibus et redditibus nobis debitis, quantum ad vos spectat, respondere velitis, prout nobis et heredibus nostris in presentiarum facitis et estis obbligati. Nos enim fideli nostro dilecto Bernardo de Tahenstain capitaneo nostro similiter de castro nostro ibidem facere commisimus, salva tamen semper nobis, heredibus et successoribus nostris superioritate dicte terre et castri, nec non plenaria facultate dictum dominium, castrum et terram cum suis pertinentiis ab antedicta obbligatione et ypotheca suo tempore, cum id heredibus et successoribus nostris placuerit, a prefata conthorali nostra nec non dicto rege aut heredibus suis redimendi, atque usufructu dicte terre nostre pro toto tempore vite nostre, prout in dictis obbligationum litteris nobis ac prefatis heredibus nostris predicta expresse dignoscuntur reservata, nostram in eo adimpleturi voluntatem. Datum in Nova civitate, die vigesimaquarta mensis augusti, sub sigillo nostro quo ante coronationem nostram imperialem uti consuevimus et adhuc utimur. Anno Domini ec. L. secundo, regni nostri tredecimo, imperii vero primo.

A tergo: Spectabili viro, discreto domino Andree potestati, consilio et communitati terre Portusnaonis.

Ex autogr. membran. in tabulario caesareo vindobonensi. Autographum alterum cartaceum habet Petrus de Montereale.

## CCXXVII.

(1452, 25 augusti, Portusnaonis.)

**Pacta a capitaneo, potestate et massariis communis Portusnaonis conventa, quibus Viviano judaeo concessum pro annis quinque proxime futuris in Portunaonis degere, dummodo certis conditionibus pecuniam, pignoribus et foenore acceptis, commodet.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, indictione quintadecima, die vigesimo quinto mensis augusti. Actum in Portunaonis, in cancellaria communis, presentibus nobilibus viris ser Sebastiano de Monteregali, ser Gotardo quondam ser Johannis, ser Francisco a Fonte, ser Nicolao de Biscotter, ser Frederico de Crescendulis, ser Orlandino de Richeriis, ser Nicolao de Rustiginis, ser Honofrio, ser Francisco de Zopola, magistro Petro Rawberer, testibus et aliis quampluribus de consilio terre Portusnaonis, congregatis et vocatis ad hoc. Item etiam presentibus ser Petro de Manticis, ser Grenedo de Grenedis, ser Nicolao de Spellatis, Egidio de Lautter, magistro Odorico de Ravena, magistro Nicolao Delatenda, magistro Christophoro de Ruvone, magistro Daniele de Villalta.

Infrascripta sunt pacta et conventiones habita et firmata inter magnificum et strenuum militem dominum Bernardum Tanstonum (Tahenstain) honorabilem capitaneum terre Portusnaonis, spectabilem virum ser Andream de Popaytis potestatem, ser Christophorum de Richeriis et ser Albertum de Popaytis, massarios communis terre Portusnaonis, et ex determinatione majoris partis consilii dicte terre parte ex una, et Vivianum judeum ex altera, pro annis quinque proxime futuris, incipiente termino primo die mensis septembris proxime venturi.

1. Et primo che lo dito Zudeo cum la soa fameia, fatori et altri soi possa star e habitar in Pordenon, inprestar dinari a usura sora pegni mobili, i quali haber meter el possa alogar e salvar in caxa soa e li quali al dito Zudio parera sufficienti, per pizoli tre per lira per cescadun mexe, intendando che sia pagado integramente del primo mexe, non obstante ch' el mexe non fosse complido. E se algun pegno sera scosso inanzi la mitade del mexe, el dito Zudio se possa pagar

dela usura per mezo mexe. E sel sera scòs o el dito pegno passado mezo el mexe, che lo dito Zudio tuor possa la usura de tuto quel mexe, e questo intendando deli habitadori e citadini de la terra de Pordenon e del so destreto, e non de altri. E ali altri forestieri el dito Zudio possa tuore pizoli quatro per lira cum le conditione soprascrite.

2. Item che lo dito Zudio sia tignudo da tignir ceschadun pegno quel di ch' el pegno sera inpegnado per sino a un anno, se denanzi non sera scosso el dito pegno, fazendoghe un bulitino de quel pegno a chi gelo domandera, e passado l'anno delo pegno, el dito Zudio debia far far una crida in li logi usadi dela terra de Pordenon, che zeschadun che auera pegni impegnadi al dito Zudio, deli quali sia passado un anno, per sin un mexe dapo fatta la crida debia auer scosso ouer paga la usura, o esser in acordo cum lo dito Zudio, altramente li diti pegni siano vendudi ut infra.

3. Item che zeschadun pegno de quatro lire in su che passado un anno non sera scosso, como e dito de sopra, che lo dito Zudio voiandolo far vender, possa, ma che luy faza quello o quelli pegni incontrar et vender per lo comandador per tre merchori luno dreto l'altro, e sel achadesse un de quelli merchori esser festa solenne, che li se venda lo primo di seguente non feriato. E se li diti pegni se vendera piu de quello che debia aver lo Zudio, che quello piu sia dado a culuy de chi sera stado lo pegno, pagandose le spexe delo comandador e scritture fosse fatte, como aparera a uno lo qual sera per lo conseio dela terra de Pordenon sora de zo deputado. E se in lo spacio de tre merchori non fosse chi volesse comprar li diti pegni, e dar tanto che sera lo cavedale e lo utele etiamdio le spexe, che lo dito Zudio aver dovesse, che alora e in tal caxo lo dito Zudio possa meter suso e comprar luy per se li diti pegni, e siano soy.

4. Item sel sera zentilomo o castelano forestiero che avesse impegnado aleun pegno, che passado l'anno dapo aveva impegnado, e non avesse pagada l'usura, voiando lo dito Zudio far vender li soi pegni, sia tignudo de notificargelo per una cedula che perfin un mese el debia aver scosso, se non como e dito de sora sia fatto.

5. Item che zeschadun a chi lo dito Zudio inprestera, sia tignudo da render simel moneda che ge sera inprestado, zoe ducati per ducati, e moneda per moneda, e che se debia in zeschadun

caxo dar piena fede ali quaderni del dito Zudio, de dinari inprestadi, pegno, usura, tempo e çeschaduna altra cossa ocorera, salvo che sel se reprovasse per do over per tre testimonj homeni degni de fede dela terra de Pordenon o del so destretto.

6. Item se caxo fosse che monede se dovesse mudar e ch' el se savesse che le se dovesse mudar, che lo dito Zudio non sia tignudo da ricever le dite monede, cum questo che perfin a un mexe el no debia tuor usura, dapo che l' a voiudo dar li dinari, ma passado lo mexe si, non scodando lo pegno culuy che lo avera impegnado.

7. Item che lo dito Zudio non sia tignudo de inprestar su carte, possession per carte o per scritto de mano sigurta, ma se lo dito Zudio inprestera sora carte, possession, scritto de man o segurtà, debagli esser facta raxon summaria deli diti denari e del pro che seguira sia constreti alla summa del cavedale e pro, e possa tuor ali citadini pizoli quatro per lira al mexe, e ali forestieri segundo luy se convignera.

8. Item che lo dito Zudio non inpreste ad algun citadino sora cosa de glesia sagrada. E che lo dito Zudio non sia constricto a inpressar sora arme, se no al so bon piaxer.

9. Item che se algun deli Zudey fesse quistion o Cristiani cum li diti che pena occoresse pecuniaria ad alguna dele parte, si al Cristiano como al Zudio, che la pena sia duplicada si al Cristiano como al Zudio.

10. Item se alcun pegno che fosse impegnado sotozasesse ad algun pericolo, como de fogo, de tarme, de sorzi, o ch' el fosse involato, e ch' el fosse evidente e manifesto, o per altra caxon el se vastasse senza caxon del dito Zudio, lo dito Zudio non sia tignudo ad emendacion deli diti pegni tegnando gatte in caxa.

11. Item se algun se vora lamentar de alguna fraude o ingano che lo dito Zudio avesse fatto, non se possa lamentar se non persin a doy mexi proximi da poy la fraude comessa, e passadi li diti doy mexi non possa e non debia algun che se volesse agrevar esser aldido diretta o indirettamente, e in caxo infra li diti doy mexi fosse trovado lo dito Zudio aver fatto alguna fraude, vuol esser tignudo a refar lo dopio de quello avera defraudado o inganado, el qual pervignir debia ala signoria de Pordenon.

12. Item che alo dito Zudio sia reservado le so feste secondo la leze zudaicha, e lo dito Zudio per alguna via e modo non possa

ne debia esser costretto ne examinado a far contra la so leze zudaicha, ne per preti, ne per mondani, ne per alguna altra persona del mondo, e ch' el ge sia dado sovencion de tutto quello che ge sera de bexogno, como si fatto alli Cristiani, e etiamdio che ge sia dado per li bechari carne sufficiente per so uso, al so modo, segondo la soa leze zudaicha per lo prexio che avera li citadini de Pordenon.

13. Item che lo dito Zudio non sia tignudo ad alguna angaria o facion si per guera como per tempo de paxe, si reale como personale per algun modo, salvo ch' el sia tignudo pagar ogni anno ala comunitade de Pordenon ducati diexe per le dite angarie, e ch' el sia tratado luy e la soa fameya como li citadini de Pordenon, e defexo e guardato.

14. Item che li debia esser dado al dito Zudio lo so luogo usado per sepelir li soy corpi morti, a altro luogo de fuora appresso la terra de Pordenon sufficiente.

15. Item che lo dito Zudio possa e debia star in Pordenon a inprestar perfin anni cinque proximi, che debia vignir segundo li sorascriti patti e convencion, e infra questo termine di cinque anni non possa esser descazado, ne removestoge li diti pati e convencion per algun modo, ma se a luy non piaxera de stare al dito termine e inanzi lo dito termine se volesse partir, se possa partir cum tutte le soe cose e roba liberamente, salvo che inanzi la soa partita debia far fare una crida como lo dito Zudio non vole qui star a inprestar, e che zeschadun cosi terier como forestier che ge avera impegnado algun pegno, perfin a sie mexi proximi che seguira dapo fatta la crida li forestieri, e li terieri sie mexi e quindesi di da poy la crida fatta, debia aver scosso li soy pegni, altramente passadi li diti sie mexi per li forestieri e sie mexi e quindexe di per li terieri, li diti pegni remagna al dito Zudio, e liberamente possa portar via cum l'altra soa roba. E se lo dito Zudio complisse lo termine de cinque anni, e se volesse partir, ch' el sia tignudo de far far una crida simele de sie mexi per li forestieri, e sie mexi e XV di per li terieri, como è dito de sora, e passado el termine preditto, li diti pegni liberi remagna al ditto Zudio, i quali el possa portar liberamente fora del destretto de Pordenon senza alguna contradicion e molestia.

16. Item che aproximandose el termine deli zinque anni, el dito Zudio sia tignudo sie mexi inanzi el termine deli cinque anni notificar

ala comunitade de Pordenon el so termine, e etiamdio se complido el termine delli zinque anni, el vol star a inprestar più in Pordenon.

17. Item che lo dito Zudio ne algun dela soa fameia soto pena de lire XXV da esser pagade al comun, non vada al bagno deli Cristiani, salvo che lo venerdi, che etiamdio non vade alle feste cum li diti Cristiani, soto pena de lire XXV.

18. Item che la dita comunita de Pordenon, ne algun altro non possa ne debia tuor altri a inprestar si in la terra como in lo destreto denari a usura senza expressa licentia e voluntade delo dito Zudio, infora lo termine che lo dito Zudio stara a inprestar ut supra.

19. Item sel bexognera ala dita comunitade che lo dito Zudio sia tignudo de inprestar fin ala summa de ducati cento senza usura, dagandoge bon pegno o bona segurtade.

20. Item che algun homo o pure sia teriero como forestiero non possa e non debia, si in palexe como soto man o in ascoxo, inprestar dinari a usura ad alguna persona dela terra over del destretto de Pordenon, soto pena de libre XXV per zeschadun e zeschaduna volta che sera contrafato, la qual pena debia pervignir a misser lo capitanio e ala comunita, e chi lo acusera sera tignudo de secreto.

21. Item che se algun citadin e destrettuale de Pordenon impegnasse algun pegno de algun forestiero soto specie che fosse so, sia tignudo quello manifestar de presente al dito Zudio, soto pena de lire X per zeschadun e zeschaduna volta che luy contrafara, dela qual pena la mitade sia del comun, e l'altra mitade del acusadore, e deli diti pegni sia pagada la usura como di forestieri.

22. Item che se alguno che avesse involado algun pegno, lo impegnasse al dito Zudio, ch' el dito Zudio non sia tignudo ne possa esser costretto vender lo ditto pegno, sel non ge sara dado lo cavedal overo pro e la usura, e ch' el non sia tignudo de manifestar lo ladro che ge aveva impegnado altramente che dir e manifestar el nome scrito suxo lo libro del dito Zudio.

Li quali tuti pati e convencion sorascrite prometereno le dite parte attender e observar l'una a l'altra, in pena de ducati zinquanta d'oro, la qual pena pagada o no, niente de mancho devese attender e observar ec. Et in testimonianza e fermeza dele predite cose i prediti messer lo capitanio e podesta e massari de comun sotomete li sezelli del dito messer lo capitanio e quello dela comunitade non

prejudicando al dito messer lo capitanio ne ay soy heredi de algun danno o interesse.

Ex membrana authent., cui tamen sigilla ablata, municipii portusnaonensis. Titulus externus quinque lineis, hebraicis caracteribus dat documenti summarium.

## CCXXVIII.

(1452, 13 septembris, Leoben.)

**Lupus de Almeyda et Joannes Fernandi de Silveira regis Lusitaniae procuratores deputant Petrum Fynz et Pelagium Varella ad suscipiendam fidem et promissionem a castellano castri Portusnaonis super obbedientia eidem regi a Portusnaonensibus praestanda, ac redditibus, ex pacto cum imperatore inito, ei solvendis.**

Nos Lupus de Almeyda miles alterque ex duobus supremus serenissimi regis Portugalie reddituum provisoribus et Johannes Fernandi de Silveira legum doctor et miles, eiusdem illustrissimi regis consiliarii et oratores ad imper. maiest. nec non procuratores sufficientes ad infrascripta, ut etiam autenticis documentis eidem serenissime imperatrici ostendimus, constituimus et substituimus in predicti domini regis procuratores Petrum Fynz et Pelagium Varela portugallenses et excellentissime imperatricis fideles familiares presentis procurationis ostensores, utrumque simul et alterutrum per se ad suscipiendam fidem et promissionem a castellano castri Portusnaonis de respondendo et fideliter obbediendo prefato illustrissimo regi et a rectoribus reipublice oppidi eiusdem Portusnaonis, de prestando eidem serenissimo regi subiectivam obbedientiam et sub ipsius directione, nomine ipsorum totiusque populi, se submittendo et ab exactoribus sive questoribus dominiorum, introitum de respondendo prenominato domino regi vel suum mandatum habenti, cum omnibus redditibus qui pacto, iure vel consuetudine ad dominium dicti Portusnaonis pertinent sive pertinere debent, et ab exactoribus sive questoribus iurium et introituum quos excellentissimus imp. in salinis Stirie pacto, iure vel consuetudine vendicat sive vendicare potest. Quas fidem et promissionem recipiant et recipere possint iuxta conditiones, modum, tenorem et formam litterarum que ad supradictos castellanum, rectores, questores ab imperiali maiestate super talibus fide et promissione prestandis diriguntur. Que omnia supradicta memo-

ratis Petro Fynz et Pelagio Varela, nomine supradicti domini regis committimus, quod aliis impediti negotiis, istis intendere nequivimus. In cuius rei testimonium has litteras scribi fecimus, propriisque manibus subscripsimus et nostris solitis signetis (sic) firmavimus in Leuben, XIII mensis septembris, anno Domini MCCCCLII.

Ex autogr. membran. tabularii caesarei vindobonensis.

## CCXXIX.

(1452, 10 octobris. Leoben.)

**Eleonora Romanorum imperatrix deputat familiares suos Pelagium Varela et Petrum Fynz, dato decreto procuratorio ostendendo, ad suscipiendam fidem et promissionem a castellano castri Portusnaonis super obbedientia a Portusnaonensibus reginae praestanda, ac redditibus exsolvendis.**

Leonora divina favente clementia Romanorum imperatrix semper augusta, ac Austrie, Stirie, Karinthie, Carniole ducissa, comitissaque Tyrolis. Confidentes de fide et probitate Pelagii Varela, viri generosi et Petri Fynz scutiferi, fidelium familiarium nostrorum et presentis procuratorii ostensorum, constituimus eos nostros legitimos procuratores et negotiorum gestores, utrumque insimul et alterutrum per se, ad suscipiendam fidem et promissionem a castellano castri Portusnaonis, de respondendo et fideliter obbediendo nobis et rectoribus reipublice oppidi eiusdem Portusnaonis, de prestando nobis subiectionem, obbedientiam, et sub nostra directione, nomine ipsorum totiusque populi, se submittendo et ab exactoribus sive questoribus dominiorum introitum de respondendo nobis vel nostrum mandatum habenti, cum omnibus redditibus qui pacto, iure vel consuetudine ad dominium dicti Portusnaonis pertinent sive pertinere debent, et ab exactoribus sive questoribus iurium et introituum quos excellentissimus imperator dominus noster in salinis Stirie pacto, iure vel consuetudine vendicat sive vendicare potest, nec non a castellano et capitaneo castri et terre Pisini in partibus Istrie, de respondendo et obbediendo nobis cum dicto castro et oppidi sive terre iurisdictione et redditibus. Damus etiam eis potestatem nostro nomine de dicto castro, oppido sive terra Pisini de presenti realem possessionem accipiendi, prefato castellano et capitaneo aliisque officialibus in suis officiis et admini-

stratione mansuris. Quas fidem, promissionem et possessionem recipiant et recipere possint iuxta conditiones, modum et formam literarum que ad supradictos castellanos, rectores et questores a supradicto serenissimo imperatore domino nostro super talibus fide et promissione prestandis et accipienda possessione diriguntur. In cuius rei testimonium has litteras scribi nostroque maiori sigillo quo ante susceptionem corone imperialis uti consuevimus, muniri iussimus. Datum apud nostrum oppidum Leuben, decima die mensis octobris, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, imperii vero nostri anno primo.

Ex autogr. membr. in tabulario caesareo vindobonensi.

## CCXXX.

(1452, 13 octobris, Portusnaonis.)

**Capitaneus, potestas, consilium et commune Portusnaonis promittunt cum iuramento Pelagio Varela et Petro Fynz, nunciis et procuratoribus Eleonorae imperatricis, obbedientiam praestare ac redditus solvere eidem Eleonorae, iuxta tenorem litterarum procurationis consilio Portusnaonis praesentatarum.**

In nomine sanctissime et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti amen, anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, indictione quintadecima, die tertiadecima mensis octobris, in terra Portusnaonis, in cancelleria communis, presentibus testibus infra notatis et nominatis, atque existentibus nobilibus et magnificis viris domino Bernardo de Tahenstain, honorabili capitaneo castri terre Portusnaonis pro serenissimo, invictissimo et potentissimo domino domino Friderico divina favente clementia Romanorum imperatore semper augusto, inclito duce Austrie ec. domino nostro generosissimo, et domino Andrea de Popaytis potestate, consilio et communitate dicte terre Portusnaonis, ibique per spectabilem et generosum virum Pelagium Varela ac expertum et honorabilem Petrum Fynz scutiferum, nuncios et procuratores serenissime ac excellentissime domine domine Leonore, divina favente clementia, Romanorum imperatricis semper auguste, ducisse Austrie ec. domine nostre, presentate fuerint littere prefati serenissimi et invictissimi domini Romanorum imperatoris ec. dicto magnifico

domino Bernardo, castri dicte terre capitaneo, quarum tenor talis est: *Wir Friderich* (v. num. CCXXV), et spectabili viro discreto domino Andree potestati, consilio et communitati dicte terre Portusnaonis ec., quarum tenor talis est: *Fridericus. divina* (v. num. CCXXVI). Insuper per eosdem nuncios et procuratores presentate et ostense fuerint due littere procuratorie, videlicet una predicte serenissime domine imperatricis, domine nostre, que de verbo ad verbum taliter sequitur: *Leonora, divina* (v. num. CCXXIX), et alia strenuorum magnificorumque militum, dominorum Lupi de Almeida et Johannis Fernandi de Silveira, legum doctoris, consiliariorum serenissimi et potentissimi domini, regis Portugalie ec. et sue serenitatis ad sacram imperialem maiestatem oratorum et ambasiatorum, procuratorum negotiorumque gestorum, cuius tenor infrascriptus: *Nos Lupus de Almeyda* (v. num. CCXXVIII). Quibus quidem litteris sic ostensis et presentatis et per me notarium infrascriptum lectis et expressatis, prefati Pelagius Varela et Petrus Fynz dicte excellentissime domine imperatricis et serenissimi regis Portugalie nuncii et procuratores, nomine ipsorum et virtute ipsarum litterarum procuratorii institerunt et requisiverunt ut supradictus dominus capitaneus, potestas, consilium et commune dicte terre, iuxta tenorem, modum et formam contentam in suprascriptis litteris serenissimi domini imperatoris deberent facere et prestare debitam promissionem fidelitatis, casibus advenientibus, ut in ipsis litteris continetur. Qui dominus capitaneus, potestas, consilium et commune dicte terre, visis, auditis et sane intellectis litteris et mandatis suprascriptis, insuper audita instancia et requisitione dictorum nunciorum et procuratorum, cupidi et ferventes mandatis eisdem serenissimi domini imperatoris parere, prout semper fecerunt et merito tenebantur, nomine ipsorum totiusque populi, responderunt dictis nunciis et procuratoribus, litteras antedictas excellentissimi domini imperatoris et contenta in eisdem iuxta tenorem et formam ipsarum exequi velle, promissionemque debite fidelitatis et obbedientie prestare casibus advenientibus. Et idem dominus capitaneus iuxta tenorem et formam litterarum suprascriptarum per ipsum a serenissimo domino imperatore receptarum bona fide et nomine sacramenti, manibus tensis, promisit et iuravit per predictos nuncios et procuratores parere, obbedire et debitam fidelitatem subiectivamque obbedientiam de dicto castro, cum omnibus suis iuribus, introitibus sive redditibus et pertinentiis prestare sepedictis excellen-

tissime Romanorum imperatrici domine nostre, et excellentissimo domino regi Portugalie ec. et suis heredibus, unicuique in suo casu. casibus advenientibus, prout hactenus prelibato excellentissimo domino imperatori domino nostro fecerat, prestiterat et de presenti faciebat et prestabat. Et similiter dictus dominus potestas, consilium et commune dicte terre iuxta tenorem et formam litterarum suprascriptarum, per eos a prefato excellentissimo domino imperatore receptarum tanquam fideles et humiles subditi prelibati excellentissimi domini imperatoris promiserunt et iuraverunt bona fide, nomine ipsorum totiusque populi, per predictos nuncios et procuratores parere, obbedire et debitam fidelitatem subiectivamque obbedientiam de dicta terra, cum omnibus suis iuribus et pertinentiis prestare sepedictis excellentissime Romanorum imperatrici domine nostre et prefato serenissimo domino regi Portugalie ec. et suis heredibus, unicuique in casu suo, casibus advenientibus, prout hactenus prelibato excellentissimo domino imperatori domino nostro fecerunt et prestiterunt et de presenti faciebant et prestabant, et in presentibus suis litteris expresse continebatur. Quibus omnibus sic actis, gestis et recitatis testes fuerunt strenuus et nobilis vir dominus Johannes de Meneses generosus et curialis prefati excellentissimi domini regis Portugalie. Gondissalvus Johannes dicti domini Johannis familiaris, hi Portugallenses, venerabiles viri dominus presbyter Johannes Daniel de Volvenis, vicarius ecclesie sancti Marci de Portunaonis, presbyter Stephanus de Sancto Focato, presbyter Antonius Novellus, presbyter Daniel de Saporitis, presbyter Franciscus quondam magistri Federici muratoris, presbyter Renaldus, omnes officiales in dicta ecclesia sancti Marci, Johannes Onab et Joannes Frankch, Petrus Lenghaimer. familiares supradicti domini capitanei terre Portusnaonis, vocati specialiter, adhibiti et rogati.

Ego Daniel quondam ser Antonii de Lautter, civis et habitator terre Portusnaonis et spectabilis communitatis dicte terre cancellarius publicus, imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui eaque rogatus a supradictis Pelagio Varela et Petro Fynz, nunciis et procuratoribus ut supra, scribere scripsi, et quia ignorabam linguam et scripturam theutonicam, auctoritate mihi concessa, per fidelem et venerabilem dominum presbyterum Johannem theutonicum, habitantem in castro Portusnaonis, notare et scribere feci litteras serenissimi domini imperatoris theutonice scriptas in suprascripto instrumento de verbo ad

verbum concordantes, habita debita diligentia et consonantia super idem a personis fide dignis, et me subscripsi, signoque meo et nomine consuetis appositis, in fidem et testimonium premissorum omnium et singulorum.

Ex duplici documento originali in tabulario caesareo vindobonensi.

## CCXXXI.

(1453, 18 ianuarii, Novae civitatis.)

Cum non obstante proclamatione facta tenentibus feuda *de iuribus et scripturis propriis* coram caesare *ostensuris*, nonnulli huiusmodi feuda fraudulenter occultarint, Fridericus imperator nuntiat Portusnaonensibus, Orlandino de Riccheriis commisisse *ut super talibus diligenter inquirat* et feuda occultata ei denunciet.

Decretum editum in *Raccolta dei privilegj dei conti Ricchieri* cc. p. 39—40; non ex integro protulit Birk in *Urkunden-Auszüge zur Geschichte Kaiser Friedrich des III. in den Jahren 1452—1467*. Wien, 1853, p. 2.

## CCXXXII.

(1454, 24 ianuarii, Novae civitatis.)

Fridericus imperator dat Portusnaonensibus facultatem *cameram salis in eo oppido nostro publice tenendi ac sal ad eandem imponendi, et quibuscunque volentibus emere equo pretio vendendi*, tamen sine praeiudicio villarum *sub dominio Portusnaonis constitutarum*, quarum habitatores *ubicumque voluerint, libere sal pro usibus familiaribus suarum necessitatum emere et comparare possint et valeant*.

Decretum editum in *a) Statuta Portusnaonis* ann. 1609 p. 154; ann. 1670, p. 111; ann. 1755, p. 118; *b) Stampa della fedeliss. comunità di Pordenone* s. l. et a. (1798), p. 28—29; per compendium protulit Birk loco cit., p. 8.

## CCXXXIII.

(1454, 24 iulii, Venetiis.)

**Dux Venetiarum nuntiat capitaneo Portusnaonis animalia nobilibus de Zopola ablata esse restituenda, monetque de confinium dissidiis cum iis perbrevi declinandis.**

Franciscus Foscari, Dei gratia, dux Venetiarum cc. Spectabili viro capitaneo Portusnaonis, amico dilecto salutem et sincere dile-

ctionis affectum. Fuimus superioribus diebus contenti, ad instantiam litterarum serenissimi domini imperatoris, et preces spectabilitatis vestre, terminum cognoscendi differentias confinium vertentes inter communitatem Portusnaonis et spectabiles nobiles de Zopula elongari ad festum sancte crucis de mense septembris proximi, ut interim nulla per partes fieret novitas: quod sane intelligi debebat et debet territorium differentie utrique parti, ipsa pendente lite, esse neutrale, et unam sicuti alteram in ipsum intrare posse. Sed, ut informati sumus, illi de Portunaono volentes rem sibi reddere propriam, et per viam indirectam acquirere possessionem, pignerarunt illos de Zopula, qui animalia eorum in territorium differentiarum introduxerunt: quod ab omni iusticia et equitate est alienum. Quare non intendentes tolerare ut predicti nobiles de Zopula per hanc viam eorum priventur iuribus, precamur et requirimus spectabilitatem vestram, ut provideat quod queque post motas differentias ablata cum effectu restituantur et liberentur, et nulla alia fiat novitas, nam, ut intelligere debetis, nisi huic tam iuste requisitioni nostre satisfieret, cogeremur pro debito nostro erga vobis subditos opportunam facere provisionem. Verum si forte ipsi de Portunaono allegare vellent eis innovatam fuisse ob ablata et vendita sua pignora pro satisfactione expensarum taxatarum per auditores nostros, dicimus: et de ea causa expensarum non vertitur lis, quoniam iam sunt cogniti debitores: et si solvissent, pignorati non fuissent: sed hac ratione nullatenus eis erat licitum accipere pignora pro dictis de Zopula: et si de facto illa acceperant, debent ea restituere: et sic requirimus.

Data in nostro ducali palatio, die XXIIII mensis iulii, indictione II. MCCCCLIIII.

Ab extra: Spectabili viro capitaneo Portusnaonis, amico dilecto.

Authenticum documentum extat in codice fontanininano biblioth. ad d. Marci Venetiarum (MSS. Lat. class. XIV, cod. 101, n. 15).

## CCXXXIV.

(1455, 10 ianuarii, Novae civitatis.)

**Fridericus imperator nuntiat Portusnaonensibus cum duce Venetiarum egisse ad dissidia super confinibus cum iis de Zopola componenda, ac Petrum Harder loco capitanei Portusnaonis iis misisse.**

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus ac Austrie dux ec. Honesti, prudentes, fideles, dilecti.

Accepimus litteras vestras per fidelem nostrum Noffrium Serentonem [1]) concivem vestrum in materia differentiarum nobis allatas, et quidem deliberatione habita cum consiliariis nostris visum est nobis, Venetiarum duci iterum seriosius rescribendum, eundemque requirendum atque exhortandum fore ut huiusmodi interdictum seu prohibitionem contra vos et communitatem vestram, atque in vestrum, uti scribitis, preiudicium ac lesionem preconceptam penitus de medio tollere ac materiam illam differentiarum in quieto persistere, neque adversus vos et ceteros districtuales nostros quidquam novitatis ac molestie per suos, maxime illos de Zopola seu ad eorum instanciam presumi atque attemptari permittat, quum pro componendis illis rebus oratores nostros in brevi post dietam, in festo purificacionis beate Marie virginis in facto Turcorum hic in curia nostra imperiali celebrandam, ad ... illas transmittemus, qui illas modis omnibus studeant adaptare prout id ex copia dictarum litterarum nostrarum, quarum exemplum inclusum vobis transmittimus, plenius intelligetis. Confidimusque ac quodammodo certos nos reddimus quod contra hoc adversus vos nichil sinistri ac malivoli attemptabunt seu attemptari permittent; quantum vero ad id quod capitaneum vestrum ad vos remitti desideratis, non putamus eius introitum ad presens ita necesse fore neque adeo convenire, sed ipsius vice et loco accedit illuc fidelis noster dilectus Petrus Harder, ex utroque parente militaris, et in rebus etiam seriosis multum expertus et industriosus quem ipsi capitaneo sui loco tenendum atque mittendum consignavimus, cui vice dicti capitanei nostri in omnibus ad dictum capitaneum sive capitaneatum nostrum spectantibus parere et intendere studeatis, quemadmodum eidem nostro capitaneo, si presens esset, facere teneremini, et pro habundanti nichilominus cautela, iuxta ipsius directionem et consilium, vos ad custodiam et defensionem tam castri quam terre nostre intendatis, ne forte ex improviso damnum aut offensam aliquam in personis et rebus vestris incurratis; ubi vero necessitas maior incubuerit et contra vos forsitan aliquid via facti attemptaretur, de hoc nos curetis quantocius avisare et ex tunc non solum prefatum capitaneum nostrum ad vos remittemus, sed et alias provisiones necessarias facere curabimus, quas pro tutela et defensione loci ac iurium nostrorum atque indempnitate vestra noverimus expedire. Datum in Nova civitate die

[1]) Onofrium Rorarium.

decima mensis ianuarii anno Domini ec. L^mo^ quinto, regni nostri quintodecimo, imperii vero tercio.

Commissio domini imperatoris m. s. p.

Docum. cart. apud P. M.

## CCXXXV.

(1455, 22 martii, Portusnaonis.)

**Concordium Vignuti Menegoni de Tramontio et sociorum cum Petro Harder, vicecapitaneo Portusnaonis, super damnis ab illis reficiendis, quod pasculaverint in pratis et commugnis Portusnaonis, ultra Cilinam.**

Millesimo CCCC quinquagesimo quinto, indictione III^a^, die XXII mensis martii, in Portunaonis, in domo mei notarii infrascripti, presentibus magistro Christophoro de Rurayo habitante in Portunaonis, Vignuto Vinturini et Vignuto Alexandri de Curianaonis, testibus ad infrascripta vocatis et rogatis. Cum Vignutus Menegoni de Tramontio inventus fuisset cum aliquibus suis sociis pasculare cum eorum pecudibus et castratis in pratis et commugnis capitaneatus terre Portusnaonis ultra Cilinam, et per familiares domini capitanei Portusnaonis pignorati fuissent, acceptis aliquibus pecudibus et castratis, volens de plano dictus Vignutus satisfacere bannum quod incurrerat, fuit in concordio cum spectabili viro domino Petro Harder vicecapitaneo dicte terre in hunc modum, videlicet quod idem Vignutus fuit contentus dimittere in villa Curienaonis inter castratos et pecudes XII, hoc pacto quod libris XII pro banno in quo incurrerat hinc ad festum resurrectionis Domini nostri Jesu Christi proxime futurum exigere debeat idem Vignutus predictus XII castratos seu pecudes. Et in quantum ad terminum predictum, pecudes seu castratos predictos non exigeret elapso termino antedicto, quod tunc prelibatus dominus vicecapitaneus possit de dictis XII pecudibus et castratis facere et disponere quomodo ei placuerit ec. Insuper promisit dictus Vignutus prelibato domino vicecapitaneo per totam diem crastinam discedere a posta Ovoleti, et amplius sine eius licentia et auctoritate in locis suprascriptis cum suis pecudibus non pasculare ec.

## CCXXXVI.

(1455, 11 maii, Portusnaonis.)

Fridericus imperator nunciat Orlandino de Riccheriis, *super negotio filie* eius *maritande commisisse aliqua referenda Enee episcopo senensi consiliario nostro*, cui plenam fidem adhibeat.

Retulit Silinus in *Raccolta de' privilegj Ricchieri* ec. p. 40.

## CCXXXVII.

(1455, 4 iulii, Portusnaonis.)

**Pacta conventa inter Fridericum Austriae ducem et dominium Venetiarum de pace stabilienda super dissidiis confinium inter Portusnaonenses et eos de Zopola Venetis subditos.**

In nomine Dei eterni amen. Cunctis pateat evidenter dudum siquidem subortam fuisse materiam questionis super iure communiandi, idest pasculandi, buscandi et secandi, inter subditos serenissimi et invictissimi augusti Friderici, incliti ducis Austrie, de Portu et Curianaonis parte ex una, et subditos illustrissimi et excellentissimi dominii Venetiarum de Zopola pro castro et villis suis Zopole, Ovoleti, Murlis et Villae romanae ex alia, ac etiam super iure piscandi et lapides accipiendi pro edificiis ex fluminibus Methune, Basaldelle et Ciline, que tandem contentio, instigante diabolo, diversa genera scandalorum produxit. Nam post pignorationes, violentias, rapinas et vulnera hinc inde illatas et illata, postremo etiam cedes per diversa tempora vicissim sunt secute, eoque postremo res derivata est ut etiam inter principes antedictos de limitibus et confinibus territorii et iurisdictionis subdubitari ceperit. Proinde partes ipse diligenter advertentes summam atque diuturnam caritatem et benevolentiam, amicamque vicinitatem, qua invicem se sunt prosecuti illustrissimi et excellentissimi retro principes Austrie moderni principis antecessores cum illustrissimo et excellentissimo dominio Venetiarum, ita ut quanto memoria hominum aut scripturarum retro perspicere potest, nulla extet memoria inter predictos principes fuisse guerram, odium, scandalum, aut et minimam contentionem, sed amice et benevole

unus alterum in suis statu et dominiis iuvit atque confovit, volentes in hoc laudabili proposito suorum antecessorum imitari vestigia, diversis temporibus ad partes Foriiulii pro rebus pacandis oratores miserunt, res tamen nunquam desideratum effectum sortita est. Tandem serenissimus et invictissimus imperator novissime ad rem istam transigendam, transmisit oratores reverendissimum in Christo patrem d. Eneam, Dei gratia, episcopum senensem, sacri imperii principem, ac venerabilem et eximium decretorum doctorem d. Johannem Hinderbach, et magnificum dominum Sigismundum de Spauro militem et capitaneum tergestinum cum plenissimo mandato ad hanc transactionem et compositionem faciendam, quemadmodum de premisso mandato constat imperialibus litteris secundum stilum et observantiam imperialis cancellerie bullatis bulla cerea cum sigillo imperiali ec. a nobis infrascriptis notariis visis et lectis sub die ec. Illustrissimum autem dominium Venetiarum similiter in re ista delegavit magnificum et generosum virum et nobilem venetum, dominum Candianum Bollani et spectabilem iurisconsultum dominum Franciscum de Capitibusliste de Padua, syndicos, oratores et nuncios, cum plenissimo mandato ad infrascripta facienda, ut constat publico instrumento syndicatus et procurationis scripto et rogato per . . . . .

Habitis superinde diversis ac variis tractatibus et questionibus confinium, prius oculis subiectis et discussis dissensionibus iurisdictionum, tandem spiritu sancto inspirante, oratores predicti dictis oratoriis, sindicariis et procuratoriis nominibus singula singulis referendo devenerunt ad transactionem, conventionem, compositionem et conclusionem infra seriosius per capitula particulariter declaratas.

Et primo quod nulla habeatur ratio damnorum, iniuriarum, rancorum aut aliorum scandalorum antecedentium tempore devetiti seu interdicti facti per illustrissimum dominium de mense . . . . 1454, sed illa omnia intelligantur vicissim remissa, pacata, sopita et sublata de medio.

Item quod nulla habeatur ratio damnorum quorumlibet post devetitum occursorum, seu que altera partium passa esset per retentionem seu ablationem animalium; sed dicta damna intelligantur remissa vicissim.

Item similiter nulla habeatur ratio vulnerum aut percussionum factarum inter homines hinc inde: sed omnia intelligantur mutuo remissa, ut in primo capitulo dictum est.

Nec etiam habeatur ratio aliquarum expensarum aut damnorum, que alicui parti contigissent occasione dictarum inimicitiarum et differentiarum, sitque inter subditos utriusque partis vera pax et concordia animorumque conciliatio, et se ad invicem amice et benevole tractentur atque suscipiantur, et libere una pars in alterutrum territorium accedere, morari et conversari possit, quemadmodum decet caritatem mutuam et benivolentiam que viget inter illustriss. principes capita eorum.

Item quod iura secandi, buscandi et pasculandi, ac lapides accipiendi que huc usque dicuntur inter partes predictas de Portu et Curianaonis ex una, et illos de Zopola pro se et villis suis premissis ex alia fuisse, coram hoc modo inter eos distinguantur:

Quod omnia communia que sunt ultra pontem Methune, qua itur portum versus castrum Portusnaonis et Curienaonis, que per elapsum communicari consueverant, prout pretendebant illi de Zopola et subditi sui, deinceps remaneant propria illorum de Portu et Curianaonis, quousque protenditur flumen Methunae, hoc modo videlicet, quod incipiendo a ponte Methune dirigendo se per flumen Methune usque ad locum quo Basaldella ingreditur Methunam, et deinde prosequendo per Basaldellam usque ad originem ipsius Basaldelle, semper a latere versus Portum et Curiamnaonis, sit quantum ad ius pasculandi, secandi, buscandi et usum feni tirandi eorundem. Deinde recedendo a loco ubi oritur Basaldella et protendendo se versus Cilinam, et eundo usque ad glaram Ciline, casu quo glara Ciline non distet ab origine Basaldelle ultra spacium decem passuum vel circa. Ubi vero ortus Basaldelle distaret ulterius, tunc usque ad decem passus per lineam directam fiat transitus versus Cilinam. Et deinde per lineam directam extendantur limites usque ad stratam Ravoseti, totum territorium quod est a latere versus montem, sit similiter usque ad Methunam quo ad ius secandi, buscandi et pascuandi, illorum de Portu et Curianaonis.

Quod non est ab istis confiniis versus Villam romanam, Zopolam, Murlis et Ovoletum, sit et remaneat quo ad ius pasculandi, secandi et buscandi, et usu feni tirandi illorum de Zopola et suorum subditorum, ita quod illi de Zopola intra hos limites cum suis subditis soli possint pasculare, buscare et secare sine communicatione illorum de Portu aut Curianaonis.

Item quod una partium intra limites parti alteri designatos nullum habeat ius accedendi ad pasculandum, buscandum vel secandum,

duabus tamen adhibitis moderationibus et limitationibus. Primo quod illi de Zopola habeant ius communiandi cum illis de Portu et Curianaonis ultra stratam Ravoseti usque ad bronchos Vivarii, dummodo non introducant extraneos ad premissa facienda. Et e contra illi de Portu et Curianaonis habeant ius pasculandi, buscandi et secandi ultra pontem Methune simul cum illis de Zopola et eorum villis, usque ad confinia per lapides designata a capite paludis versus Methunam que est prope Cusanum usque ad flumen Methune, procedendo per lineam directam; que palus et lapides sint et esse intelligantur designativi iuris communiandi, non autem iurisdictionum, dummodo a nulla partium extranei introducantur ad premissa facienda.

Item quod prata cuiuslibet partium predictarum que ad eos pertineant iure proprietatis, sint et remaneant eorum. Et intelligantur esse prata illa que pro pratis ab antiquo fuerunt tenta et possessa, immo etiam si solum a quinque annis citra, et in eis possint secare, et temporibus bannitis illis possint utifrui et temporibus quibus secatur et colligitur fenum in dictis pratis et exportatur, possit quelibet partium pasculare cum animalibus que conducunt fenum et non aliis in communiis alterius partis, vel cum equis quos conductores feni equitarent, lapsis vero dictis temporibus limites iam dicti observentur, ita tamen quod aliqua partium et in pratis alterius partis intra suos limites situatis non possint ligna incidere vel aliquid ad eorum preiudicium machinari, nec dominis eorundem collectam vel gravamen aliquod imponere occasione dictorum pratorum, sed domini pratorum possint omni tempore ex dictis pratis ligna incidere et exportare, hoc addito et declarato quod prata utriusque partis sita inter alterius partis confinia intelligantur bannita a quintadecima die Mercurii citra, et hec dicta intelligantur de iuribus communiandi.

Quantum vero pertinet ad iurisdictionem declarandam, inter premissos oratores ita convenit quod quidquid est a ponte Methune citra versus Zopolam, incipiendo, ut supra dixi, a ponte Methune procedendo usque ad locum ubi Basaldella ingreditur Methunam, et deinde prosequendo per flumen Basaldelle usque ad originem eius, intelligendo usque ad dimidium dictorum fluminum, et deinde recedendo a Basaldella et eundo versus glaram Ciline. casu quo glara Ciline non distet ab origine Basaldelle ultra spacium decem passuum vel circa, ubi vero ortus Basaldelle discurret ulterius, tunc usque ad passus decem per lineam directam fiat transitus versus Cilinam, et

exinde per lineam directam extendantur limites usque ad stratam Ravoseti, et per ipsam stratam procedendo secundum affixionem terminorum usque Methunam, sit et esse intelligatur sub iurisdictione civili et criminali, et de territorio dominorum de Zopola, nec capitaneus Portusnaonis aut quivis alius de Portu seu Curianaonis possit dictos limites ingredi quoquomodo causa iurisdicendi.

Quod vero est ultra dictos confines versus Portum et Curiamnaonis, excepto castro Turris et juribus eius, sit esseque intelligatur de districtu et territorio ac jurisdictione civili et criminali dominorum ducum Austrie seu capitaneatus Portusnaonis, nec domini de Zopola possint intra dictos limites se quomodolibet intromittere gratia jurisdicendi. Itaque flumen Methune incipiendo a ponte, quo itur Portumnaonis usque ad locum quo Basaldella ingreditur Methunam, intelligatur esse commune inter partes predictas, et usque ad dimidium fluminis sit cuiuslibet a parte sua, et idem sit de flumine Basaldelle a loco ubi ingreditur Methunam usque ad originem eius: ab illius vero origine fiat transitus ad glaram Ciline casu quo glara Ciline non distet ab origine Basaldelle ultra spacium decem passuum vel circa, ubi non ortus Basaldelle distaret ulterius: tunc usque ad decem passus per lineam directam fiat transitus versus Cilinam; et exinde per lineam directam extendantur limites usque ad stratam Ravoseti: et fiat designatio limitum et confiniorum per lapidum affixionem ad perpetuam memoriam futurorum.

Item quod ius construendi et reparandi pontem Methune, sit et pertineat ad capitaneatum Portusnaonis ex toto, licet aqua Methune super qua pons construitur sit communis. Et ad evidentiorem confinium demonstrationem convenerunt partes antedicte, quod in capite pontis Methune a latere versus Zopolam affigatur lapis magnus cum ymagine beati Marci evangeliste: hec tamen affixio fieri possit demum post lapsum quinquennii de quo infra.

Item quod capitaneus Portusnaonis aut potestas dicti loci nullo modo excedere possit dictum pontem respectu exercende sue jurisdictionis criminalis et civilis. Possint tamen illi de Portunaonis pontem excedere gratia communiandi, pasculandi et buscandi usque ad caput paludis, ut supra dictum est, reservato tamen capitaneo Portusnaonis aut Francisco de Quec aut aliis omni jure, si quod habent, in villa Pusenciehi.

Item quod capitaneus Portusnaonis, sive illi de Portu aut Curianaonis se nullo modo impediant circa constructionem et reparationem

pontis qui est super Fossam malam: sed jus construendi et reparandi dictum pontem pertineat ad illos de Zopola, qui teneantur tenere pontem bene constructum et reparatum pro transitu animalium et curruum.

Item quod villa Vallis et Nuncelli ex flumine Nuncelli a loco ubi oritur usque ad locum quo ingreditur Methunam sit et esse intelligatur dominorum ducum Austrie.

Item expresse convenerunt dicti oratores quod illis de Portu et Curianaonis licet buscare in omnibus nemoribus que sunt prope paludem apud castrum Cusani, etiam pro ea parte nemoris que esset intra limites pascuorum dominorum de Zopola, sicut antea facere consueverant.

Item quod domini de Zopola qui pro dicta palude solvebant capitaneo Portusnaonis certum annuum redditum, deinceps sint a dicta solutione absoluti. Et similiter capitaneus Portusnaonis sit absolutus ab omni eo quod solvebat dominis de Zopola pro dicta palude ita tamen quod ipsa palus remaneat libera in proprietate, potestate, iurisdictione et dominio dominorum de Zopola, nec in ea capitaneus Portusnaonis vel illi de Portunaonis aut Curianaonis possint nullo modo deinceps communiare.

Item quod illi de Cusano deinceps non possint impediri per capitaneum Portusnaonis aut subditos suos pasculare in communiis que sunt citra pontem Methune versus Zopolam, et secare et buscare in Samaglano et in Candis usque ad aquam Methune, et secare stramina et fenum in locis eisdem, et pasculare in pratis usque ad XV marcii, et ire semel in die cum armento eorum ad aquam Methune, immo id libere permittatur.

Item quod dominis de Zopola liceat accipere pro se et suis subditis et volentibus edificare in Zopola, et pro necessitatibus eorum, de lapidibus glare Ciline, sine aliqua licentia petenda a capitaneo Portusnaonis aut illis de Portu et Curianaonis, et sine ulla solutione, ita tamen quod accessus eorum ad dicta loca sit, quantum fieri potest, per stratas et sine preiudicio pratorum illorum de Portu et Curianaonis, omnia tamen ad bonam fidem referendo. Et similiter illi de Portu et Curianaonis et alii subditi possint accipere de lapidibus Methune eisdem conditionibus et modificationibus respectu illorum de Zopola.

Item quod in predictis fluminibus Methune et Basaldelle liceat utrique partium piscari, et omnem suam utilitatem inde capere, puta

animalia ad potum pellere et alia hujusmodi, quasi in fluminibus utrique partium communibus, ea tamen conditione quod quicquid ab altera partium ex affictu et pensione locationum fiendarum de dictis fluminibus exigetur seu iuris in eis piscandi, pariter in tres partes dividatur.

Item quod nulla partium sine alterius partis licentia possit admittere extraneos piscatores in dictis aquis, nisi per viam locationis, ut supra, communiando pensionem, possit tamen pro usu et necessitate sua facere piscari et piscari sine ulla solutione alteri parti facienda.

Item quod quelibet partium predictarum possit erigere ripas a latere suo, pro se defendendo ab aquis Methune, Basaldelle et Ciline, sed non possit intra alvum fluminis facere penellos aut aliquod opus, seu edificium vel reparationem, per quam vel quod aqua dirigatur ad damnum vel preiudicium alterius partis.

Et quoniam oratores antedicti et eorum singuli subdubitare videntur aliquid convenisse quod sit suis constituendis preiuditiale, quasi muta possint iura cuilibet partium supervenire que ad presens sunt incognita: vel etiam quod eorum constituentes de suo iure plus sperarent quam ipsi oratores convenerint, propterea specialiter inter eos convenit quod liceat serenissimo et invictissimo augusto et similiter illustrissimo dominio Venetiarum quomodocumque libuerit infra quinquennium ab ista transactione recedere, et de suo iure denuo agere coram tribus per amicabilem compositionem eligendis, ita quod quelibet partium teneatur unum pro se nominare, et coram illis duobus processus perficiatur; quo pacto et ipsis ambobus non concordantibus pro tertio eligatur unum ex collegiis Italie, aut alius tercius secundum quem convenerunt imperiales oratores cum illustrissimo dominio in procedendo vel iudicando, et ita res pacifice in omnem eventum iudicetur, quemadmodum decet illustrissimos et excelsos principes inter quos res agitur, pro eorum modestia et equitate, hac tamen adhibita moderatione quod donec res fuerit per dictos assumendos definita, partes ipse possideant, utantur et fruantur ac gaudeant eo modo et forma qui est per presentem transactionem diffinitus, ita quod ab effectu presentis transactionis nunquam recessum intelligatur, nisi demum subsecuta secunda definitione modo iam dicto. Verum expresse dicti oratores predictis nominibus convenerunt quod si quomodolibet discordaverint super materia restitutionis animalium hinc inde post devetitum ablatorum cum illustrissimo dominio Venetorum, ad cuius visitationem intendunt

accedere, intelligatur ab hoc contractu recessum ab omnibus et singulis in ipso contractu conventis.

Que omnia et singula partes antedicte, dictis procuratoriis, syndicariis et oratoriis nominibus sibi ad invicem promiserunt mutuis, sollennibus stipulationibus intervenientibus, ac nobis Bernardo Bevazzano quondam domini Francisci de Venetiis et Danieli de Lautter quondam ser Antonii de Portunaonis, ambobus notariis publicis stipulantibus, nomine quorumcunque quorum interest vel interesse potest in futurum habere rata et grata, et nullo unquam tempore contrafacere vel venire de iure vel de facto; sub ypotheca et obbligatione dominiorum, terrarum et locorum atque omnium bonorum suorum constituentium.

Actum in Portunaono, in domo ser Nicolai de Spellatis, super sallam anteriorem dicte domus, die quarta mensis iulii, indictione tercia MCCCCLV presentibus venerabili viro domino presbitero Stephano de Sancto Advocato vicario ecclesie sancti Marci de Portunaono; ser Andrea de Popaytis potestate terre Portusnaonis; ser Sebastiano de Monteregali quondam ser Antonii; ser Tomasio Bixigato quondam ser Antonii de Venetiis; ser Odorico de Cavertinis habitatore Purzillii, quondam ser Antonii; ser Joanne Francisco quondam domini Joannis de Capitibusliste de Padua, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis.

Ommissae sunt, utpote momentis historicis parum inferentes *testificationes assumpte* (25) *super differentia illorum de Zopola cum communitate Portusnaonis*, in eodem libro, fol. 176—180.

Ab exemplo membranaceo libri XIV Commemorialium, fol. 181—183, in tabulario generali Venetiarum. Pactum sine capitulis extat in biblioth. s. Marci Ven. (L. X, 309, n. 6.)

## CCXXXVIII.

(1455, 7 augusti, Novae civitatis.)

**Fridericus imperator ducem Venetiarum hortatur ut interdicta fulminata in preiuditium Portusnaonensium et Curtisnaonensium super communi usu pascuorum cum illis de Zopola penitus tollat ac eius subditis pro receptis pecoribus satisfiat, usque ad ulteriorem amicabilem compositionem.**

Fridericus Romanorum imperator ec. Illustris ec. Postquam recessus novissime per te et dominium tuum Venetiis erga nostros ex

Portu et Curianaonis ad quinquennium super designatione terrarum, pascuorum et usufructuum cum illis de Zopola observandi habitus ad nostrum et conthoralis nostre amantissime auditum pervenit, fuimus per eandem conthoralem nostram, quam nos alias super prefato dominio nostro Portusnaonis, occasione dotis sue, assicuravimus, super gravaminibus et impedimentis nobis et nostris usque modo illatis, que et tibi huiusmodi occasione in presentiarum scribit, maxima cum instantia requisiti ne ad huiusmodi recessum, per quem prefati subditi nostri plurimum gravarentur, consentiremus, et quia gravamina hec nostris, uti de certo sumus informati, nimis preiudicialia et intolerabilia existunt, sinceritatem tuam hortamur quatenus interdicta per te et dominium tuum horum occasione in preiuditium subditorum nostrorum fulminata penitus extinguas et tollas, operamque adhibeas efficacem quod nostris subditis pro ipsorum receptis pecoribus satisfactio digna fiat, ac oblationem eorum honestam de communium usu pascuorum cum illis de Zopola observando ratam habeas et acceptam usque ad ulteriorem amicabilem compositionem sive iudicialem decisionem differentiarum predictarum, in nobis etenim ac nostris defectus hucusque minime fuit, neque in futurum erit, quin differentie huiusmodi aut amicabiliter componantur aut iuris ordine terminentur, id nobis profecto cederet ad singularem et gratam complacentiam erga te et dominium tuum studiosius recognoscendum, responsum tuum super eo per presentium latorem prestolamus. Datum in Nova civitate, die septima mensis augusti, anno ec. quinquagesimo quinto.

Exemplum extat apud P. M.

## CCXXXIX.

(1455, 7 augusti, Novae civitatis.)

**Eleonora imperatrix, qua domina Portusnaonis sibi pro dote obbligati, ducem Venetiarum rogat ut in graviori negotio dissidiorum inter Portusnaonenses, Curtisnaonenses et Zopolenses curet ablata restitui, ac utriusque partis iura, quae ab oratoribus recens definita, integra servari.**

Leonora divina favente clemencia Romanorum imperatrix semper augusta ac Austrie, Stirie ec. ducissa. Illustris, sincere, dilecte. Serenissimus princeps dominus et conthoralis noster dilectissimus Romanorum imperator similiter et nos de recessu novissime in

causa differentiarum subditos nostros Portus et Curienaonis nec non illos de Zopola tangente, habito per venerabilem Eneam episcopum senensem principem devotum nostrum, dilectum Sigismundum de Spauro capitaneum Tergesti et magnificum Johannem Hinderbach decretorum doctorem, qui de mandato prefati domini et conthoralis nostri propter differencias et causam huiusmodi componendam in partibus Foriiulii in ambasiata pleno suffulti mandato fuere, satis informati sumus. Verum reperimus in multis punctis nos et nostros per eundem recessum et contenta in eo plurimum gravatos, precipue quod laudabili consuetudini hactenus introducte ac etiam nostris et nostrorum iuribus, iurisdictioni, potestati et superioritati per designationem limitum terrarum et pascuorum notabiliter derogatum in possessioneque et eius commodo ac aliis pluribus viis detractum existat. Nam primo invenimus in preconceptis articulis nostris subditis, quibus pecora et animalia sua absque iuris ordine sunt recepta, restitucionem plenariam saltem non fore factam, quanquam nostri subditi singula pecora per eos recepta ultronee restituerint, demptis duobus animalibus, que ad solvendum iuxta equitatem se protinus obtulerunt. Secundo quod per te et dominium tuum quamplura pascua nostris subditis auferentur, taliter quod se in posterum, stante saltem lege vestra in ea re proposita, in nostro dominio Curienaonis neque sustentare nec nutrimenta pro se habere aut querere possent. Tertio subditi nostri privarentur, quod est molestum valde, usibus propriorum pratorum et hereditatum suarum. Quarto, quemadmodum dominium Portusnaonis cum iurisdictione sua se extendit usque in Zopoletam et Fossam malam, huic derogaretur et restricte essent usque ad Methunam et Basaldellam. Quinto emanarunt gravia mandata et interdicta contra nostros subditos instar obsidionis habencia, propter que iidem subditi nostri negotiationibus suis nullatenus insistere et neque fructus nec redditus eorum colligere et nutrimenta, prout ab antiquo de iure et consuetudine hactenus fecerunt, querere possunt. Et licet huiusmodi mandata ad presens quiescant et suspensa sint, id tamen dumtaxat ad breve tempus, videlicet duorum mensium uti percepimus, factum existit, hoc pacto quod ex parte prefati domini et conthoralis nostri atque nostra, tractata prenarrata et recessus huiusmodi medio tempore affirmentur, et tu dominiumque tuum super eo certificari debeatis. Sed quia dominium ipsum Portusnaonis a predicto domino et conthorali

nostro nobis pro dote nostra obbligatum et inscriptum existit, memoremurque te alias ad scripta serenissimi principis avunculi nostri carissimi regis Aragonum, nec non fratris et germani nostri amantissimi regis Portugalie, nobis spopondisse atque pollicitum esse, prefatis nostris subditis in Portu et Curianaonis habitantibus auxilia et assistentiam impartiri atque favorabiliter commendatos habere, eosque nostri contemplatione sinceriter uti bonos vicinos tractare velle, omni gravamine, tua et subditorum dominii parte, prorsus submoto, attamen ex prefato recessu et articulis id te facturum ac oblata huiusmodi minime prosequi intelligimus et neque nos neque prefati reges id concipere ex attemptato possumus. Desideramus igitur et te hortamur attencius quatenus adhuc premissas sponsiones nobis factas effectualiter prosequaris, ita et taliter te exhibendo quod nos et nostri sine gravamine et oppressione in nostris superioritate et iure ac vetusta consuetudine et iurisdictione permanere valeamus. Quoniam si que differentie aut controversie inter subditos nostros atque tuos dominiique tui existerent, quacumque occasione, sive pascua aut alia quecumque concernentia, neque per prefatum dominum et conthoralem nostrum, neque per nos aut nostros stetit quin differentie huiusmodi aut via amicabili aut ordine iuris sopirentur, quin pocius semper tales adeo eque et consentanee oblaciones erga te et dominium tuum sunt oblate, in quibus tu dominiumque tuum merito fuissetis contenti et hodie contentaremini. Existimamus te intelligere tuum in hoc negotio conceptum ac interdicta promulgata iniusta fore, neque bone vicinitati convenire quovis modo, quodque tua sinceritas illa merito revocare teneatur, ac quod interdictis et prohibicionibus huiusmodi contra subditos nostros minime sit utendum. Preterea tu dominiumque tuum nostris subditis pro eorum receptis pecoribus condignam satisfactionem facere teneamini, prout per nostros erga tuos dominiique tui subditos dignoscitur fore factum, prout et illa omnia fieri optamus sine mora. Ceterum intelleximus ex parte pascuorum et illorum usu, nostros subditos pro meliori statu et directione cause contentari ut communis usus pascuorum suorum etiam per tuos dominiique tui subditos circumquaque in territorio nostro Portus ac Curienaonis, saltem ad amicabilem compositionem sive iudicialem decisionem habeatur, in quod medium licet plurimum preiudiciale nostris subditis existat, propter bonam vicinitatem tamen conservandam usque ad amicabilem compositionem aut iudicialem

decisionem, ut premittitur, deliberavimus consentire, et id nostris subditis graciosius indulgere, sperantes te una cum dominio tuo taliter in hiis prefati domini et conthoralis nostri amborum respectu acturum, quod nulla nobis dabitur occasio huiusmodi iniusta gravamina et oppressiones nobis et nostris illata et que dietim inferuntur ad prefatorum Aragonum et Portugalie regum, nec non illustris principis sororii nostri carissimi, ducis Burgundie et aliorum cognatorum nostrorum noticiam deducendi. Considerare etenim poteris quod domino et conthorali nostro atque nobis expedit quod iura et iusticiam nostram ac nostrorum, que a longe retroactis temporibus pacifice possidemus, tueamur, et assistentia etiam aliorum, si opus fuerit, conservemus illesa. Tuum super eo responsum cum latore presentium prestolamus. Datum in Nova civitate, die septima mensis augusti, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, imperii vero nostri quarto.

A tergo: Illustri Francisco Foscari, duci Venetiarum nobis sincere dilecto.

Duplex exemplum membran. et cartac. apud P. M.

## CCXL.

(1455, 20 novembris, Graecii.)

**Capitaneus Portusnaonis, Graecii degens, consilio Portusnaonis praecipit ut Franciscum de Quechis cuiusdam excessus reum mittant coram caesare, cum aliquibus de eorum gremio qui de re instruant: vult in eorum et Curtisnaonensium cum Zopolensibus dissidiis, mandatis caesareis suo vicegerenti missis acquiescant: nuntiat imperatricem peperisse filium qui vocabitur Christophorus.**

Prestantes et circumspecti fautores honorandi. Obsequiosa voluntate iugiter premissa, excessum Francisci Quechi vestri concivis, et diligentiam vestram desuper factam vicegerens meus plene ad me descripsit, que ad aures serenissimi domini nostri imperatoris detuli, et maiestas sua non mediocriter huiusmodi vestram diligentiam habuit commendatam. Magis tamen placuisset eidem sue maiestati ut prefatus Franciscus propter huiusmodi suum excessum carceri mancipatus fuisset. Nihilominus sua serenitas in presentiarum litteras ad eum demandavit fieri, precipiendo sibi ut coram sua imperiali

compareat maiestate, responsurus iudicialiter super excessu. Quare aliquos ex vobis ordinetis qui, occasione huius cause, se ad eandem suam maiestatem conferant, informando suam imperialem maiestatem de re gesta, quemadmodum littera super eo a sua maiestate demandata nobis, quam cum presentibus transmitto, continet. In facto vero differentiarum inter vos et eorum de Curianaonis adversus eos de Zopola et Venetos, stabit ad presens sua maiestas et serenissima domina nostra imperatrix, iuxta copias quas vicegerenti meo apud vos existenti in presentiarum mitto, qui vos de eisdem certificare poterit si placebit inquirendum. Demum annuntio vobis gaudium quod vos merito letificabit, quoniam prefata serenissima domina nostra imperatrix nobis dominum peperit, qui ante ortum solis die dominica proxime preterita genitus est, vocabiturque nomen eius Christoforus, nec dubito quin vobis leticiam hec genitura afferet non mediocrem. Et quidquid hic in curia pro honore et utilitate vestra procurare potero, in eo me paratum et promptum ad vestra beneplacita reperietis. Datum in Grecz, die vicesima mensis novembris, anno Domini ec. L. quinto. Mattheus de Spauro capitaneus ec.

A tergo: Prestantibus et circumspectis fautoribus meis honorandis, potestati et consulibus civitatis in Portunaonis.

Exemplum habet P. M.

## CCXLI.

(1456, 5 aprilis, Portusnaonis.)

**Capitaneus Portusnaonis remittit poenam hominibus de Ovoleto armentum pasculantibus in uno prato castri Portusnaonis.**

Millesimo CCCC° quinquagesimo sexto, indictione quarta, die quinto mensis aprilis, in Portunaonis, in domo ser Nicolai de Spellatis, intervenientibus Johanne de Malborgheto quondam Coradi, Petro quondam Nicolai de la Sera de Coneglano, ser Antonio de Biscottis de Portunaonis et aliis testibus vocatis et rogatis, coram magnificis oratoribus imperialibus, videlicet domino Mattheo de Spauro capitaneo Portusnaonis, domino Ortundo et sociis, comparuerunt Bertholussius del Guerra de Ovoleto et Petrus Dominici Rodulfi de Ovoleto exponentes qualiter heri dum ipsi magnifici oratores simul cum magnificis oratoribus illustrissimi dominii Venetiarum equitarent

per communia dictorum, invenerunt et viderunt armentum illorum de Ovoleto pasculare in uno prato castri Portusnaonis juxta Sedulos rectos per genitorem olim Nicolai Parvi de Curianaonis, quod valde displicuit magnificis oratoribus illustrissimi dominii Venetiarum, ex quo per ser Odoricum de Zopola eis mandatum fuit ut occasione predicta se conferre deberent ad prefatos oratores venetos, videlicet dominum Zachariam Barbaro et dominum Franciscum de Capiteliste, et ita fecerunt. Qui oratores veneti mandaverunt eis ut se transferre deberent ad presentiam dicti domini capitanei Portusnaonis, qui eos de damno predicto punire deberet, et ita se constituebant ad eius presentiam recepturi punitionem et penam quam incurrerant. Qui dominus capitaneus audita dispositione predictorum de Ovoleto, et mandatum quod ipsi de Ovoleto a magnificis dominis oratoribus Venetorum receperant occasione damni dati, contemplatione prelibatorum dominorum oratorum illustrissimi dominii Venetiarum, ac alio respectu penam quam ipsi de Ovoleto incurrerant eis remisit, dicens quod amplius et de cetero cavere deberent a similibus damnis et innovationibus ec. De quibus rogatus fui publicum conficere instrumentum.

Exemplum apud P. M.

## CCXLII.

(1456, 9 aprilis, Portusnaonis.)

**Capitaneus Portusnaonis quaestionem de pratis quibusdam inter habitatores suburbii Portusnaonis et villae Roraii vertentem ita definiendam censet ut ius segandi sive metendi et percipiendi foenum ex pratis predictis quotannis, incolis tantum Roraii tribuatur.**

Cunctis presentium inspectoribus pateat evidenter quod vertente contentione et differentia inter incolas et inhabitatores suburbii Portusnaonis ex una, nec non homines inquilinos et inhabitatores ville de Roraio dominii Portusnaonis predicti ad illustrissimum dominium ducatus Austrie pertinentium, de et super facultate segandi seu metendi et percipiendi fenum ex pratis prope viam a dicta villa Roraio versus montana se dirigentem, communiter appellatam *la strada del pedron*, incipiendo mox super viam que per transversum de Sacil versus Walssaro dirigitur, continuando per ascensum dicte *del*

*pedron* versus montana a latere dextro usque ad viam per transversum se de Porzil versus Sanctum Focatum se dirigentem communiter appellatam *la stradella*, et ab inde continuando per eamdem stradellam a latere dextro usque ad viam que de villa Pedolio descendendo versus Portumnaonis dirigitur per directum, descendendo similiter a latere dextro usque ad dictam stratam que de Walssaro dirigitur versus Sazil situatis et constitutis, et eiusdem facultatis percipiendi occasione, partibus ex altera vertente, nos Mattheus de Spauro miles et capitaneus dicti dominii Portusnaonis, visis et inspectis confiniis predictis una cum pratis regonaciis sive pustotis [1]) inter dictas vias constitutis, nec non assertionibus et allegationibus utriusque partis predictorum confitentium expresse huiusmodi prata ad dictum dominium et nos tanquam capitaneum eiusdem spectare et pertinere, nec non etiam probationibus factis iuramentorum, delationibus et iuramentis subsecutis, auditis et omnibus diligenter recensitis de iure predictorum et aliorum spectabilium virorum, nobis assidentium consilio et assensu, per hanc nostram declaratoriam sententiam, quam firmiter in his scriptis pronuntiamus, decernimus, declaramus ius et facultatem segandi sive metendi et percipiendi fenum ex pratis predictis, inter vias super designatas singulis annis excrescens, ad prefatos incolas et inhabitatores ville de Roraio solum et dumtaxat, et non ad incolas sive inhabitatores suburbii Portusnaonis communiter spectare et pertinere, illudque ius et facultatem iis de Roraio adiudicandum fore, et adiudicamus, prefatis incolis suburbii predicti super eodem iure et facultate perpetuum silentium imponentes. Salvis semper regonaciis sive pustotis singularum personarum qui eos in dictis confiniis habent, quibus in iure et potestate segandi sive metendi fenum in ipsis eorum regonaciis sive pustotis per hanc nostram declarationem sive pronuntiationem preiudicium nullum volumus inferri. Harum litterarum testimonio nostri signeti appensione munitarum. Datum in Portunaonis die Veneris ante dominicam *Misericordia Domini*. Anno Domini millesimo CCCCLVI°.

Daniel de Lauter de mandato scripsit.

Membranam habet P. M.

---

1) Dialecto foroiuliensi *sterile solum*, itale *brughiera*.

## CCXLIII.

(1456, 6 maii, Graecii.)

Fridericus imperator cum resciret quod *in Pordenon si attrovano di nostra ragione buona summa di danaro estratto dalli nostri datii*, mandat vectigalia in Portunaonis exigentibus quidquid habent numerent Petro Riccherio *a buon conto di quanto ha speso, e di quello che per avenire si cavarà corrisponder al medesimo, sintanto che sarà rimborsato di quanto ha speso.*

Ex alemanico versum dedit Silinus in *Raccolta de' privilegj Ricchieri* p. 41—42.

## CCXLIV.

(1456, 27 iulii, Portusnaonis.)

**Vicecapitaneus Portusnaonis duos de Cimpello quos, propter damna a Cimpellensibus illis de burgo Portusnaonis irrogata, in carcerem coniecerat, data cautione relaxat, promittentibus fideiussoribus stare sententiae iudicum competentium.**

MCCCCLVI, indictione quarta, die XXVII mensis iulii in Portunaonis, in cancellaria communis, presentibus magistro Bartholomeo aurifice, quond. Alexii de Veneciis, Johanne Antonio Piliparío de Utino quond. Leonardi, Johanne Mazochi de Flumisino, testibus ad infrascripta vocatis et rogatis. Cum spectabilis dominus Petrus Harder, honorabilis vicecapitaneus terre Portusnaonis, superioribus diebus elapsis duos de villa Cimpelli, videlicet Johannem filium Dominici Benvenuti Michaelis, et Pasqualinum filium Philippi de Cimpello, inventos super campis inter Fossam malam et villam Cimpelli, dominii Portusnaonis, damnificare, detineri et carcerari fecisset, et hoc quod ipsi de Cimpello violenter pignoraverant illos de burgo Portusnaonis et duos captivos Mothe ad carceres conduxerant, et Dominicus Benvenuti et Philippus ac Daniel de ultra aquam prefato domino vicecapitaneo supplicassent ut prestita per eos ydonea fideiussione super causa principali et de armis, in iure tamen vellet dictos duos de Cimpello carceratos relaxare. Qui dominus vicecapitaneus precibus et instancia eorum duorum de Cimpello inclinatus, fuit contentus eosdem prestita idonea cautione relaxare. Tunc dicti Dominicus et Philippus et Daniel de ultra aquam per se et suos heredes solem-

niter se obligando fideiussores et principales debitores se constituerunt prefato domino vicecapitaneo pro dictis carceratis de armis et condemnatione ac pena quam incurrerant de iure tamen, ita et taliter quod si per iudices idoneos et competentes decidetur super causa principali et determinatum fuerit predictos carceratos debite fuisse detentos, promiserunt stare et parere definitioni et determinationi facte per iudices competentes, ac satisfacere illud quod determinatum fuerit, obbligantes specialiter infrascripta bona stabilia posita in Portunaonis, videlicet Dominicus predictus domum suam sitam in Portunaonis ad macellum, iuxta domum Jacobi de Piagno, iuxta domum Marculini de Corva, et Philippus predictus domum suam sitam in Portunaonis in ruga[1]) sancti Francisci, iuxta domum Colussini, Cardini et domum illorum Rubei de Sancto Martino, et Daniel predictus domum suam sitam in Portunaonis ad macellum, iuxta domum quond. Minisini de Azano, iuxta businellum et viam publicam, ita et taliter quod domus predicte obligate sint pro condemnatione, pena et armis, ac pro restauro omnium damnorum et expensarum et interesse, quos et quod subditi cesaree maiestatis quomodolibet occasione predictorum passi sunt aut pati poterunt in futurum.

Exemplum penes P. M.

## CCXLV.

**(1456, 8 octobris, Novae civitatis.)**

**Ulricus Riederer consiliarius imperialis, consilio Portusnaonis referenti quandam investituram contra propria iura mandato caesaris factam, respondet capitaneo Portusnaonis praecepisse ut causae definitio usque ad festum nativitatis Domini suspendatur, ac interim mittantur partes coram se, in festo s. Catharinae.**

Fridericus, divina favente clementia, Romanorum imperator semper augustus ac Austrie, Stirie ec. dux. Honesti, prudentes, fideles, dilecti. Scripta vestra quibus nobis significastis fidelis nostri dilecti Matthei de Spauro capitanei nostri Portusnaonis locumtenentem ibidem de mandatis a nostra maiestate receptis, quendam

---

[1]) Vicus (a gallico *rue* eadem significatione). Willelm. Tyrius habet lib. 12, cap. 25: „Ipsi Venetici ecclesiam et integram rugam, unamque plateam sive balneam, nec non et furnum habeant.“ Extant hodiedum Venetiis *ruga dei oresi*, *ruga Giuffa*, *ruga dei do pozzi*, *ruga dei speziali*.

Blasium et ipsius fratrem de Paier inhabitatores ville nostre Curienaonis de quibusdam terraticis et fundis per fidelem nostrum Danielem de Braida civem civitatis nostre Portusnaonis per multa tempora pacifice possessis investivisse, quodque investitura eadem contra iura, consuetudines, statuta et privilegia vestra vobis per nostros predecessores ac nos data et concessa facta existat sane intelleximus. Cum autem intentionis nostre minime existat privilegia civitatis nostre Portusnaonis minuere, quin potius eadem augere cupiamus, dicto capitaneo nostro mandavimus quatenus causam eandem sine preiudicio partium utrarumque usque ad festum nativitatis Domini proxime venturum suspendat et partibus prefatis terminum comparendi coram nobis in festo sancte Katharine proxime future statuat. Idcirco vobis precipimus et mandamus, quatenus aliquos pleno et sufficienti mandato suffultos ad nostram presenciam in eandem diem cum privilegiis et immunitatibus vestris aut illorum transsumptis transmittatis, ubi dictus Blasius et ipsius frater ac Daniel de Braida, et dicti nostri capitanei locumtenens similiter esse debebunt, et eo tunc causam ipsam audire, ac operam pro amicabili concordia inter partes ipsas faciendа diligentem habere curabimus, quam si efficere non valebimus, in causa ipsa uti princeps et dominus terre, prout iustum fuerit, agemus taliter quod neutri partium neque vobis in iuribus et privilegiis vestris preiudicium aliquod generetur. Datum in Nova civitate, die octava mensis octobris, anno Domini ec. LVI^to^, regni nostri decimo septimo, imperii vero quinto.

Commissio domini imperatoris per dominum Ulricum Riederer, doctorem consiliarium.

A tergo: Honestis, prudentibus, fidelibus, nostris dilectis potestati, iudicibus, consulibus et communi civitatis nostre Portusnaonis.

Carta auth. apud P. M.

## CCXLVI.

(1456, 20 decembris, Novae civitatis.)

**Archidux Albertus obbligationem donationis, augmenti dotalis et morgengabii super castris Portusnaonis, Bleiburgi, Stüchsenstein, aliisque dominiis a Friderico imperatore eius fratre, Eleonorae lusitanae sponsae factam publice confirmat.**

Wir Albrecht von Gotes Gnaden, Erthertzog ze Österreich, ze Steir, ze Kernden und ze Krain, Graue ze Tyrol ec. Bekennen offen-

lich mit dem Brieff, als der allerdurchleuchtigist Furst und Herre Her Fridrich Römischer Kayser, zu allen Zeiten Merer des Reichs und Hertzog ze Österreich und ze Steir ec. unser gnediger lieber Herr und Bruder die allerdurchleuchtigiste Fürstin und Frawen Frawn Leonoren geborn von Portugal, Römische Kayserin und Hertzogin ze Österreich ec. unser gnedige liebe Frawe und Swester seiner Kayserlichen Gnaden Gemachel umb hundert und zwentzig tausent Guldein Camer Guldein irs Heiratguts und Widerlegung, und zehntausent derselben Guldein zu Morgengab auf etlich Gslozz, Stet, Herschafft und järlich Renndt und Gülte seiner Gnaden als Fürsten ze Österreich Regierung in den Niederlannden mit Namen Portnaw Gsloss und Stat und der Herschafft daselbs, item Blaiburg Gslozz und Stat, das Gslozz Stüchsenstain mit allen iren Zugehörungen, und auf dem Salzsieden zu Aussee viertausent und sibentzig Guldein iärlicher Gült und Rennt gewaist und vermacht, und die zehentausent Guldein Morgengab ir auf der Herrschaft Mitterburg ze Isterreich, dem Gslozz und Stat daselbs mit aller iren Zugehörungen, Nützen und Gülten, Gewaltsam und Herlikaiten verschriben und verphendet hat als das die Brief darüber lautend innhalten und aussweisen. Daz wir als ungetailter Miterb der obgenanten Herschafft, Gslozz, Stett, Renndt, Nütz und Gülte unsern Willen und Gunst dartzu gegeben haben und geben auch wissentlich mit dem Brief, was wir daran verwilligen sullen und mugen, doch uns und unsern Erben an den Losungen, Rechten und Anvallen, so wir darauf haben unvergriffenlich on Geuerde. Mit Urkund des Brieff, mit unserm anhangendem Insigel. Geben zu Newenstat an Sand Thomas Abent des zwölfboten, nach Christi geburt viertzehenhundert und in dem sechsundfunftzigstem Jare.

Ex membrana in tabulario caesareo vindobonensi.

## CCXLVII.

(1457, 21 ianuarii, Graecii.)

**Fridericus imperator Sebastianum de Monteregali indemnem a poena centum librarum IIII a consilio Portusnaonis, quod officium iurati recusaverit, imposita, declarat, et consulatus in ea civitate dignitatem confert.**

Federicus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus ac Austrie ec. dux ec. Fidelis dilecte. Exposuit nobis

fidelis nobis dilectus Mattheus de Claierspergh, camerarius et capitaneus noster Portusnaonis te, ex eo quod officium iurati in Portunaonis, debilitate corporis tui impeditus, suscipere renuisti, per honestos, prudentes, fideles nostros dilectos potestatem, iudices et consules civitatis eiusdem pena centum librarum condemnatum fuisse. Quam rem nos per scripta nostra pridem predictis potestati, iudicibus et consulibus transmissa suspendisse meminimus per nostros consiliarios terminandam. Noveris autem nos iam sepe dictis potestati, iudicibus et consulibus ut te iterum ad officium consulatus in dicta nostra civitate recipiant et super solutione pene antelate, quatenus sua interest, de cetero minime inquietent, commisisse. Cum autem te in eodem consilio nobis utilem fore dignoscamus, tibi committentes seriosius precipiendo mandamus, quod te ad prefatum consulatus officium iterum conferas, neque id quomodolibet subire recuses, ac nostram et dominii nostri Portusnaonis utilitatem ac bonum publicum, quemadmodum te semper fecisse comperimus, promovere procures. In eo nostram seriosam adimplebis voluntatem erga te gratiosis favoribus recognoscendam. Datum Gratz XXI die mensis ianuarii, anno Domini MCCCCLVII, regni nostri XVII, imperii vero IV.

Commissio domini imperatoris propria.

A tergo: Fideli nobis dilecto Sebastiano de Monteregali civi nostro Portusnaonis.

Exemplum apud P. M.

## CCXLVIII.

(1457.)

**Fridericus de Crescendulis massarius communitatis Portusnaonis, eiusdem nomine, constituit Stephanum de Richeriis sindicum ad comparendum coram pontifice vel quibuscumque iudicibus, ut contradicat investituris beneficiorum presbyteri Francisci de Portunaonis, immo ut eorum expoliationem inducat, expoliationis causas coram quocumque iudice agitaturus.**

In Dei nomine amen. Convenientibus et congregatis more solito ad sonum campane in cancellaria communitatis terre Portusnaonis magnifico et strenuo milite domino Phebo de la Turre dignissimo capitaneo Portusnaonis, spectabili et generoso viro domino Rolandino de Richeriis honorabili potestate dicti loci, ceterisque consiliariis

dicte terre Portusnaonis, ipsius loci communitatem et regimen representantibus, videlicet nobilibus viris ser Francisco a Fonte, ser Petro de Manthecis, ser Nicolao de Spelatis, ser Johanne de Valle, ser Nicolao de Monteregali, ser Nicolao de Popaytis, ser Christoforo de Richeriis et magistro Nicolao de la Tenda; nobilis vir ser Federicus de Crescendulis civis et habitator terre Portusnaonis, tanquam massarius communis dicte terre Portusnaonis pro se ipso et eius successoribus, vice et nomine dicti communis, cum consensu et voluntate prefatorum dominorum capitanei, potestatis et consiliariorum ibidem presentium et Portusnaonis communitatem representantium, et ipsi omnes et singuli ibidem presentes tanquam major pars dicti communis, pro se ipsis vice et nomine dicti communis, unanimiter et concorditer, nemine eorum discrepante, fecerunt, constituerunt, creaverunt et solemniter ordinaverunt suum et dicti communis sindicum actorem, procuratorem, factorem, negotiorum gestorem et nuncium specialem et generalem, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget vel e contra, et quidquid verius, utilius et melius, tam de iure quam de consuetudine dici, nominari et esse potest et debet, nôbilem virum ser Stephanum olim nobilis ser Thome de Richeriis, civem et habitatorem Portusnaonis absentem tanquam presentem, ad comparendum tam coram summo pontifice et eius quocumque auditore seu delegato, aliisque quibuscumque iudicibus sive auditoribus ordinariis vel extraordinariis, presentibus vel futuris ac datis vel dandis, deputatis vel deputandis, ad contradicendum et opponendum omnibus et singulis electionibus, collationibus et investituris omnium et singulorum beneficiorum, que quovis modo presbyter Franciscus olim magistri Federici muratoris de Portunaonis habet et recognoscit seu que habebit et recognoscet quomodolibet in futurum in quibuscumque locis, maxime in terra Portusnaonis et eius districtu; et instandum, requirendum et petendum dictum presbyterum Franciscum privari et spoliari debere omnibus et singulis beneficiis tam curatis quam non curatis, que ipse presbyter Franciscus habet sive habebit, seu in quibus ipse presbyter quomodolibet est investitus, et de quibus collationem et investituram habet seu habebit quomodolibet et quantumcunque in futurum, maxime in Portunaonis et eius districtu: crimina et defectus ipsius presbyteri ac causas propter quas privari et spoliari debet dictis beneficiis allegandum, dicendum, proponendum et probandum et omnes

causas, lites, questiones et differentias quas ipsi domini constituentes pro se ipsis et successoribus suis, vice et nomine dicti communis habent sive habebunt cum predicto presbytero Francisco, tam occasione predictorum beneficiorum quam alia quacumque occasione et causa, coram quocumque iudice tam ecclesiastico quam seculari, presenti vel futuro, libellum seu libellos accusationis, contradictionis et querelas dandum et recipiendum darique et recipi videndum, confitendum et negandum, litem seu lites contestandum et contestari videndum; de calumpnia vitanda et veritate dicenda in animam ipsorum dominorum constituentium iurandum, quodlibet alterius generis licitum et honestum sacramentum prestandum, et ex adverso prestari videndum, ponendum et articulandum, ponique et articulari videndum, positionibus partis adverse respondendum, suisque responderi petendum et faciendum; contra articulos adverse partis dicendum et excipiendum, testes, litteras, processus, scripturas et iura quelibet producendum, aliaque probationis genera deducendum et allegandum, et ex adverso perduci et allegari videndum, accusandum et purgandum quamlibet contumaciam, dilationes unam pluresque petendum; testes adverse partis iurare videndum, contra ipsos ipsorumque dicta nec non contra ex adverso producta dicendum et excipiendum, renunciandum et concludendum, renuntiarique et concludi petendum et videndum, et denuntiandum, satisdandum, protestandum et contradicendum; sententiam et sententias tam interlocutorias quam diffinitivas ferri petendum et audiendum; ab eaque seu ab eis et a quolibet alio gravamine illato vel inferendo, provocandum et appellandum, appellatos petendum et recipiendum, appellationem seu appellationes initiandum, insinuandum et notificandum, earumque causas semel et pluries persequendum; alium vel alios iudicem seu iudices nec non litteras quascumque tam simplices quam legendas, gratiam seu iustitiam continentes, ac restitutionem in integrum nec non absolutionem simpliciter vel ad cautelam, si necesse fuerit, impetrandum et obtinendum, et impetratis ex adverso contradicendum et opponendum; unum vel plures procuratores, actores, factores, negotiorum gestores et nuncios, sive quidquid verius et melius de iure diei, nominari et esse possent semel et pluries loco sui substituendum, tam ante litem contestatam et motam controversiam quam post, substitutosque vel substituendos ab eo revocandum, et onus huiusmodi procurationis in se iterum reassumendum quotiens et quantum sibi visum

fuerit expedire, presenti tamen mandato in suo robore permanente; et generaliter ad omnia et singula alia faciendum, dicendum, procurandum, agendum et exercendum, que in premissis vel circa necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, et quod merita causarum postulant et requirunt, et quod quilibet verus nuncius et procurator faceret et facere posset, et si talia forent que mandatum exigerent magis speciale, dantes et concedentes dicto suo sindico actori et procuratori predicto et substitutis ab eo plenum, liberale, speciale et generale mandatum cum plena, libera, speciali et generali administratione in premissis et quolibet premissorum vel circa; promittentes quoque prefatus massarius communis ac prelibati domini capitaneus, potestas et consiliarii vice et nomine dicti communis mihi infrascripto notario tanquam publice persone presenti et stipulanti nomine et vice omnium et singulorum quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum, se proponendo firmum et gratum habituros id omne quod per antedictum suum sindicum actorem, procuratorem et nuncium actum, factum, gestum et procuratum fuerit in predictis et quolibet predictorum vel circa, ac per substitutum ab eo; et relevantes dictum suum sindicum actorem, procuratorem et nuncium ac substitutum ab eo, ab omni onere satisdandi, promiserunt mihi antedicto notario, quo supra nomine stipulanti, de judicio sisti et judicato solvendo, sub ypotheca et obbligatione omnium bonorum dicti communis presentium et futurorum.

Ego Jacobus olim ser Michaelis de Prata, civis et habitator Portusnaonis.

Membrana authent. apud P. M.

## CCXLIX.

(1457, 6 novembris, Volkchenmarket.)

**Fridericus imperator Phaebum de la Turre seniorem, capitaneum castri et civitatis Portusnaonis renuntiat, quod officium die secunda februarii anni proxime insequentis adeat et usque ad revocationem teneat, dummodo annuatim imperatori quatuorcentum florenos solvat.**

Wir Fridreich von Gots Gnaden Romischer Kaiser, zu allen Zeiten Merer des Reichs, zu Hungarn, Dalmacien, Croacien ec. Kunig, Hertzog zu Osterreich, zu Steir, zu Kernten und zu Krain ec. bekennen daz wir unserm getrewn lieben Phebusen vom Thurn dem eeltern

unsere Hawbtmanschaft, Geslos und Stat Portenaw mit allen Nutzen. Rennten, Zynnsen, Gulten und Gewaltsamen so darczu gehorent auf den nagsten unserr lieben Frawntag der Liechtmesse schiristkunftigen innzenemen und die nu hinfur von unsern wegen innzehaben, zuverwesen und zuversorgen emphollen, und in Bestanndesweis hingelassen haben. Also das er dieselb unsere Hawbtmanschafft, Geslos und Stat mit allen Iren Zugehorungen an unserr Stat trewlich innhalten, bewarn und verwesen soll als die anndere unser Hawbtlewt unczher inngehabt und verweset haben, und uns und unseren Erben damit getrew, gehorsam und gewertig sein, und davon jerlich vierhundert guter und gerechter unger und ducaten Gulden, halb zu sand Merttentag und den anndern halben Tail in unserr lieben Frawn der Lichtmesse nagst darnach komend und ayns yeden Jars, darnach albey in sand Mertten und unserr lieben Frawn zu Lichtmessetëgen in obgeschriben Masse und czogenlich aufrichten und bezalen, auch uns unser Herrlichkait und Gewaltsam davon nicht entziehen lassen noch dieselben entziehen und unsere Lewtte so zu der bemelten unserr Herschaft gehorn unpillich nicht dringen noch beswern noch des yemands anndern zutun gestatten, sunder in Gevals und Unrechtens vor sein nach seinem Vermugen unez an uns und so wir oder unsere Erben die bemelte unsere Hawbtmanschaft, Geslos und Stat wider von Im nemen wellen, und die mit unsern Briefen oder under Awgen an In ervordern, so sol er uns oder wenn wir des Beuelhen der an alles verczichn Waigerung und Aufzug wider abtretten und die uberantworten zu unsern Hannden doch daz wir in Vor ausgang der Jartzeit davon nicht entsetzen. Ob aber gescheht daz der benant Phebus dazwischen mit Tod abgieng, so sullen uns sein Erben oder wer die bemelten Hawbtmanschaft, Geslos und Stat ditzeit von seinen wegen innhat an sein stat alles das schuldig und phlichtig sein zutun, so oben begriffen ist alles trewlich und ungeuerlich. Mit Urkund des Briefes. Geben zu Volkchenmarketh an Montag vor sannd Merttentag nach Christi Gepurd im viertzehenhundert sieben und funfzigisten Jare.

Ex membrana origin. tabularii caesarei vindobonensis.

## CCL.

(1458.)

**Phoebus (senior) de Turri, cui Fridericus imperator capitaneatum Portusnaonis detulerat, promittit omnia quae in litteris caesareis continentur fideliter peracturum; fidei documento asserendae gratia addit proprio sigillum Rodulphi de Pappenhaim, marescalli caesarei.**

Ich Phebus von Turn der elter bekenn fur mich und all mein Erben und tun kundt offenlich mit dem Brieue allen gegenwurttigen und khunftigen, als der allerdurchleuchtigist Furst und Herr Fridreich Romischer Kayser zu allen Zeiten Merer des Reichs, Hertzog zu Osterreich, zu Steir ec. mein allergenedigister Herr, mir seiner Gnaden Haubtmanschafft und Gslos zu Portenaw inntzehaben und zuverwesen emphollen hat nach laut seiner Gnaden Brief darumb ausgangen, der von Wort zu Wort laut als hernach geschriben stet. Wir Fridreich (v. num. CCXLIX) ec. Das ich seinen kaiserl. Gnaden da entgegen pey mein Trewn gelobt und versprochen hab wissentlich in Kraft des Briefs allem dem so in dem berürten sein kais. Gnaden Brief begriffen ist und mich oder mein Erben zutun antrifft, trewlich nachtzugeen, zevolfuren und zevolbringen an alle Waigerung, Austzug und Widerred, trewlich und ungeuerlich. Des zu Urkund gebe Ich egenante von Turn dem obgenannten mein allergnedigisten Herren dem Romischen Kaiser den Brief besiglten mit main aigen anhangenden Insigl, und zu pesser Sicherheit und Getzeugnüss habe ich mit Fleiss gepeten den edlen und ervesten Herrn Rudolfen von Papenhaim des heiligen Romischen Reichs Hofmarschall, daz er sein Insigl auch an den Brief gehanngen hat, doch Im und seinen Erben an Schaden darnider ich mich fur mich und all mein Erben verpinde alles das war und stet zu halten und zevolfüren so an den Brief geschriben stet der geben ist zu Volkchenmarket an Montag vor Sannd Mertenstag (6. novembris) nach Christi Gepurd vierzehenhundert und in dem sibenundfunfzigisten Jare.

Ex membrana origin. tabularii caesarei vindobonensis.

## CCLI.

(1458, 2—5 aprilis, Bornae.)

Fridericus imperator Casparem de Richeriis, attenta *la servitù prestataci da Francesco Orlandino de Ricchieri* eius patris, insti-

tuit capitaneum Portusnaonis, *acciochè con la sua solita destrezza habbia a conservar quel popolo in pacifica quiete, et aministrar in tutto per giustitia.*

Documentum editum a Silino in *Raccolta dei privilegj Ricchieri*, p. 42—43, per regesta exhibuit Birk in *Urkunden-Auszüge* ec. p. 29.

## CCLII.

(1458, 23 maii, Venetiis.)

Pasqualis Maripetro dux Venetiarum mandat Bernardo Natali potestati Mothae ut *ad dubietates amovendas* observari faciat quod potestati et capitaneo Tarvisii praecepit, nempe *quilibet mercator ex Sacilo vel Portunaonis Venetias veniens cum vino, frumento, vel aliis quibuscumque mercationibus per Liquentiam vel passum Mothe, vel ex Venetiis Portumnaonem vel Sacilum accedens, non quadragesimum sed unum tantum quartum ducati* solvat qualibet vice.

Inest operi: *Statuta Portusnaonis* ann. 1755, p. 327.

## CCLIII.

(1459, 17 aprilis, Venetiis.)

**Dux Venetiarum Friderico imperatori renuenti rata habere et observare quae super dissidiis inter Portusnaonenses et Zopolenses conclusa sunt, respondet formam transactionis, qua statutum ut pars quaelibet infra quinquennium de iuribus suis posset dicere, interim servandam.**

Serenissimo et excellentissimo domino domino Friderico, divina favente clementia, Romanorum imperatori semper augusto, ac Austrie, Stirieque ec. duci illustrissimo. Pasqualis Maripetro, Dei gratia, dux Venetiarum ec. recommendationem et prosperos ad vota successus. Accepimus litteras vestre serenitatis, datas XX martii proxime decursi, mentionem agentes de his que alias tractata et conclusa fuerunt inter oratores vestre maiestatis et nostros pro differentiis existentibus inter illos de Portunaono eius subditos et nostros subditos de Zopola, patrie nostre Foriiulii. Et concludit vestra serenitas quod ea que tractata et conclusa fuerunt ne dum ratificare sed nec de cetero observare intendit, quod nobis significat quia tempus quinquennii prope est in illis conventionibus specificatum, et dicit velle mittere oratores suos

pro sedandis illis differentiis ec. Respondentes igitur maiestati vestre dicimus nos esse certissimos eam pro sua summa sapientia et iustitia nihil aliud velle quam quod equitas et honestas exposcit. Scit enim sublimitas vestra per transactionem factam inter prefatos oratores esse conventum quod quelibet partium infra terminum quinquennii possit dicere de iuribus suis et differentias ipsas facere revidere, hac addita conditione, quo interim donec dicte differentie revideantur, subditi partium debeant stare et parere dicte transactioni, et gaudere, uti et frui, sicut in ea latius continetur, cuius exemplum faciens ad hoc propositum vestre cesaree maiestati mittimus presentibus introclusum. Que igitur cum ita sint, eam rogamus ut edicere vellit quod eius subditi predicti ab omni novitate se abstineant, et servetur forma ipsius transactionis, donec ipse differentie fuerint revise, et nos illud idem per subditos nostros inviolabiliter servari faciemus. Quando autem certiores facti erimus oratores celsitudinis vestre venturos esse ad ea loca differentiarum, nos oratores nostros etiam transmittemus, ut ipsis differentiis tandem finis imponatur, et subditi hinc inde pacifice et quiete vivant, et amice invicem conversentur. Datum in nostro ducali palatio, die 17 aprilis, indictione VII, 1459.

A tergo: Serenissimo et excellentissimo domino domino Friderico, divina favente clementia, Romanorum imperatori semper augusto, ac Austrie Stirieque ec. duci illustrissimo.

## CCLIV.

(1459, 2 iulii, Vindobonae.)

**Fridericus imperator Fridericum de Castrobarco Portusnaonensibus enixe commendat, quem in itinere Romam versus benigne suscipiant quando ad eos pervenerit ac favorabiliter tractent, quocumque remoto impedimento.**

Fridericus, divina favente clementia, Romanorum imperator semper augustus, Hungarie, Dalmatie, Croatie rex, ac Austrie, Stirie, Karinthie Carnioleque dux ec. universis et singulis principibus ecclesiasticis et secularibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, militaribus, antianis, burgraviis, castellanis, magistris civium, iudicibus, consulibus civitatum, castrorum, oppidorum et villarum, communitatibus et rectoribus

carumdem, mutariis, theolonariis, boletariis, portuum custodibus, utrisque nostris et imperii sacri, nec non hereditariorum principatuum, terrarum et dominiorum nostrorum officialibus, subditis et fidelibus dilectis quibus presentes nostre littere fuerint exhibite, gratiam cesaream et omne bonum. Venerabiles, illustres, magnifici, nobiles, fideles dilecti. Mittimus in presentiarum fidelem nostrum dilectum Fridericum de Castelbarco alias de castro romano militem aularem et dapiferum nostrum, in nonnullis nostris negotiis ad sanctissimum dominum nostrum papam, et nonnullas Italie partes, quem in huiusmodi progressu sui itineris plena ubique securitate gaudere cupientes, ipsum vobis sincere commendamus effectu, desiderantes ac vobis et cuilibet vestrum seriosius precipiendo mandantes, quatenus prefatum Fridericum una cum familiaribus, equis, rebus et bonis eorum singulis, dum et quando ad vos pervenerint, nostri intuitu, benigne suscipere, favorabiliter tractare, nec non per nostre et vestre iurisdictionis loca, tam per terram quam per aquas, libere et secure, sine solutione mute, theolonii, datii, pedagii, passagii, gostume [1]), gabelle et cuiuslibet exactionis onere, omni quoque prorsus impedimento semoto, ire, redire, inibi stare et morari permittatis, conducatis et conduci faciatis toties quoties fuerit opportunum, et super hoc fueritis requisiti, aut alter vestrum fuerit requisitus ad honorem et specialem reverentiam nostre imperatorie maiestatis, et sicut nobis in eo volueritis singulariter complacere et nostram adimplere voluntatem. Datum Vienne, die secundo mensis iulii, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, imperii nostri octavo, regnorum nostrorum romanorum vicesimo, Hungarie ec. vero primo.

A tergo: Honestis et prudentibus fidelibusque nostris sincere dilectis capitaneo, potestati ac consilio, totique communi terre nostre Portusnaonis.

Ex tabulario comitum Ricchieri Portusnaonis.

---

[1]) Proprie *costuma* ut et *coystuma* ac *constuma* est praestatio sive pecunia, sive aliis rebus. „Statutum est inter nos (abbat. et conv. Arremar.) et ipsam comitissam (Campaniae) quod in coustumis nummorum et avenae, quae in festo s. Remigii solventur annuatim ab hominibus de Pargis, . . . . habebit ipsa medietatem, et nos alteram medietatem.“ Chartular. Campaniae. Charta ann. 1209, f. 317.

## CCLV.

**(1461, 1 iulii, Graecii.)**

Cum Fridericus imperator Petrum Fynz familiarem suum et Alphonsi regis Portugalliae personae custodem Venetias legatum transmiserit ut cum Paulo Mauroceno, Laurentio Mauro et Bernardo Iustiniano a Venetorum duce ideo deputatis ac Symone de Zopola conveniret *ad componendas differentias* super confiniis et iuribus commugnandi Portusnaonensium cum fratribus de Zopola, *pacta transactionis amicabilis, compositionis et concordii* stabiliuntur.

Ex tabulario caesareo vindobonensi vulgavit Jos. Chmel in *Regesta chronologico-diplomatica Friderici III Romanor. imperatoris*, II, p. CXXXVI.

## CCLVI.

**(1461, 18 septembris, Venetiis.)**

**Cum Rodulphus de Formentinis Cusani dominus, coram duce Venetiarum sit conquestus iuribus propriis, fratris ac nepotis iniuriam illatam in concordio anno 1460 habito inter sapientes terrae firmae et oratorem caesareum super dissidiis Portusnaonensium ac Cordenaonensium cum Zoppolensibus, dux mandat locumtenenti foroiuliensi caveat ne iura tertii laedantur.**

Pasqualis Maripetro, Dei gratia, dux Venetiarum ec. nobilibus et sapientibus viris Ludovico Fuscareno doctori, de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii, ac successoribus suis fidelibus, dilectis salutem et dilectionis affectum. Fuit de anno proxime preterito facta inter illos de Portunaone sive de Cordenons et spectabiles fideles nostros consortes de Zopola, medio et interpositione spectabilis domini Petri Fincii, ambasciatoris serenissimi domini imperatoris, et serenissime domine imperatricis, ac sapientum nostrorum terre firme quedam compositio sive concordium, cum certis capitulis, in tertio quorum cavetur quod nemo in palude et locis in eo descriptis se debeat impedire in commugnando, secando ec. ut in eo legitur, et licet per penultimum ipsorum capitulorum contineatur et reservetur ius tertii, tamen spectabilis Rodulphus de Formentinis dominus Cusani pro se, fratre ac nepote, habita de predictis notitia, comparuit ad presentiam nostram sive sapientum nostrorum terre firme, cum quibus

aderant predictus spectabilis orator maiestatum serenissimi domini imperatoris et serenissime domine imperatricis, ac Simeon de Zopola pro se et consortibus suis, et in eorum presentia exposuit eum dictosque fratrem et nepotem suos ius habere commugnandi, secandi et buschandi in loco contento in suprascripto tertio capitulo, et in omnibus aliis locis ultra aquam Methune, versus Zopolam et Cusanum usque ad nemus egregii Henrici de Flumine et Fossam malam, uti se offert constare investituris, sententiis et privilegiis suis, et propter ea supplicabat terminari per concordium predictum sequutum inter illos de Portunaone sive de Cordenons ex una, et suprascriptos de Zopola ex altera nullum preiudicium ei et dictis fratri et nepoti suis, sive iuribus suis generari. Quare cum ius disponat ut res inter alios acta nemini preiudicet et per penultimum etiam capitulorum suprascripti concordii caveatur ius tertiis reservari, eius comparitionem acceptavimus et diximus in nihilo derogatum fuisse investituris ac sententiis et privilegiis antiquis et novis eorum, sicuti et predicti sapientes, presente spectabili domino Petro predicto ac Simeone de Zopola, suprascriptis nominibus quibus supra, iussu nostro, dicto spectabili Rodulpho declararunt, cui declarationi predictus spectabilis orator imperialis et Simeon de Zopola, tanquam iustissime et honestissime minime contradixerunt. Datum die XVIII septembris, MCCCCLXI.

Exemplum apud P. M.

## CCLVII.

(1461, 18 octobris, Venetiis.)

**Dux Venetiarum mittit locumtenenti foroiuliensi capitula conventa inter sapientes terrae firmae et oratorem caesareum super dissidiis inter Portusnaonenses et Cordenaonenses ac illos de Zopola, praecipiens ut his litterarum imperialium ea de re copiam faciat.**

Locumtenenti patrie Foriiulii et successoribus suis. De mense februarii ultimo preteriti sapientes nostri terre firme nostro nomine cum oratore serenissimi domini imperatoris devenerunt pro differentia illorum de Portunaone et de Cordenons cum illis de Zopula ad certa capitula et pacta pro quiete partium, quorum copia his inclusa erit. Et quia predictus spectabilis orator, qui etiam nuperime fuit ad presentiam nostram, promisit quod cesarea maiestas infra breves dies

eius patentibus litteris mandabit predictis de Portunaone et Cordenons, ut ea capitula, pacta et conventiones inviolabiliter observent, et rogavit et instetit ut similiter mandatum faciamus illis de Zopola, optantesque auferri nostris omnem materiam scandalorum, vobis mandamus ut ad vos habere provideatis spectabilem Simeonem et consortes de Zopola, et eis dare notitiam de litteris suprascriptis imperialibus, et precepti antedicti ad dictos de Portunaone et Cordenons per dictum spectabilem oratorem imperialem nobis promissis, et eis iniungere ut ipsi inviolabiliter observent pacta et conventiones et capitula infrascripta, et taliter se gerant ut non videantur dare principium alicui novitati. Datum die XVIII octobris, MCCCCLXI.

Exemplum apud P. M.

## CCLVIII.

(1463, 24 novembris, Venetiis.)

**Pacta memorantur inter oratores imperiales et venetos differentiis Portusnaonis tollendis.**

Christophorus Maurus dux Venetiarum illustrissimo domino Alberto archiduci Austrie ec. — — — — — — — — — — — In iis quoque litteris suis excellentia vestra commemorat differentias quasdam Portusnaonis et Istrie. Pro his que ad Portumnaonis pertinent, nihil dicere opus est, quoniam iam diu inter oratores imperiales et nostros, qui illuc se contulerunt, solemniter facta fuit transactio et conclusio debita inter partes. — — — — — — — — — — — Date in nostro ducali palatio, die 24 novembris, 1463.

Ex regestis *Secreti*, n. 21. in tabulario generali Venetiarum.

## CCLIX.

(1464, 7 maii, Tergesti.)

**Tergestini Portusnaonensibus grates agunt quod per eorum oratorem Nicolaum Teofanium quinquaginta sex sextaria frumenti sibi dono miserint.**

Egregii et spectabiles uti fratres dilectissimi. Post salutem quamplurimam vobis significamus qualiter ser Nicholaus Teofanius orator noster, diebus proximis ex parte vestra nobis presentavit quinquaginta sex sextaria frumenti, quod humanitas vestra dignata est

nobis gratis impartiri. Sed quoniam vicio unicuique ascribi solet quod pro beneficiis acceptis gratiarum actiones obliviscitur, hinc est quod talem labem evitare cupientes, gratias vobis infinitas tanto pro beneficio vestro et habemus et referimus, pro vobis ad multo maiora parati. Recte igitur valeant spectabilitates vestre et nobis ut fratribus semper utantur fidelissimis. Tergesti, VII maii, 1464. Judices, consilium et commune Tergesti ad beneplacita ut fratres parati.

A tergo: Egregiis et spectabilibus rectoribus Portusnaonis et eiusdem gubernatoribus ut fratribus dilectissimis.

Carta authent. cum sigillo integro penes P. M.

## CCLX.

(1464, 27 iulii, Novae civitatis.)

**Fridericus imperator locat territorium Vilotae villae Curiaenonis, eo ut census et servitia consueta capitaneatui Portusnaonis praestentur.**

MCCCCLXIIII, 27 iulii, in Nova civitate. Fridericus Romanorum imperator ..... quod nos attentis fidelitate ac meritis ..... incolarum et communis ville nostre Curienaonis, que nobis et domui nostre Austrie sedulo prestiterunt .... ad instantes eorum preces .... locavimus tenoreque presencium locamus, quoad nos aut heredes nostri, domini Portusnaonis, duxerimus revocandum, ipsis et eorum posteris cum iuribus et pertinentiis suis territorium nostrum Vilote in dominio nostro Portusnaonis situatum, quod ad presens nobilis Biachinus comes Porciliarum a nobis pro annuo censu, sub conduccionis titulo, usque ad beneplacitum seu revocacionem nostram hactenus tenet et possidet, cuius ius et proprietas ad nos .... pertinere dinoscitur, ea lege ac pacto ut nobis et successoribus nostris ducibus Austrie, dominis Portusnaonis, ad officium capitaneatus castri nostri Portusnaonis debitum et consuetum censum persolvant et debita ac requisita servicia prestent ..... quemadmodum alii conduccionarii retroactis temporibus de prefato territorio Vilote persolverunt ..... et eodem territorio Vilote utantur ..... Quocirca fideli nostro ..... Phebo de Turri, capitaneo nostro dominii nostri Portusnaonis damus in mandatis ut dictos incolas ac commune Curienaonis, vice nostra ... de dicto territorio Vilote ... investiat.

Ex tabulario instituti vindobonensis quod *Finanz-Ministerium* appellant, libro D. 70. fol. 190 et 191.

## CCLXI.

(1465, 11 ianuarii, Novae civitatis.)

**Eleonora imperatrix Mundiol et Franciscum Mantica bene de se ac caesare merentes in familiares suos suscipit, eosque itinerantes universis principibus, quorum dominium attigerint, commendat.**

Leonora, divina favente clementia Romanorum imperatrix semper augusta, Hungarie, Dalmatie, Croatie regina, ac Austrie et Stirie ducissa, honorabilibus viris Mundiol et Francisco Mantega, fratribus civibus Portusnaonis, familiaribus nostris fidelibus dilectis gratiam cesaream et omne bonum. Honorabiles atque fideles dilecti. Dum ad probatam vestre fidelitatis constantiam, prudentem quoque legalitatis industriam, quibus vos in conspectu maiestatis nostre commendabiles reddidistis, aciem mentis nostre convertimus, dumque grata servitiorum fidelium obsequia, quibus serenissimum et gloriosissimum principem et dominum dominum Fridericum Romanorum imperatorem, item conthoralem nostrum carissimum, nos quoque et romanum imperium tam promte tamque viriliter, indefessis ac ferventibus virtutum studiis non desinitis amodo honorare, pie contemplamur, dignum arbitramur ut obsequiosa vestra merita comodosis premiis et honoribus decoremus. Vos igitur, horum intuitu, animo deliberato, in familiares nostros assumpsimus, ac, vigore presentium, de certa nostra scientia assumimus gratiose, cetui aliorum familiarium nostrorum favorabiliter aggregando, volentes quod vos ex nunc in antea universis et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, iuribus, honoribus, gratiis et indultis ubique locorum gaudere et perfrui possitis et valeatis, quibus ceteri nostri familiares utuntur, gaudent seu potiuntur quomodolibet consuetudine vel de iure. Hortamur igitur universos et singulos principes ecclesiasticos et seculares, duces, marchiones, comites, vicecomites, barones, vicarios generales, nobiles, proceres, ministeriales, milites, clientes, capitaneos, antianos, commissarios, potestates, gubernatores, castellanos, officiales, iudices quoscumque ceterosque tam in imperio sacro quam extra illud ubilibet constitutos, cuiuscumque status, gradus, officii sive dignitatis existant, quibus presentes nostre littere exhibite fuerint, eosque sincero deprecamur affectu, quatenus dum et quoties prefati Mundiol et Franciscus familiares nostri ad eos vel eorum aliquem, aut eorum dominia, terras seu iurisdictionis loca pervenerint, benigne recommmendatos susci-

piant, decenti pertractent honore, et ea que ad promotionem et securitatem illorum concernunt itinerum benignis auxiliis et favoribus prosequantur, eos proptera cum famulis, equis, arnesiis, valisiis et rebus singulis, per quoscumque passus, pontes, terras, dominia, districtus, iurisdictiones, civitates, oppida, castra, castella, tam per terram quam per aquas, absque aliqua solutione thelonii, tributi, dacii, pedagii, pontinerii [1]), sive alterius cuiuscumque exactionis onere et impedimento transire, stare, morari et redire, quoties eis opus fuerit, permittant, atque ipsis, dum et quoties nostro nomine aut desuper fuerint invocati, de securo velint providere conductu ad honorem et reverentiam imperialis nostre maiestatis atque complaceant ad singula. Datum in Nova civitate, die undecima mensis ianuarii, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, et imperii nostri tertio decimo.

Ad mandatum proprium domine imperatricis.

Exemplum extat apud P. M. ex tabulario Alexandri Mantica.

## CCLXII.

(1465 22 aprilis, Romae.)

**Paulus papa II praeceptoriam hospitalis sancti Joannis hierosolymitani, villae Sancti Quirini, districtus Portusnaonis, Francisco de Peliza sacilensi, a Friderico Romanorum rege iurispatrono presentato, se contulisse nuntiat patriarchae aquil. et episcopo concordiensi.**

Paulus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Nicolao Lotto aquileiensis et Philippino cenetensis ecclesiarum canonicis, ac vicario venerabilis fratris nostri episcopi concordiensis in spiritualibus generali salutem et apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vite et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud vos dilectus filius Franciscus de Peliza de Sacilo, frater hospitalis s. Johannis hierosolymitani, fide digno commendabilique testimonio excellit, nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, preceptoria hospitalis s. Johannis hierosolymitani, ville Sancti Quirini, districtus Portusnaonis, concordiensis diocesis, que de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Federici romani imperatoris semper augusti existit,

---

1) Vectigal pro transitu pontis, etiam *pontaticum, pontagium, pontaicum, pontanagium, pontenagium, pontenarium, pontinagium, pontonagium, pontonatgium, pontonaticum, pontionaticum.*

et quam quondam Ludovicus de Turri, olim ipsius preceptorie preceptor, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Ludovici, qui extra romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens: nos omnia beneficia ecclesiastica et singula que dictus Franciscus etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet, ac in quibus et ad quevis sibi quomodolibet competit, quecumque, quorumcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, ac huiusmodi dispensationum tenore pro expressis presentibus habentes, et volentes eidem Francisco, quem prefatus imperator per suas patentes et autenticas litteras nobis presentavit, premissorumque meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo vel unus vestrum, per vos vel alium seu alios, preceptoriam predictam, que sine cura est, et cuius fructus, redditus et proventus septuaginta florenorum auri de camera, secundum communem estimationem, valorem annuum, ut idem Franciscus aperit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Ludovici vel alicuius alterius de illa, extra predictam curiam et coram notario publico et testibus sponte factam vacet, etiam si tantopere vacaverit, quod eius collatio, iuxta lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque preceptoria dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus habere volumus, pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datarum presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Francisco auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine, in corporalem possessionem preceptorie, iuriumque et pertinentiarum predictarum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum Franciscum vel dictum procuratorem pro eo ad preceptoriam huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus, nec non prefati hospitalis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, stabilimentis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque,

aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de preceptoriis hospitalis huiusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales, dicte sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, et si per eos ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatum Franciscum in assecutionem dicte preceptorie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem preceptoriarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro episcopo concordiensi, ac dilectis filiis magistro et conventui hospitalis prefati, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de preceptoriis huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quo eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim exinde irritum decernimus et inane, secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome, apud s. Petrum, anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, decimo kal. maii, pontificatus nostri anno primo.

Exemplum penes P. M.

## CCLXIII.

(1466, 13 ianuarii, Novae civitatis.)

**Fridericus imperator Fridericum de Castelbarco capitaneum castri et civitatis Portusnaonis renuntiat, quod officium die secunda proximi februarii ineat ac ad revocationem usque teneat, dummodo annuatim summam quatuorcentum florenorum caesari numeret [1]).**

Wir Fridreich von Gots Gnaden Romischer Kaiser, zu allen Zeiten Merer des Reichs, zu Hungern, Dalmacien, Croacien ec.

[1]) Nominibus mutatis idem ac num. CCXLIX.

Kunig, Hertzog zu Osterreich, zu Steir, zu Kernten und zu Krain ec. Bekennen daz wir unserm getrewn lieben Fridreichen von Castelburgk unserm Kämmer, unsere Hawbtmanschaft, Geslos und Stat Portenaw mit allen Nutzen, Rennten, Zynnsen, Gulten und Gewaltsamen so darczu gehoret auf den nagsten unserr lieben Frawntag der Liechtmess schiristkunftigen inzenemen und die nu hinfur von unsern wegen innzehaben, zuverwesen und zuversorgen empfollen und in Bestanndesweis hingelassen haben, also daz er dieselb unsere Hawbtmanschaft, Geslos und Stat mit allen Iren Zugehorungen an unserr Stat trewlich innhalten, bewarn und verwesen sol als die anndere unsere Hawbtlewte unczer inngehabt und verweset haben, und uns und unsern Erben damit getrew, gehorsam und gewertig sein, und davon ierlich vierhundert guter und gerechter unger und ducaten Guldem halb zu sand Merttentag, und den andern halben Tail in unserr lieben Frawn der Liechtmesse nagst darnach kommend und ains yeden Jars darnach albey in sand Mertten und unserr lieben Frawn zu Lichtmessetëgen in obgeschriben Masse unvercogenlich aufrichten und bezalen, auch uns unserer Herrlichkait und Gewaltsam davon nicht entziehen lassen noch die selber entziehen, und unsere Lewtte so zu der bemelten unserr Herrschaft gehorn unpillich nicht dringen noch beswern, noch des yemands annderm zutun gestatten, sunder in Gewalts und Unrechtens vor sein nach seinem Vermugen uncz an uns, und so wir oder unser Erben die bemelte unsere Hawbtmanschaft, Geslos und Stat wider von Im nemen wellen, und die mit unsern Briefen oder under Awgen an In ervordern, so sol er uns oder wenn wir des Beuelhen der an alles verziehen Waigerung und Auszug wider abtretten und die uberantworten zu unsern Hannden, doch daz wir in Vor ausgang der Jartzeit davon nicht entsetzen. Ob aber gescheht daz der benant von Castelburgk dazwischen mit Tod abgieng, so sullen uns sein Erben oder wer die bemelten Hawbtmanschaft, Geslos und Stat diczeit von seinen wegen innhat, an sein stat alles das schuldig und phlichtig sein zutun so oben begriffen ist alles trewlich und ungeverlich. Mit Urkund des Briefs. Geben zu der Newnstadt an Montag vor sand Anthonientag, nach Cristi Gepurd in viertzehen hundert und sechs und sechtzigisten, unsers Kaisertumbs in viertzehenten, unsers Reichs des Romischen in sechsundzwanzigisten un des hungrischen in sibenten Jaren.

Ex origin. membran. tabularii caesarei vindobonensis.

## CCLXIV.

(1466, 14 ianuarii, Novae civitatis.)

**Fridericus de Castelbarco capitaneus Portusnaonis a Friderico caesare renuntiatus, spondet se sibi commissa fideliter exequuturum: ut vero documento fides tribuatur major, proprio addit sigillum Georgii Fuchs de Fuchsperg marescalli aulici.**

Wir Fridreich von Castelbark bekenn für mich und all mein Erben und tun kund offentlich mit dem Brief, als der allerdurchlewchtigist Furst und Herr Herr Fridreich Romischer Kaiser zu allen Zeiten Merer des Reichs, zu Hungern, Dalmacien, Croacien ec. Kunig, Hertzog zu Osterreich, zu Steir ec. mein allergenedigister Herr mir seiner kaiserlichen Gnaden Hawbtmanschaft, Geslos und Stat Portenaw inzenemen und zuverwesen emphollen hat, nach lawtt seiner Gnaden Brief darumb ausganngen, der von Wort zu Wort lawtt, als hernach geschriben stet. Wir Fridreich (v. num. CCLXIII). Daz ich seinen kaiserl. Gnaden da entgegen pey mein Trewn gelobt und versprochen hab wissentlich in Kraft des Briefs allem dem so in dem berürten sein kais. Gnaden Brief begriffen ist, und mich oder mein Erben zutun antrifft, trewlich nachtzugeen zevolfuren und zevolbringen an alle Waigerung, Austzug und Widerred, trewlich und ungeuerlich. Des zu Urkund geb Ich egenante von Castelbargk dem obgenanten mein allergnedigisten Herren dem Romischen Kaiser den Brief besiglten mit mein aigen anhangenden Insigl. Zu yeczen Gunst der Sachen hab Ich mit Fleiss gepeten den edlen stremigen Ritter Hern Jorgen Fuchs von Fuchsperg, Hofmarschall, daz er sein Insigl auch an den Brief gehanngen hat, doch Im und seinen Erben an Schaden darwider ich mich fur mich und all mein Erben zu sambt meinen obberurten Insigl verpinde alles das war und stet zu halten und zevolfüren. So an den Brief geschriben stet, der geben ist zu der Newnstat, am Eritag vor sand Anthonientag, nach Christi Gepurd vierzehenhundert und in dem sechsundsechtzigisten Jare.

E membrana tabularii caesarei vindobonensis.

## CCLXV.

### (1466.)

**Portusnaonenses humiliter imperatori supplicant ut dissidiis et aerumnis, quae ex negligentia et malo animo Friderici de Castrobarco eorum capitanei obtigerunt, opem adhibeat.**

Maiestati vestre, serenissime ac invictissime cesar et domine noster gratiosissime. Pro parte fidelissimorum servulorum eius, civium Portusnaonis qui preter et contra omnem equitatem et iustitiam opprimuntur, humiliter flexo poplite et suffusis oculis exponit, quod cum cesarea maiestas vestra dominum Fridericum de Castrobarco capitaneum Portusnaonis constituisset, communitas et universus populus Portusnaonis eum qua decuit reverentia et magnis cum honoribus, debitaque cum obbedientia suscepit. Post aliquot dies ipse dominus capitaneus dixit habere licentiam fabricandi portam unam in muro castri, ut ad libitum inde ingredi et egredi posset. Communitas autem considerans pericula et mala que inde possent occurrere, supplicaverat eidem domino capitaneo ut vellet huiusmodi fabrice supersedere, donec sacratissime maiestati vestre damna huiusmodi et pericula narrarentur, offerentes eidem domino capitaneo omnium civitatis portarum claves tam in nocte quam in die ad sui libitum. Hec audiens dominus capitaneus promisit supersedere usque ad adventum oratorum cesaree maiestatis, postea vero non multis diebus nocte quadam aperiri fecit portam unam in muro castri alias tempore domini Ugonis italici de Strassoldo capitanei Portusnaonis huiusmodi propter pericula et iam occurrentia mala clausam, iussu dive memorie archiducis Ernesti illustrissimi genitoris cesaree maiestatis vestre. Aperta autem huiusmodi porta, sequenti die dominus capitaneus Venetias ivit. Interea dum Veneciis esset, accidit in civitate fieri homicidium ante domum cuiusdam adultere et impudicissime mulieris, ex qua causa .... quam mulierem communitas Portusnaonis considerans eam esse velut pestiferum morbum, a civitate iam antea licentiaverat. B. ... dominus capitaneus ibidem inhabitare voluit, cuius voluntati communitas, licet minus honestum et utile foret, acquievit. Secuto autem predicto homicidio et absente domino capitaneo, ipsa communitas volens super huiusmodi homicidio veritatem inquirere et iustitiam exercere, ut est debi-

tum, ipsam publicam adulteram, que post homicidium occultata erat, apprehendi iussit et carceribus mancipavit. Ipsa tanquam plena doloris et nequitie finxit se egrotare et mortis dolores pati. Ob hoc communitas eam duci fecit in quandam cameram hospitalis, et ibi eam diligenter examinatam custodiri iussit. Sequenti autem nocte Johanninus de Turri, de cuius vita et moribus ac perfida amicitia sacratissima maiestas vestra si dignabitur audire plenius informabitur, ac Daniel Vancini gastaldio, habito prius colloquio cum ipsa adultera, ut palam est, eam dato ordine per quandam fenestram hospitalis deposuerunt, et eam extra civitatem nocturna hora per iam dictam portam noviter fabricatam abduxerunt. Reverso autem domino capitaneo, communitas eidem super his omnibus conquesta est. Deliberavit communitas hec omnia sacratissime maiestati vestre significare supplicareque ut hujusmodi tam periculosa et damnosa porta clauderetur. Et congregato consilio ac popularibus ut invenirentur pecunie pro oratoribus mittendis, habitaque clara notitia de zizaniis et discordiis inter dominum capitaneum et cives per dictum Danielem Vancini seminatis, eam pro bono pacis et tranquillitatis totius civitatis, vigore statuti Portusnaonis, a terra Portusnaonis exulem dixerunt, mandaveruntque neminem debere esse ausum ingredi vel egredi per portam predictam, donec a cesarea maiestate vestra responsum haberetur. Eo die ac statim communitas sentiens dominum capitaneum huiusmodi provisionem egre ferre, ad eum aliquos cives misit supplicando ut saltem vellet dicte porte duas claves poni facere (alteram communitas servaret donec a cesarea maiestate vestra responsum haberet), paratos facere ea omnia que sua magnificentia debite exposceret; *non curo Johannini et gastaldionis suggestiones*, respondit. Dominus capitaneus paulo post, nulla recepta iniuria, civitate solitas per vias cum famulis egressus est. Communitas eius intelligens discessum doluit et eo magis quod a veridicis habebatur eum cum exercitu contra civitatem regressurum. Consideret sacra maiestas vestra quantis in angustiis et doloribus cives versentur et universus Portusnaonis populus. Credebant enim et credunt, ac huius sunt opinionis de mente et voluntate cesaree maiestatis vestre, ut huiusmodi exercitus contra civitatem duceretur: propterea ipsa communitas ut civitatis indemnitati providere posset, ad portas civitatis et in altissima turri parochialis ecclesie deposuit quosdam: qui in castro erant egressi sunt cum balistis et quosdam custodes interfecerunt: populus huiusmodi

sentiens rumores, eo quod in turri erant, statim accurrit ut custodibus subsidium prestaret, et dum ipsi qui nulla recepta iniuria audeant aggredi incolas et custodes, ceperunt emittere copiam sagittarum et balistarum de ferro, et populum ibidem congregatum et quosdam de civibus percusserunt cum suis balistis, aliqua tela in dictos famulos iniecerunt: omnes cepit timor maximus et angustia intra civitatem, que magis impulit capitaneum exercitus contra civitatem congregare, oculataque fide castri fortilitia munire. Quidam vero cupientes eorum et civium aliqua licet modica et inutilia ceperunt instrumenta, quibus ecce applicuit dominus tergestinus capitaneus: quamvis improvisus esset, non fuit tamen Portusnaonensibus minus gratus quam prioribus. Sperabant enim Portusnaonenses eius medio hec omnia componi. Audivit ipse capitaneus tergestinus rem omnem tam a civibus quam ab aliis, et re plenius intellecta dixit communitati Portusnaonis qualiter dominus capitaneus Portusnaonis ad eum accesserat, et quod de eius voluntate et cum ipsius domini capitanei armis terram Portusnaonis transtulerat gratia huius rei componende; et quod Portusnaonenses minime dubitarent, quod ipse rem admodo tenuem inveniebat. Sperantibus itaque Portusnaonensibus rem ipsam compositam iri, capitaneo miserunt. Ipse nuncium communitatis retinuit in Duino et cepit cives portusnaonenses quos communitas illi obviam miserat, ut magistratus sentientes capitaneum cum exercitu maximo venire, stupefacti et celeriter notificarunt. Quid enim serenissime cesar et gratiosissime, agat fidelis Portusnaonis civitas? Non valuerunt tandem fidelissime communitatis preces nec ipsius tergestini capitanei rationes. Noluit sine exercitu quem ductaverat intrare. Intravit enim nullo fere obstaculo, et licet obstanti populo promiserit nemini nocere, nocte tamen sequenti ipsorum domos ipse exercitus depopulavit, et omni cum crudelitate depopulatus est. Postero die huiusmodi crudelitates illi displicuerunt, penituitque eum talis facinoris, ac pauca quedam spoliatis restitui fecit, et facto salvoconducto ac fide prestita ut omnes salvi et securi habitare possent, abiit ipse dominus capitaneus et Alemannie partes petiit. Paucos post dies famuli quos in castro reliquerat nulla recepta iniuria, quedam in civitate invaserunt octo balistis, cumque bino telo acriter sauciarunt, ex quo in civitate magnus fuit rumor et conquestus. Communitas quantum poterat hec omnia sedabat et conciliabat. Artes autem et suggestiones emulorum qui dieque noctuque ruine illius civitatis invigilant, nunquam cessabant. Eorum

hortationibus ipsi famuli quemdam rusticum in Curianaonis ceperunt et eum vinctum in civitatem sonante tibicina traxerunt. Communitas sentiens quod eum famuli ad torturam posuerant, erga eos conquesta est, quod suis iuribus et privilegiis contrafaciat, nam torquere, inquirere et sententiare ad communitatem ex privilegio et diutina consuetudine spectat. Postea vero aliquibus diebus elapsis, ipsi famuli armata manu iverunt ad dictam villam Curienaonis, ibique multa usurparunt ex domo dicti rustici, vas unum vini arripuerunt: hi autem ..... saci, sentientes sibi bona sua hoc modo auferri, illis obviam facti sunt, et dum damnum huiusmodi recuperare vellent, inter eos rixa maxima enata est adeo quod ..... a famulis occisi fuerunt: ex rusticis autem quidam percussi. Communitas dicta responsa litterarum quas gloriosissime maiestati vestre direxerat expectabat: receperunt tandem gratiosissimas litteras serenissime auguste conthoralis cesaree maiestatis vestre, et ilico ipsa communitas tres cives et oratores delectos ad ipsam cesaream maiestatem vestram pleno cum mandato legavit. Famuli autem qui in castro erant dictorum oratorum recessum sentientes dieque noctuque concives populares incolas ac quoscumque et forenses stantes vel transeuntes telis et balistis plumbeis ac ferreis infestabant, multosque percutiebant, domos lapidibus destruebant et alia multa enormia agebant, ut cives et populum ad rixam provocarent. Communitas vero videns civitatem huiusmodi pro infestationibus fere omnibus destitutam, maxime quod sibi et universe civitati depopulationes, mulierum oppressiones et alia enormia minabantur, viros circiter viginti pro civitatis custodia assumpsit, ut nocte saltem civitas custodiretur. Et quoniam dictis magis ac magis ipsi famuli minabantur et oppressiones maximas faciebant, deliberavit communitas parietes aliquos ad omnium defensionem et civitatis tranquillitatem facere. Dum autem huiusmodi fierent parietes non sine eorum qui in castro erant consensu: ipsi nonnullos ex laboratoribus telis percusserunt, graviterque sauciarunt, ex quo quidam ex Portunaonensibus ut eos perterrifacerent, lapidem unum in eos explo-derunt. Supervenerunt viri Cernemen et dominus Georgius Zofolsperger, quorum medio res composita, sicque polliciti fuerant, et rem inclite casaree maiestati vestre ple . . . cum aliter quam sibi delatum fuerat veritatem invenerint. Portusnaonenses autem sentientes a fidedignis de Duino quod suggestione prefati Johannini de Turri et quorundam, magno cum exercitu ad civitatis depopulationem vene-

rit, consignatis clavibus civitatis prefatis Georgiis vestre cesaree maiestatis. Intravit itaque exercitus maximus et crudelis, nullo resistente depopulavit, auferens nedum res cunctas verum ipsas . . . . Venit denique dominus capitaneus Portusnaonensis, ut ecclesiis in plebanos aliosque clericos et religiosos viros violentas manus iniiciens, et nullius iuribus auditis, eos indefensos, inauditos, absentes et non citatos, et iudex a Portunaonis et toto imperialis maiestatis vestre territorio, eorum distraxit bona atque dilapidavit. Quare gratiosissime maiestati vestre pro parte devotissimorum Portusnaonensium iniuste et contra omnem charitatem oppressorum, humiliter supplicant ut eadem maiestas dignetur ipsorum civium iura servare, pariter largiflua gratia misereri . . . . . et omnes sui servitores, verum h . . . . fideles providere posset, ut cernetur procul dubio predictum . . . . . insculptum inveniret. Speramus autem gloriosissime cesar, iustissimam atque piissimam maiestatem vestram perpetue ipsius recordari, suisque iniustis oppressionibus misereri, eorumque iura audire: vel saltim viros iustos et equitatis, taliterque huic eorum desolutioni providere, quod ipsi cives cum desolata civitate, magniflua vestre cesaree maiestatis in pristinum deducatur. Quibus procul dubio nihil maius gratiosius impartiri posset, cum ipsi fideles servuli amplius pati non valeant.

## CCLXVI.

(1466, 31 martii, Romae.)

**Quatuor cardinales in documento nominati concedunt viritim centum dies indulgentiarum iis qui ecclesiam s. Marci Portusnaonis, statutis diebus visitaverint, vel in eius emolumentum aliquid tribuerint.**

Angelus titulo sancte Crucis in Jerusalem, Richardus titulo sancti Eusebii, Bernardus titulo sancte Sabine, Bartholomeus titulo sancti Clementis, miseratione divina sancte Romane ecclesie presbiteri cardinales, universis Christifidelibus presentes nostras litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Splendor eterne glorie qui sua mundum ineffabili illuminat claritate pia vota fidelium de ipsius clementissima maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur ut parrochialis ecclesia sancti Marci evangeliste in Portenono concordiensis diocesis congruis frequentetur

honoribus, fidelesque ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ibidem celestis dono gratie noverint uberius se fore refectos et a Christi fidelibus iugiter veneretur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vere confessis et contritis, qui nativitatis et resurrectionis Domini nostri Jesu Christi nec non corporis Christi, ac dedicationis et patroni ipsius ecclesie festivitatum diebus, ipsam devote visitaverint, et ad reparacionem ac conservationem edificiorum, calicum, librorum et aliorum ornamentorum pro divino cultu inibi necessariorum de bonis sibi a Deo collatis pie et caritative quotiescunque manus porrexerint adiutrices, nos cardinales prefati et quilibet nostrum pro qualibet ipsarum festivitatum celebritate et oblatione huiusmodi centum dies indulgentiarum de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus et quilibet nostrum relaxat, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis: n quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum, presentes nostras litteras exinde fieri, nostrorumque cardinalatuum sigillorum iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Rome, sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, pridie kal. aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providentia pape secundi, anno secundo.

Documento authent. membranaceo apud municipium portusnaonense haerent quatuor serici rubri funiculi quibus sigilla annectebantur.

## CCLXVII.

(1466, 17 iulii, Portusnaonis.)

**Portusnaonenses conveniunt unanimiter de impediendo accessu civium ad castrum Portusnaonis, et de stipendiariis conducendis ad custodiam civitatis.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, indictione decimaquarta, die Jovis, decimo septimo iulii, in Portusnaonis super logia communis. Congregatis ibidem ser Egidio de Lauttis vicepotestate, ser Johanne de Valle massario communis, ser Francisco de Gregoriis, ser Jacobo Frascolini, ser Petro barberio, magistro Christoforo de Rorary,

magistro Nicolino de la Tenda, his de consilio ac universo populo terre Portusnaonis, providere volentibus ne dicta terra Portusnaonis totaliter deseratur et oppidum dictum, (ex incolis diete terre aliquis discedebat); similiter et providere pretendentibus quod aliqui viri discordie seminatorès, reportantes vicecapitaneo et aliis in castro existentibus, que per communitatem in dicta terra committebantur ad honorem et statum bonum cesaree maiestatis, domini nostri gratiosissimi, et dicte terre; determinatum fuit per supradictos dominos consules et totum populum, nemine discrepante, quod per dictam terram fiat alta voce unum publicum proclama, quod aliqua persona, sive masculus sive femina cuiuscumque conditionis existat, de cetero non audeat seu presumat, nec ire debeat in castro seu ad castrum dicte terre, absque licentia dicte communitatis. Et si aliquis persona ire voluerit seu ibit ad dictum castrum sine licentia, ut supra, et fuerit interfecta, occisor nullum inveniat bannum, et de bonis occisi lucretur libras viginti quinque. Item determinatum fuit quod sbarrentur ruge seu vie tendentes ad dictum castrum, salvis duabus commodioribus eundi ad dictum castrum, ad quod opus deputaverunt magistrum Christophorum de Rorarvo, magistrum Hermannum Venden et magistrum Antonium de la Mota.

Item determinaverunt quod ad regimen stipendiariorum conductorum pro custodia dicte terre et totius universitatis, gubernatores sint et esse debeant proclamati juris consultus dominus Antonius de Monteregali, ser Franciscus de Quechis et ser Franciscus de la Vinant.

Item determinaverunt quod omnes et singuli cives et incole terre Portusnaonis solvere debeant et teneantur ratum sibi et unicuique impositum pro satisfaciendo dictis stipendiariis, et si aliquis solvere recusabit, quod sibi imponatur pena de solvendo, que sibi accipiatur, et tantum solvere teneatur.

Item quod illi qui extra terram se cum rebus et personis reduxerint, cum suis personis hinc ad diem dominicam proxime venturam reddere debeant habitatum in dicta terra, alioquin quod suis expensis et loco eorum reperiantur persone ydonee et sufficientes ad custodiam dicte terre, et ratam aliorum stipendiariorum sibi impositam solvere teneantur.

Habet exemplum P. M.

## CCLXVIII.

(1466, 26 novembris, Portusnaonis.)

**Capitaneus Portusnaonis, attentis precibus Venetorum, instantem Rolandinum de Richeriis a se bannitum, de exilio in terram Portusnaonis acceptat quod personaliter non fuerit contra castrum, sed tantum persuaserit novitatibus contra castrum et portellum.**

M° CCCC° sexagesimo sexto, indictione XIIII, die vero XXVI mensis novembris, actum in Portunaonis in stupa versus molendinum superiorem, presentibus nobilibus viris ser Petro de Mantecis, ser Francisco de Zopola, ser Daniele a Fonte et ser Benvenuto de Richeriis civibus et habitatoribus terre Portusnaonis, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis. Cum sit quod nonnulli de mandato sacre cesaree maiestatis, generosissimi domini nostri imperatoris, banniti fuerint per magnificum et strenuum militem dominum Fredericum de Castrobarcho alias de Lodrono, dignissimum capitaneum Portusnaonis, inter quos nobilis vir ser Rolandinus de Richeriis bannitus et in exilio dicte terre Portusnaonis appositus fuit una cum illis qui fuerunt in novitatibus contra castrum Portusnaonis, cum armis et ceteris instrumentis hoc modo presenti, et ad instanciam et requisitionem dicti ser Rolandini per illustrissimum ducale dominium Venetorum supplicatum fuerit: eapropter prefatus magnificus dominus capitaneus, attentis precibus illustrissimi ducalis dominii porrectis ad instantiam prenominati Rolandini, habita superinde diligenti informatione a nonnullis personis, quod personaliter non fuit contra castrum, sed tantum ser Franciscus eius filius insimul cum aliis, nihilominus invenitur fefelisse in aliquibus, videlicet persuadendo ac consulendo in dictis novitatibus contra castrum et contra portellum [1]), et accessisse pro oratore cum aliquibus aliis ad sacram cesaream maiestatem, de mandato illorum qui asserebant tunc temporis se esse communitatem contra mandatum eiusdem sacre imperialis maiestatis et honorem ipsius domini ....., eundem ser Rolandinum de gratia speciali de exilio traxit et in terram Portusnaonis acceptavit, qui tute et libere possit stare, morari, habitare, ire, redire ad eius

---

[1]) V. Docum. CXXXIX.

beneplacitum, vivendo tamen honeste et de cetero in factis communitatis terre Portusnaonis se non impedire. Condemnat tamen ipsum ser Rolandinum presentem pro excessibus commissis in dictis novitatibus contra castrum Portusnaonis, prout dictum est, in ducatis ducentis auri, applicandis stipendiariis qui in terra Portusnaonis steterant pro tutela et defensione terre et castri predicti.

*Ex protocollis ser Jacobi Frasculini* habet exemplum P. M.

## CCLXIX.

(1467, 11 novembris, Novae civitatis.)

Cum ius patronatus cappellae s. Crucis in ecclesia s. Marci Portusnaonis, quo gaudebant Franciscus, Antonius et Christophorus de Richeriis, recens, *culpis suis exigentibus*, a Portunaonis banniti, *ad fiscum nostrum evolutum sit*, Fridericus imperator Jacobum de Richeriis clericum concordiensem ad eamdem cappellam Antonio episcopo concordiensi praesentat, *ut eum de eadem vellit instituere*.

Documentum latinum protulit Silinus: *Raccolta di privilegj Ricchieri*, p. 43 — 44; versionem italam Ernestus Birk in *Urkunden-Auszüge*, p. 130.

## CCLXX.

(1468.)

**Elenchi rebellium et proditorum qui castrum Portusnaonis hostibus tradendum susceperant, idem exemplar quod coram in civitate legentium commodo appensum, ut ex glutinis vestigiis apparet.**

Infrascripti sunt banniti sacratissime cesaree maiestatis gratiosissimi domini nostri imperatoris pro novitatibus factis contra castrum Portusnaonis, ut rebelles et traditores.

Et primo Nicolaus de Monteregali et fratres videlicet Daniel et Johannes.

Franciscus de Quechis.

Christoforus de Richeriis.

Nicolaus de Popaytis.

Franciscus filius f. Orlandini.

Johannes de Valle.

Bartolomeus de Valle.

Jacobus de Valle.

Richerius de Valle.

Gabriel de Scalteriello. — Bartolo eius famulus.

Daniel de Lauttis.

Franciscus Fant de Richeriis.

Andreas f. Guielmini.

Franciscus f. Johannis Danielis.

Petrus barbitonsor et filii, videlicet Dominicus, Franciscus et Jacobus.

Egidius de Lauttis. — Franciscus eius filius.

Johannes Necchar.

Franciscus de Rurais.

Nicolaus Raphettus.

Petrus filius Romanelli.

Johannes Antonius de Lauttis.

Raynaldus barbitonsor.

Franciscus de la Vinant.

Antonius magistri Benedicti.

Jacobus de Tulmecio.

Anzulerius sartor.

Johannes Franciscus marangonus.

Bartolomeus aurifex de Sacilo.

Antonius de Richeriis.

Franciscus Lupus. — Lancilottus eius frater. — Christoforus molendinarius, eius socer Rizzo.

Johannes Fortebratii. — Antonius Fortebratii. — Johannes Furlanus eius nepos.

Andreas Sclavonus. — Bartolomeus Sclavonus.

Jacominus de Paseano superiori.

Martinus de Teçio.

Laurentius molendinarius de Flumisino.

Franciscus et Paulus barbitonsores de Portubuffeleto.

Dignutus
Fantinus
Luchinus
Antonius
} Torsi de Curianaonis.

Locus sigilli — (Porta aperta).

Documentum cartac. apud P. M.

## CCLXXI.

(1468, 24 septembris, Utini.)

**Foriiulii locumtenens, super querelis capitanei Portusnaonis, mandat castellanis, communitatibus et jusdicentibus foroiuliensibus ut cogant exules Portusnaonis apud eos degentes ac subditos proprios, restitutioni in integrum rerum in Portunaonis ablatarum, ac refectioni damnorum.**

Nos Angelus Gradonicus pro illustrissimo et excellentissimo ducali Venetiarum dominio patrie Foriiulii locumtenens generalis universis et singulis nobilibus et sapientibus viris castellanis egregiis, communitatibus et ceteris iusdicentibus patrie, nec non potestatibus et decanis ceterisque officialibus villarum ubilibet constitutis, tenore presentium significamus fuisse molestissimum illustrissime dominationi nostre insultum et direptionem his diebus factam in terra Portusnaonis, ob singularem amicitiam et benevolentiam quam habet cum serenissimo domino imperatore, cuius est ipsa terra. Et quoniam exules eius qui fuerunt autores huius facinoris cum aliquibus ex nostris, ut dicitur, reperiantur in terris et locis patrie, subditis dominio nostro, tenentes et occupantes res et bona predicta cum magno incommodo et iactura civium Portusnaonis damnificatorum, ut supra, illustrissima dominatio nostra, audito gravamine speciali domini capitanei Portusnaonis, oratoris imperatorie maiestatis, mandavit nobis per efficacissimas literas, ut provideamus quanto citius fieri poterit recuperationi et refectioni rerum et damnorum antedictorum. Propterea exequentes mandata ducalia, vobis omnibus et cuilibet vestrum expresse et efficaciter mandamus ut, visis presentibus, artare et cogere debeatis tam exules antedictos quam subditos nostros, qui de rebus et bonis predictis quomodolibet habuissent, ut illa quamprimum restituant nunciis domini capitanei et communitatis Portusnaonis predicti, ad vos venientibus cum caballario et presentibus literis nostris, faciendo inventarium ordinatum de qualitate et quantitate rerum, a quibus recuperantur, et quibus resignantur, ut intelligi possit quid repertum est et quantum deficiat, admonendo omnes ut faciant integram restitutionem, quoniam intentio illustrissime dominationis nostre penitus est ut pro rebus retentis vel dissipatis reficiant de propriis bonis suis. Et nos subito habita informatione a vobis de illis qui se

in illa direpotione inmiscuerunt, faciatis executionem contra bona eorum pro supplemento rerum deficientium, et de his, quoties executi fueritis, per crebras literas vestras nos faciatis continuo certiores, ut in hoc negotio quod est vehementer cordi nostro dominio, respectibus antedictis, possitis apud nos merito commendari. In quorum fidem ec. Date Utini, die XXIIII septembris, 1468.

Joannes cancellarius mandato scripsit.

Carta auth. penes P. M.

## CCLXXII.

(1469, 22 ianuarii, Pensaurii.)

**Fridericus imperator Antonium et Franciscum fratres de Richerlis de Portunaonis comites palatii constituit, additis privilegiis de tabellionibus publicis ordinandis ac spuriis legitimandis.**

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hungarie, Dalmatie, Croatie ec. rex, Austrie, Stirie, Carinthie et Carniole dux, dominus Marchie sclavonice et Portusnaonis, comes in Habspurg, Tyrolis, Ferretis et in Kiburg, margravius et landegravius Alsatie, nobili civi Antonio et Francisco fratribus de Richeriis de Portunaonis, et successoribus. — — — — — — — — —

Et eum potissime dignum honoribus et donis imperialibus arbitramur quem virtutum ipsius merita clarum reddunt; hac itaque consideratione, imperiali largitate benignius inclinati, non per errorem aut improviso, sed animo deliberato, sanoque principum, baronum et procerum nostrorum sacri imperii fidelium accedente consilio, de certa nostra scientia et imperiali plenitudine fidelissimum fore, et pro honore et statu dicti imperii indefessis studiis laborare, et quem fidei et devotionis constantia et alia virtuosa opera gratum reddunt, volentes illis gratiis insignire quibus valeas aliis te reddere gratiosum, nostrum comitem fore declaramus et de novo constituimus et facimus, et honoribus et dignitatibus imperialium comitum palatii supradicti communimus et gaudere decernimus, ut eo omnia libere exercere et illis uti possis, que requirat supradicta comitatus dignitas, tibique authoritate nostra imperiali committimus, et authoritatem et potestatem concedimus per presentes, quod possis per totum romanum imperium iudices ordinarios, tabelliones, et notarios publicos constituere, ordinare, facere et creare .... spurios, notos, incestuosos

et manseres [1]) sive adulterinos et etiam ex quocumque damnato coitu natos possis legitimos constituere et legitimare, ac ad omnia legitima restituere, et omnem geniture maculam abolere; ut cum legitimi et de legitimo matrimonio nati in bonis paternis et maternis propriis feudalibus acquisitis et acquirendis ex testamento et ab intestato succedant, absque tamen legitimorum filiorum et heredum prejudicio, sed simul cum ipsis paribus portionibus agnatorum et cognatorum parentum suorum in quovis gradu constitutorum agnati et cognati efficiant, et reciproce ipsis et ad omnes actus publicos et civiles dignitates, officia et honores, si se casus ingesserit . . . . . Nulli ergo omnino hominum liceat has nostras concessiones et gratias infringere quoquo modo, aut eis ausu temerario contraire; si quis autem contra tenorem presentis indulti quidquid attemptare presumpserit, indignationem nostram imperialem et penam decem marcarum auri optimi componendarum se noverit incursurum. In cuius rei testimonium presentes litteras seu privilegium et indultum scribi mandavimus, et imperialis maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum Pensaurii, die 22 ianuarii, anno 1469.

Ad mandatum domini imperatoris proprium.

Documentum extat apud P. M. Ex alemannico itale vertit Coridamus Silinus in *Raccolta di privilegj dei Conti Ricchieri.* — Udine, 1676, 4°. p. 46—48.

## CCLXXIII.

(1469, 16 martii, Judenburgi.)

**Fridericus imperator litteris patentibus declarat facultatem dedisse Friderico de Castrobarco capitaneo Portusnaonis vendendi pro valore quingentorum aureorum partem domuum et possessionum, quae propter excessus et rebellionem nonnullorum civium Portusnaonis, fisco addictae sunt.**

Fridericus, divina favente clementia, Romanorum imperator semper augustus, Hungarie, Dalmatie, Croacie ec. ac Austrie, Sytrie, Karinthie et Carniole dux ec. Tenore presencium recognoscimus et notum facimus universis quod cum fideli nostro Friderico de Castrobarco alias de Lodrono, camerario et capitaneo nostro Portusnaonis

[1]) *Manser* et *manzer*, graecae originis, idem ac spurius, nothus, é scorto natus. „Non ingredietur *manzer*, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Dei.“ Deuter. 23, 2.

commiserimus et dederimus facultatem quod ex domibus, possessionibus, decimis, mansis et aliis bonis, que propter excessus et rebellionem nonnullorum civium Portusnaonis ad nos devoluta et confiscata sunt, et per eundem capitaneum nostrum nomine nostro possidentur, pro valore quingentorum aureorum, vendere valeat iuxta tenorem litterarum de supra confectarum, quas nostras venditiones per prefatum capitaneum, huius nostre commissionis vigore, factas aut fiendas, et quecumque earum occasione inde sequuta fuerint, ratas et gratas habere, et ipsos emptores in huiusmodi bonis emptis contra quoscumque in iuditio, et extra iuditium manutenere, defensare et tueri volumus, dolo et fraude semotis quibuscumque. Harum testimonio litterarum, sigillo nostro munitarum, datarum Judenburge, die sedecima mensis martii, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, imperii nostri decimo octavo, regnorum nostrorum, romani vicesimo nono, Hungarie ec. vero undecimo.

Documentum membr. penes P. M.

## CCLXXIV.

(1469, 14 octobris, in castro oppidi Portusnaonis.)

**Episcopus brixinensis concedit quadraginta dies indulgentiae iis qui poenitentes et confessi visitaverint altare corporis Christi in ecclesia s. Marci Portusnaonis.**

Jacob Spaur Dei et apostolice sedis gratia episcopus brixinensis, universis et singulis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, visuris et lecturis pariter et audituris salutem et sinceram in domino caritatem. Splendor paterne glorie qui sua mundum ineffabili illuminat claritate pia vota fidelium de ipsius clementissima maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur ut altare corporis Christi situm in parochiali ecclesia sancti Marci oppidi Portusnaonis, concordiensis diecesis, in quo ob singularem devotionis affectum dilectus nobis in Christo Nicolaus de Tura oppidanus dicti oppidi argenteum tabernaculum pro sacratissimo Christi corpore conservacione, nec non unam missam singulis diebus Jovis annuatim decantandam de bonis sibi a Deo collatis, ut accepimus, instituit, congruis frequentetur honoribus, et ut Christi fideles eo libencius devocionis causa confluant ad id, quo ex hoc ibidem

dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, nec non supplicationibus prefati nobis in Christo dilecti Nicolai de Tura, id a nobis humiliter petentis et impetrantis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictum altare in singulis diebus Jovis devote visitaverint annuatim, ac misse et versiculorum: *Ecce panis angelorum* ec. decantationi et benedictioni astiterint et devote interfuerint, quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis penitenciis misericorditer in Domino relaxamus presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentibus nostris litteris nostrique sigilli robore quo ad presens utimur iussimus et fecimus appensione communiri. Datum in imperiali castro oppidi Portusnaonis sub anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, indictione secunda, die vero sabbati quartadecima mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providentia pape secundi anno sexto.

Stephanus Nunkilch cancellarius de mandato scripsit.

Docum. membranac. auth. cum sigillo cereo appenso, apud municip. portusnaonense.

## CCLXXV.

(1475, 15 februarii, Portusnaonis.)

**Portusnaonenses spondent solvere annuatim viginti quinque libras solidorum parvorum Johannino quond. Petri de Seravallo, quod revelaverit tractatum Marosticae a rebellibus initum, de Portusnaonis clam aggrediendo.**

Nos Franciscus de Zopola potestas, consilium et comune terre Portusnaonis, ser Petrus de Manthicis ac Johannes Baptista de Villalta, massarii communis, ex deliberatione infrascriptorum dominorum de consilio, videlicet domini Antonii de Popayto, ser Jacobi a Fonte, ser Bondioli de Manthicis, ser Danielis a Fonte, ser Johannis de Crescendulis, ser Symonis de Popayto, ser Hieronymi de Gregoriis, ser Gregorii de Prata, magistri Dominici Ravone, ser Johannis Richerii et Johannis Petri a Porta. Notum et manifestum facimus omnibus et singulis has presentes litteras inspecturis qualiter ob servitium et beneficium perceptum his proximis diebus a ser Johannino quondam

Petri de Seravallo nunc habitante in Bassano, videlicet propter revelationem tractatus facti in Marostega et in valle Mareni ad requisitionem exiticiorum et rebellium sacratissime cesaree maiestatis gratiosissimi domini nostri, et presertim Jacobi quondam Johannis Danielis et ser Nicolai tabernarii de Portunaonis instigati spiritu diabolico cum Vicentinis et aliis sociis cum copia gentium scalandi et depredandi terram Portusnaonis, in maximum damnum et dedecus eiusdem imperatorie maiestatis ac magnifici domini capitanei et communitatis terre predicte, civesque et habitatores . . . . . prout de predictis publica vox et fama est, ut constat attestatum super in facto; nos et successores nostri solemni stipulatione promittimus eidem ser Johannino ad vitam suam tantum singulis annis dare et solvere ac exbursare in Portunaonis libras viginti quinque solidorum parvorum, singula prima dominica in quadragesima ex pecuniis communitatis, cum onere bonorum dicte communitatis presentium et futurorum. In quorum fidem et testimonium presentes fieri, nostreque communitatis sigillo iussimus roborari. Datum in Portunaonis die XV februarii, **1475**.

Jacobus Frascolinus cunctorum mandato scripsit.

Documentum cart. apud P. M.

## CCLXXVI.

(1477, 24 martii, Portusnaonis.)

Processus de iure patronatus *in facto capelle s. Quirini in agro Portusnaonis.* Sixtus papa IV., instante Friderico Romanorum imperatore, mandat Sigismundo [1]) episcopo labacensi et suffraganeo patriarche aquileiensis, ut inquirat in causam sibi presentatam a Petro episcopo tirasonensi contra Jacobum de Soro ordinis ierosolimitani, *de et super iure patronatus ad preceptoriam sancti Quirini eiusdem ordinis, concordiensis diecesis.* Sigismundus, *presentibus Hermachora de Harland decano et Johanne Glueck de Stain prebendato et vicario ecclesie labacensis, presbiteris, testibus,* definit ducem Austrie *fuisse et esse verum patronum et in possessione seu quasi iuris patronatus presentandi priorem ad prioratum cappelle s. Johannis in villa S. Quirini, vacatione illius pro tempore occurrente.*

Ex tabulario caesareo vindobonensi (Cod. m. n. 25 Austr. Fol. 150—153) dedit Joseph Chmel in *Monum. Habsburg.* sect. pr., vol. I, p. 366 — 375.

---

[1]) Sigismundus de Lamberg, primus Labaci episcopus.

## CCXXVII.

(1477, 28 aprilis, Portusnaonis.)

**Episcopus Concordiae instituit vicarium ecclesiae s. Marci Portusnaonis Nicolaum de Venetiis, loco Petri Edi resignantis.**

Antonius Feletus Dei et apostolice sedis gratia episcopus concordiensis, dux, comes et marchio, dilecto nobis in Christo presbytero Nicolao de Veneciis salutem in Domino sempiternam. Morum et vite honestas aliaque probitatis et virtutum merita, quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque vacare ad presens contigerit beneficium vicariatus ecclesie parochialis sancti Marci de Portunaonis diocesis nostre concordiensis per liberam resignationem ven. presbyteri Petri Edi de dicto loco, volentes premissorum meritorum tuorum tibi gratiam facere specialem, prefatum vicariatum ita ut premittitur vacantem, cum complacentia totius consilii dicti loci, auctoritate ordinaria, cum omnibus suis iuribus et pertinentiis tibi conferimus, et de illo tibi providemus, curam et regimen animarum et ecclesie predicte quantum tua intererit committendo; mandantes tibi deinceps de universis fructibus, proventibus et obventionibus tibi spectantibus tam de iure quam de consuetudine integre responderi per quos de iure spectat, nec non per quencumque elegeris sacerdotem et executorem huius collationis nostre te in corporalem possessionem dicti vicariatus et iurium eius induci. Quapropter iurasti in manibus fidelitatem et obbedientiam in forma iuris consueta. In quorum testimonio presentes fieri iussimus et nostri sigilli impressione muniri. Datum in Portunaonis, M.CCCCLXXVII die XXVIII aprilis, in pleno consilio dicti loci.

Ex membrana authent. apud P. M.

## CCXXVIII.

(1477, 4 iulii, Venetiis.)

**Collegium duodecim sapientum super dacils, Venetiis mandat Forilulii locumtenenti nemini det potestatem Alemanniam petendi vel ex Alemannia Portumnaonis et Tergestum, mercaturae exercendae gratia, excepto ferro.**

Spectabiles et generosi. Noi ve significhemo haver preso in questo collegio l'ordene infrascripto, et quale a questo perche

altre volte fo deliberado per questo collegio adi 31 agosto, 1475 che algun citadino over subdito nostro non potesse andar in Alemagna, ne in alguna parte de quella, ne de Alemagna in zoso zoe a *Porto* ne a Trieste, ne altro luogo a comprar, ne vender alguna merchadantia ad algun Todescho soto le pene contenute in dicto capitulo. Et perche in quello fo exceptua cavalli, arme et grassa, et etiam el ferro sia per piu respetti da esser exceptua. Damo sia preso chel ditto ferro sia exceptuado al predicto ordene. el qual se possa condur come era consueto far avanti el predicto ordene preso. Quare per auctorita del predicto collegio nostro, ve dicemo et dichiarimo ch el predicto ordene observar et far observar per tutta la jurisdiction vostra, dagando noticia a tutti rectori et altri governatori di luochi ve piacera esser necessario, et che ve sara richiesto, registrar facendo ne li atti vostri ad futuram memoriam. Collegium duodecim sapientum super datiis, substitutum loco consilii rogatorum. Datum Veneciis, die 4 iulii, 1477.

A tergo: Magnificis et generosis dominis Jacobo Mauroceno locumtenenti patrie Foriiulii, et successoribus suis.

Recepta VI iulii, 1477.

Hic est infissa bulla sancti Marci.

Que quidem littere eo die (6) proclamate fuerunt Utini in locis solitis.

Ab exemplo cart. apud P. M.

## CCLXXIX.

(1478.)

**Lapis impositus sepulchro Friderici liberi baronis de Castrobarco in ecclesia s. Marci Portusnaonis, prope altare in coena Domini hodiedum e loco divulsus ac deperditus.**

HIC JACET FEDERIC LIBER BARO DE CASTRO
Barco Ces. Maiest. Consiliarius Qui Dum Prestans Animo Viri Et
Ord. Clarus Eques Naonis Pretura Optime Functus Obdormivit
In Domino An. Sal. MCCCCLXXVIII.

Exemplum Ernesti Mottensis servat Petrus Montereale.

## CCLXXX.

(1478, 11 iulii, Venetiis.)

**Dux Venetiarum rogat communitatem Portusnaonis ut Andream Dalmatam e Venetiis, furti causa, Portumnaonis confugentem comprehendat et ad restitutionem adigat.**

Joannes Mocenigo Dei gratia dux Venetiarum ec. Spectabilibus et prudentibus viris Federico de Arco capitaneo, potestati, consilio et communi Portusnaonis, amicis dilectis salutem et sincere dilectionis affectum. Accidit hisce diebus in hac nostra civitate facinus indignum. Quidam Dalmata Andreas nuncupatus, homo scelestissimus et pronus ad omne facinus, non dubitavit ingredi domum magistri Galcerandi, physici peritissimi, surripuitque ei circiter ducatos sexcentos auri, et, quantum ex ipso magistro Galcerando accepimus, istuc profugit sperans tuto versari. Ipse autem magister Galcerandus ad nos confugit, opem et auxilium implorans nostrum. Quocirca moti damno civis nostri et gravitate facinoris, has nostras vobis scribendas duximus, rogantes vos maiorem in modum, per mutuam benevolentiam nostram, ut prefatum scelerosum hominem, de quo vobis notitiam dabit lator presentium, nuncius predicti magistri Galcerandi, istuc se conferens hac de causa, comprehendi faciatis, cogendo eum ad restituendum cum integritate ipsi nuntio furtum commissum. Quod profecto nobis erit gratissimum et acceptissimum. Date in nostro ducali palatio, die XI iulii, indict. XI. MCCCCLXXVIII.

Membrana authent. cum sigillo plumbeo appenso apud P. M.

## CCLXXXI.

(1478, 26 maii, Graecii.)

**Fridericus imperator capitaneo Portusnaonis committit ut Petrum Mantica a noxiis molendino Juliani portusnaonensis illatis impediat, ne census inde castro Portusnaonis solvendus deficiat.**

Fridreich von Gots Gnaden Römischer Kaiser zu allen Zeiten Merer des Reichs ec. Getrewer. Unns hat unnser getrewer Zulian unnser Burger zu Porttnaw anbringen lassen wie Im unnser getrewer Piro Mantiga auch unnser Burger an ainer Müll so zu unserm Gesloss

daselbs zu Porttnaw Zinsper ist Irrung tü des er sich beswert beduncket. Emphelchen wir dir ernstlich unnd wellen das du bey dem benanten Piro darob seyst und bestellest das er dem obbenannten Zulian an der beruerten Müll khainerley Irrung thü, da mit uns unnser Urbarzins dar durch nitt entzogen werde. Vermainet aber derselb Mantiga da zw jetzt Gerechtikait ze haben, Sy mit Recht darumb entschaidest unnd demselben Mantiga nitt gestattest das er im an Recht ainigerlay Irrung daran tü, sonnder in dabey Handt habst. Daran tuest du uns guett Gevallen unnd unnser ernnstlich Mainung. Geben zw Gretz, an Frytag nach sant Urbanstag, anno Domini ec. LXXVIII, unsers Kaysertumbs im sieben unnd zwaintzigisten Jar.

Commissio domini imperatoris propria.
p. Castorburch.

## CCLXXXII.

(1478. 16 iunii, Graecii.)

Fridericus imperator mandat Friderico Dürer, capitaneo Portusnaonis ut *die Confinia und Pimerk unsrer Herschaft zu Porttenaw deiner Verwesung gen den von Zopola hannthabest und halltest*, et servet documenta super confiniis iisdem, *damit die nicht in frömbd Hennd komen.*

Protulit Chmel in *Actenstücke und Briefe zur Geschichte des Hauses Habsburg im Zeitalter Maximilian's I.* Wien, 1855, tom. II. p. 935.

## CCLXXXIII.

(1478, mense iulio, Graecii.)

Fridericus imperator mandat Friderico Dürer capitaneo Portusnaonis inquirat in Portusnaonenses qui Danielem Ventinum et Franciscum Rorarium *mit sammt deinem Anwalt gefanngen, und in Willen haben ... uns denselben Process bei irer Pottschafft die Sy darumb heraus zu uns sennden wellen ze schikhen;* mandat insuper *daz du dieselben gefanngen zu deinen Hannden nemest und die untz auf verrer Geschefft und Beuelhen bewarleich haltest.*

Edidit Jos. Chmel in *Monumenta Habsburgica*, Wien, 1853, tom. II, p. 945.

## CCLXXXIV.

(1478, 11 septembris, Utini.)

**Forilulli locumtenens, ubi capitaneum Portusnaonis certiorem fecit se inquisiturum in reos mortis et vulnerum quibusdam Curianaonensibus illatorum, urget observationem capitulorum ab Austriae et Venetiarum ducibus per legatos confirmatorum, super confinibus inter Curianaonenses et Zopolenses.**

Magnifice et generose tanquam frater carissime. Intellecto casu et morte cuiusdam vestri subditi de villa de Cordenons et vulneribus quibusdam aliis illatis cum non parva molestia et displicentia, quam primum potuimus per occupationes nostras transmisimus vicarium nostrum ad locum ubi homicidium et excessus fuerint perpatrati, ut, habita vera et debita notitia, rerum processus formari possit et ad condemnationem legitimam in delinquentes maturare possimus, et ne vereatur magnificentia vestra quod nichil quoad rem pretermittemus. A re ipsa cognoscit vestra magnificentia huiusmodi excessus et temerarios ausus nobis multum displicuisse, videlicet quod nobilis vir ser Simon de Zopola comparens coram nobis indoluit quod subditi vestri de Cordenons non cessant excedere et preterire terminos confinium discriminatorum ex sententia iam lata per judices et oratores imperatorie maiestatis ex una, et per serenissimum ducem de Veneciis ex alia, autenticata et comprobata per sacram imperatoriam maiestatem et prelibatum ducem, de secando fenum et sectum auferendo cum non modica iactura et damno nobilium nostrorum de Zopola. Et quantum nobis retulit spectabilis vicarius noster, prata ipsa seu communia, ubi dicti vestri subditi secuerunt fenum, et ut asserit sicare intendunt, continentur intra confines et terminos per dictam sententiam assignatos ipsis nobilibus de Zopola, ut per capitula facta et celebrata et solemniter comprobata per imperatoriam maiestatem evidenter apparet. Et licet argui possit per subditos vestros quod dicta capitula per prefatum serenissimum ducem fuerint suspensa per non veram expositionem oratorum vestrorum, nichilominus cognita postmodum veritate, prefatus serenissimus dominus dux eam suspensionem ipsam revocavit, declarando et mandando quod sententia ipsa et capitula tam solemniter celebrata et confirmata per imperatoriam maiestatem et ducale dominium nostrum, observari debeant ad litteram et

executioni mandari, non obstante dicta suspensione pro non vera expositione commissa. Quarum copiam litterarum ducalium, ad notitiam et informationem maiestatis vestre his litteris interclusam transmittimus, rogantes maiestatem vestram ut modum et finem imponat litibus, rixis et controversie, ne amplius scandala sequantur, neque dicti vestri subditi terminum confinium suorum excedant, admittatque dictos nobiles de Zopola cum subditis suis in pacifica possessione rerum suarum, ut in dicta sententia et capitulis liquide et evidenter apparet de confinibus et terminis utrique parti assignatis, a quibus sententia et capitulis neutri partium licet recedere, et ad evitanda scandala que possunt emergere. Rogamus itaque magnificenciam vestram quod prohibere et artare vellitis dictos vestros subditos, ut ipsos nobiles de Zopola et subditos suos non molestent, sed promittant pacifice secare et possidere communia et territoria sua sine ulla molestia. Date Utini, die XI mensis septembris, 1478.

Filippus Tronus patrie Foriiulii locumtenens.

A tergo: Magnifico et generoso domino Federico benemerito capitaneo terre Portusnaonis vel eius vicecapitaneo ac gastaldioni.

Ex carta authent. apud P. M.

## CCLXXXV.

(1479, 2 ianuarii, Portusnaonis.)

**Andreas [1]) archiepiscopus crainensis orator caesareus Fridericum clericum quod, Francisco de Murariis vicario ecclesiae s. Marci de Portunaonis incusante, super columna plateae depinxerit manum trahentem ficum in dedecus caesareae maiestatis, privat cappella ss. Sebastiani et Luciae in eadem ecclesia, ac sontem carceri et ammissioni bonorum condemnat.**

In Christi nomine amen, anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, indictione XII, die vero secundo ianuarii, in Portunaonis, in ecclesia sancti Marci, presentibus domino p. Dominico de Masis plebano Montisregalis, p. Johanne bononiensi, ser Francisco de Richeriis cive portusnaonensi et ser Mattheo Donato de Venetiis, testibus et aliis. Nos Andreas Dei et apostolice sedis gratia, archiepiscopus craynensis, nec non orator sacratissime cesaree

[1]) Andreas Zuccomaketrii, imperatoris a secretis. V. *Burckardt Jac.*, Erzbischof Andreas von Krain. Basel, 1852, 8.

maiestatis generosissimi domini nostri, visis, auditis et intellectis accusationibus factis per dominum presbiterum Franciscum de Murariis, vicarium in ecclesia sancti Marci de Portunaonis, contra et adversus Fridericum clericum, filium magistri Johannis muratoris eius nepotem, et responsione ipsius Friderici et testium contra ipsum productorum, nec non quibusdam aliis inquisitionibus contra ipsum Fridericum formatis de et super quod fuit socius in complexu in apponendo certam altanam ser Francisci Roray super columna plathee cum uno brevi et manu depicta trahente ficum in dedecus cesaree maiestatis, dicimus, sententiamus, iuxta auctoritatem nobis attributam ab ipsa cesarea maiestate procedendi, sententiandi, contradicendi et puniendi quoscumque delinquentes, et per hanc nostram sententiam privamus et privatum esse volumus occasione premissorum prefatum Fridericum presentem et audientem a cappella sive altari sub vocabulo ss. Sebastiani et Lucie fundata in dicta ecclesia s. Marci, in hunc modum, videlicet quod predicta cappella sive altare de cetero sit et stet dispositioni et ordinationi cum suis redditibus et proventibus sacratissime cesaree maiestatis, cui volumus et sententiamus quod sit et habeatur pro devoluta sue imperatorie maiestati, condemnando ipsum Fridericum ad carcerem, cum privatione omnium bonorum suorum applicandorum curie imperiali. De quibus omnibus et singulis ego Jacobus notarius requisitus fui ab ipso reverend. domino archiepis copo autenticas conficere scripturas.

Ab exempl° cart. apud P. M.

## CCLXXXVI.

(1480, 5 iunii, Portusnaonis.)

**Capitaneus Portusnaonis. dissidiis componendis inter Rovoretum et Curiamnaonis super usu aquae ex flumine Celinae, sententiam dicit lapides in angulo cortinae ecclesiae Sancti Quirini ubi dicta aqua dividitur, sic affigendos ut duae partes aquae ad villam Rovoreti, tertia ad Curiaenaonis defluat.**

In Christi nomine amen, anno ab eiusdem nativitate millesimo quadringentesimo octuagesimo, indictione quarta decima, die Martis, quinto mensis iunii, in oppido Portusnaonis, presentibus ser Jacobo de Brenzonariis de Verona et ser Marcho quondam Boneli de Venetiis, his habitantibus in Portunaonis, cum Mathia precone curiensi

testibus vocatis et rogatis ad infrascripta, ibique magnificus ac generosus dominus Federicus Durer pro serenissimo et invictissimo principe ac domino domino Federico, divina favente clementia, Romanorum imperatore semper augusto, ac illustrissimo duce Austrie et terre Portusnaonis suique districtus dignissimus capitaneus, auditis nuntiis communis ville Rovoreti [1]) comitatus Purliliarum, conquerentibus quod homines ville Curienaonis, contra antiquissimam consuetudinem, sibi usurpant aquam que a villa Sancti Quirini discurrere debet ad villam Rovoreti, in detrimento maximo hominum Rovoreti, cum due partes dicte aque servire debeant ville Rovoreti, et tertia pars ville Curienaonis immediate, dum a villa Sancti Advocati aqua ipsa labitur ad villam Sancti Quirini, ubi se ad cortinam ecclesie Sancti Quirini aqua predicta dividi debet in tribus partibus, quarum due ad villam Rovoreti discurrere debent, et tertia pars ad villam Curienaonis. Petentes igitur dicti nuntii communis Rovoreti sibi de opportuno iuris remedio provideri, auditis ex adverso nuntiis ville Curienaonis, non negantibus quod due partes dicte aque discurrere debeant ad ipsam villam Rovoreti, sed dicentibus ignorare an due partes aque ipsius discurrant ad villam Rovoreti vel non, habita demum informatione ab hominibus Sancti Quirini quod due partes aque predicte antiquitus ad villam Rovoreti discurrere consueverunt et de iure discurrere debent, et quia culpa et dolo quorundam de villa Curienaonis, vix terna pars dicte aque in presenti tempore ad Rovoretum labitur; omnibus tandem auditis et intellectis, et consideratis merito considerandis, et maxime ad evitandum damna que de facili oriri possent cum dicta aqua ex flumine Celine et consequenter ex alieno agro ducatur, et ut res in suo esse et antiquo statu, prout equum et iustum est, remaneant, ne inter partes scandalum sequatur, Christi nomine invocato sententiavit et definitive determinavit prefatus magnificus dominus capitaneus quod sic et tali modo lapides in angulo cortine ecclesie Sancti Quirini, ubi dicta aqua dividitur, debeant affigi, quod due partes illius discurrant ad villam Rovoreti, et tertia pars ad Curienaonis, sine dolo et fraude, et insuper quod rivulus

---

[1]) Etsi primitus *Roboreto* tam *Purliliarum*, quam *Fluminis* et *Curtae Curiaenaonis*, a roboribus (quercus genere), quibus regio fere tota portusnaonensis, ut hodiedum quoque, sed rarius affluebat, inditum sit nomen, tamen in documentis legere est *Roborctum*, *Ravoretum*, *Rovoretum*.

aque deserviens columellis Sclavonsii, Romanesii, et Cervelli superioris dicte ville Curienaonis adeo et tali modo stringatur cum lapidibus affigendis ubi dictus rivulus trahitur ex dictis duabus partibus aque predicte discurrentibus ad Rovoretum, que due partes ipsius aque descendentis a villa Sancti Advocati sine dolo et fraude et absque diminutione discurrant ad supradictam villam Rovoreti, et sic inviolabiliter et perpetuo observari debere sub pena ducatorum viginti quinque capitaneo Portusnaonis pro tempore existenti applicanda, totiens quotiens per aliquem fuerit contrafactum.

Ego Franciscus de Domeneginis veronensis, publica imperiali ac apostolica autoritate notarius, iudexque ordinarius nec non magnifici domini capitanei Portusnaonis cancellarius suprascriptam sententiam ex instrumento autentico, notato manu quondam domini Francisci Rorarii, quondam domini Christophori de Portunaonis notarii pub. imperialis, rogatus de verbo ad verbum nihil addens vel minuens quod sensum mutet aut intellectum variet, fideliter ut inveni exscripsi. In quorum fidem signum nomenque nostri tabellionatus apposui.

Habet exemplum membranac. P. M.

## CCLXXXVII.

(1480, 23 decembris, Venetiis.)

**Dux Venetiarum Portusnaonenses amice hortatur ut, clementiae a se cum illis ante aliquot menses adhibitae memores, restituant foenum et ligna armata manu ex commugnalibus zimpelensibus ablata, ac ab huiusmodi damnis inferendis in posterum abstineant.**

Joannes Mocenigo Dei gratia dux Venetiarum ec. spectabilibus et prudentibus viris Federico de Arco capitaneo, potestati, consilio et communi Portusnaonis salutem et sincere dilectionis affectum. Movit vehementer animum nostrum querela ad nos delata per fideles nostros ville Zimpel, districtus Mothe, quam etiam littere potestatis nostri loci eiusdem planius confirmant, istos videlicet Portusnaonenses vestros, oblitos clementie quam superioribus mensibus in eos exercuimus, cum eorum animalia per dictos de Zimpel, non iniuria accepta, propterea quod damnum in locis communium sive commugnibus nuncupatis intulissent, restituta iri debere mandavimus sine ulla prorsus impensa, quod causam haberent amice et pacifice vicinandi ec., nuperime armata manu intrasse in loca commugnalia et prata

dictorum fidelium nostrorum sic testantibus sententiis pro ipsis Zimpelensibus antehac latis et in . . . . . iure mediante non potuerunt, vi et armis fenum in pratis ipsis et ligna desecuisse et exportasse, quod factum quantum sit tolerandum considerate. Nos vero qui cognoscimus ista ab scitu et mente vestra non procedere, scribenda et significanda vobis censuimus per amicitiam perque reverentiam quam cesaree maiestati habemus, rogantes ut tandem modum huic negotio imponatis talem, quod ipsis nostris fidelibus Zimpelensibus fenum ablatum, sive precium, et ligna cum integritate et sine inpensa omnino restituatur ab illis Pordunensibus, quodque deinceps abstineant ab iniuriis et molestiis et damnis huiusmodi et a turbatione iuste possessionis, nam si secus factum fuerit, cogeremur providere indemnitati et iniurie dictorum nostrorum fidelium subditorum. Datum in nostro ducali palatio, die XXIII decembris, indictione XIIII^a^, M° CCCCLXXX.

A tergo: Spectabilibus et prudentibus viris Friderico de Arco capitaneo, potestati, consilio et communi Portusnaonis.

Membrana authent. apud P. M.

## CCLXXXVIII.

(1481, 18 iulii.)

**Cum duo fures ad supplicium ducti ecclesiam s. Francisci Portusnaonis ingrederentur, ex eaque violenter per quosdam Portusnaonenses, contra libertatem ecclesiae, extraherentur, episcopus Concordiae declarat violatam ecclesiam ob percussionem cuiusdam fratris, poenis in extrahentes decretis.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem M° CCCC° LXXXI°, indictione XIIII, die 18 iulii. Cum reverendissimo in Christo patri et domino d. A. Feleto Dei gratia episcopo concordiensi relatum fuisset per fratres minores beati Francisci de Portunaonis quod heri dum duo fures ducerentur ad locum iustitie ex arce Portusnaonis, quum fuerunt prope ecclesiam sancti Francisci ipsi fures vincti in ecclesiam aufugerunt et per fratres loci in sacristiam deducti et inclusi fuerunt ut salvarentur, quidam cives Portusnaonis inter quos fuit ser Jacobus de la Fontana una cum quibusdam aliis principalioribus, violenter ingressi ecclesiam et perfracto hostio sacristie, pre-

fatos fures per vim eripuerunt et foras extraxerunt, et prefatus ser Jacobus malo spiritu ductus quendam fratrem Johannem Antonium volentem impedire et obstare ne dicti fures extraherentur pro conservatione libertatis ecclesie, pugnis percussit in ecclesia, et dictis furibus sic violenta manu extractis de ecclesia, eos deduxerunt ad locum suspendi. Quod facinus quantum ipsi rever. domino episcopo vehementer displicuit, cum sit factum in maximum opprobrium et detrimentum libertatis ecclesie, ad quam quicumque confugientes debent libertate perfrui et securi esse, preter a iure prohibitos, idcirco de premissis habita veritate, volens tam inhonesto facinori providere, ad infrascriptam sententiam et declarationem pervenit.

Nos Antonius Feletus Dei et apostolice sedis gratia episcopus concordiensis, ne prefatum facinus et crimen transeat impunitum, sententiamus et pronunciamus et declaramus predictam ecclesiam sancti Francisci ex dicta violenta fractura et predictorum hominum extractione, invitis fratribus, fuisse et esse violatam, et consequenter reconciliandam expensis principaliorum et magis culpabilium extrahentium predictos fures; qui vero fuerunt principaliores et magis culpabiles declarandi, spectabili communitati remittimus. Item sententiamus et declaramus per dictos principaliores et magis culpabiles ut supra declarandos, solvere et dare debere singulis annis usque ad quinquennium ecclesie predicte sancti Francisci frumenti staria duo ad mensuram Portusnaonis, pro iniuria et offensa libertatis eius. Item predictos condemnamus ad solvendum et dandum uxoribus et filiis predictorum suspensorum usque ad annos quinque, singulis annis, staria quatuor frumenti ad dictam mensuram, videlicet duo staria pro qualibet ipsarum, pro interesse ipsarum uxorum et filiorum, nec non pro eorum sustentatione. Item sententiamus et declaramus dictum ser Jacobum de la Fontana incurrisse excommunicationem ob percussionem factam dicto fratri Johanni Antonio in ecclesia ut supra. Et si ipsa spectabilis communitas non curaverit declarare principaliores et magis culpabiles ut supra, quod ipsa communitas teneatur et debeat solvere et satisfacere dictas mensuras frumenti tam ecclesie quam dictis viduis et pupillis. Et ita dicimus et pronuntiamus et sententiamus. Laus Deo.

Lata, lecta suprascripta sententia M°. et indictione et die suprascriptis, in presentia ser Jacobi de la Fontana assentientis et confirmantis se errasse: presentibus vero presbitero Francisco de Murariis,

Petro de Forrana clerico concordiensi, ser Venceslao gastaldione Concordie testibus et aliis.

Ego Guielmus Laurentius, imperiali auctoritate notarius et prefati reverend. domini episcopi auctoritate, premisse sententie presens affui et de mandato eiusdem fideliter scripsi, et ex actis meis hic de verbo ad verbum exemplavi, et in fidem cum sigillo et nomine meis solitis scripsi.

A tergo: Sententia episcopi contra communitatem in causa saccomani suspensa.

Ab exemplo cart. penes P. M.

## CCLXXXIX.

(1482.)

Memoria Salome Raunach uxoris Friderici Dürer capitane Portusnaonis, in ecclesia s. Marci Portusnaonis sepultae, cuius honori monumentum in eadem ecclesia erectum est.

Elegidion et epigramma latine Quinti Aemiliani Cimbriaci eidem sepulchro inscripta edita ab Angelo Gabriele de sancta Maria in *Biblioteca degli scrittori vicentini*, III, p. LXXII.

## CCXC.

(1482, 9 iunii, Vindobonae.)

**Fridericus imperator mandat communitati Portusnaonis ut cuilibet per huius sententiam interlocutoriam seu definitivam aggravato, tam in civilibus quam criminalibus causis, liceat libere ad se appellare.**

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Ungarie, Dalmacie, Croacie ec. rex, ac Austrie, Styrie, Carinthie et Carniole dux, comesque Tirolis ec. Honestis, prudentibus, fidelibus nostris, dilectis capitaneo, potestati, judicibus, consulibus et communi civitatis nostre Portusnaonis, presentibus et futuris gratiam cesaream et omne bonum. Relatum est nobis nonnunquam contingere ut partes coram vobis in iudicio, sive extraiudicialiter contendentes, posteaquam se per sententias definitivas sive interlocutorias enormiter gravatas censuerint, ab eisdem ad nos et audientiam nostram nunquam appellare, supplicare aut provocare valeant, quod nobis alienum videtur. Cum exinde nostre, ut domini naturalis Portusnaonis, pre-

minentie et superioritati non modicum derogetur; quapropter vobis et cuilibet vestrum seriose precipiendo mandamus quatenus nostri nomine ordinare, intendere et providere debeatis ut deinceps futuris temporibus unicuique cuiuscumque condicionis existat, servatis processu et ordine iuris hactenus apud vos observari consuetis, per alicuius vestrum sententiam interlocutoriam sive difinitivam enormiter aggravato tam in civilibus quam criminalibus causis, ad nos et heredes nostros Austrie duces et dominos Portusnaonis libere appellare, supplicare, seu provocare liceat, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Secus non facturi qui admodum indignationem nostram gravissimam cupitis evitare. Datum Vienne, die nona mensis iunii, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, imperii nostri tricesimo primo, regnorum nostrorum romani quadragesimo tercio, Ungarie ec. vero vigesimo quarto.

Commissio domini imperatoris in consilio.

## CCXCI.

(1482, 21 iunii, Vindobonae.)

**Fridericus imperator mandat capitaneo Portusnaonis ut Juliano carpentario, se appellanti contra sententiam definitivam in lite cum Petro Mantica et haeredibus de quodam molendino, stet ius libere eodem fruendi.**

Federicus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Ungarie, Dalmatie ec. rex, ac Austrie, Stirie, Carinthie et Carniole dux ec., fideli nostro Friderico Durer, capitaneo nostro in Portunaonis et Ortenburg gratiam cesaream et omne bonum. Exponi nobis fecit fidelis noster Julianus carpentarius, civis noster in Portunaonis, te in causa dissensionis vertentis inter eum ex una et heredes quondam Petri de Manticis, partibus ex altera, occasione elevationis, decursus et ductus aquarum et aliarum pertinentiarum molendini situati apud pontem Seche in suburbanis Portusnaonis predicti quandam sententiam diffinitivam tulisse, a qua ipse ad nostram audientiam appellavit. Qua in re cum nos eiusdem cause merita intellexissemus, sane comperimus dictam sententiam magis nostrum quam partium predictarum interesse respicere, attento quod Julianus prefatus dictum molendinum mandato et consensu nostro extruxit, nosque illud sibi

fruendum et in pertinentiis suis utendum concessimus, de quo ipse et sui heredes nobis quatuordecim sextaria frumenti et mixture annue solvere teneantur. Ob quod tibi nuper aput nos agenti mandavimus ut dictus Julianus et sui heredes supradicto molendino in elevatione, diminutione et ductu aquarum ac aliarum pertinentiarum suarum libere uti et frui, et illo pro sui commoditate gaudere valeant, dictorum de Manticis ac aliorum quorumcumque impedimentis omnino semotis, in ea re secus non facturus, quemadmodum indignationem nostram gravissimam evitare desideras. Datum Vienne, die 21 mensis iunii, anno Domini ec. 82, imperii nostri 31, regnorum romani 43, Hungarie ec. vero 24. Commissio domini imperatoris in consilio.

Ex carta authentica apud P. M.

## CCXCII.

(1483.)

**Portusnaonenses Francisco Richerio ad caesarem oratori [1]) mittunt exemplum epistolae imperatori offerendae, qua supplices petunt mandatum revocet de exititiis a Portunaonis eliciendis.**

Domino ser Francesco, ve mando questa menuta azo siati informato e ve rezati segondo meglio ve parera, perche e sta scritto alla imperial maesta una de tal tenor, quale messer el capitanio hassi offerto far sara presentata: siche solicitati de saper che frutto fara ditta letera; et per salute de questa terra e de suditi affadigativi a questo sopra ognaltra cossa, perche mai el signor nostro fara gratia piu singular de questa a tutto questo territorio.

Credimus imperatoriam maiestatem vestram, serenissime cesar, et domine noster generosissime, plenius intellexisse quam sapienter reverendissimus quondam episcopus forliviensis legatus apostolicus et cesaree maiestatis vestre orator [2]) negotia et miserias portusnaonensis civitatis intelligere voluerit, et quam mature pacem, concordiam et unionem composuerit inter confratres nostros cives exititios et nos omnes, adeo ut vere ipsa iam tot annis infelix civitas ex tenebris ad lucem, ex luctu in risum quasi ictu oculi commutata sit. Quid Deo gratius et quid imperiali maiestati vestre gloriosius, et quid nobis eius servulis utilius? Verum quia paucos post dies accepimus cesaream maiestatem vestram suis litteris

[1]) Socius in ea legatione datus fuit Jacobus de Prata.

[2]) Alexander II Numai.

mandasse ut ipsi iam tot annis exiticii ab ea civitate egrederentur, quod nobis omnibus et universo populo Portusnaonis, nec non et omnibus eiusdem loci districtualibus tristiciam maximam atque dolorem intulit, cum huiusmodi eorum confratrum nostrorum repentino et obbedienti exitu, et iterato exilio ipsa civitas in cecitatem pristinam et luctum redierit, proinde, gloriosissime cesar et domine gratiosissime, maiestati vestre humiliter supplicamus ut dignetur nobis omnibus suis servulis et sue infelici civitati misereri, et sua largiflua gratia nedum laudare verum etiam confirmare id omne quod a prefato quondam reverendissimo legato et oratore tam mature, tam pie, tam utiliter factum est. Hec omnia non minus nobis novit et intelligit magnificus et vere bonus atque sapiens dominus Federicus Durer gratissimus capitaneus noster, a quo etiam vestram imperialem maiestatem certiorem fieri speramus, nec non super differentiis confinium, que nobis circumquaque suscitantur, in quibus nisi gratia cesaree maiestatis vestre succurrerit, preter menia Portusnaonis parum quid restabit. Subiacentes nos semper pedibus eiusdem imperialis maiestatis vestre, quam felicem et faustam valere semper optamus. Eiusdem cesaree maiestatis vestre humiles et devotissimi servitores.

Gregorius de Prata, potestas
Consilium et commune et homines universitatis districtus } Portusnaonis.

A tergo: Nobili ser Francisco Richerio, tanquam fratri amantissimo et honor°.

## CCXCIII.

(1483, 24 ianuarii, Graecii.)

**Curtisnaonensibus censum habitaculi Villota appellati, cum suis pertinentiis dominio portusnaonensi solvere abnuentibus, quod vicini plura iis intulerint damna, Fridericus imperator praecipit Friderico Dürer [1]) capitaneo Portusnaonis et Ortenburg eum de ea re edoceat.**

Friderich von Gotts Gnaden, Römischer Kaiser ec.

Getrewer. Unns hat unnser getrawe Franciscus de Richeriis unnser Burger zu Porttenaw berichten lassen, wie unsere getrawe

---

[1]) Fridericus caesar die decimaquinta ianuarii eiusdem anni dat seu potius confirmat (V. num. CCLXXXIX) ex Graecio Friderico Dürer, suo administratori in Pemont capitaneatum oppidi et civitatis Portusnaonis. V. *Monumenta Habsburg.*, Wien, 1855, vol. II, p. 922.

unnsere Leut vnd Holden zu Cortenaw die Wonung genannt Villot mit Ir Zugehörung, so Sy von unsern wegen innhaben, vnd jerlich zehen Star Tred, zwaintzig Star Habern an unnsere Haubtmanschafft daselbst zu Portenaw deiner Verwesung nicht mehr raichen und geben, fremden Leuten Verker einlassen vnd unpeunlich halten, auch durch die Nachpawrn daselbs heymlich rasst verderbt, und in Abnemen bracht; dadurch unns unnsere Zinnsen davon nicht geraicht mochten werden, und unns darauf gebeten Im dieselb Wonnung zuverlassen, mit Erbietung die zu Veld und zu Haws pewnlich und wesenlich inntzuhaben, nichts daran entziehen zulassen. und unns uber die obberürten Zinnsen jerlich ain Merung an die berürtt unnsere Hawbmanschaft zuraichen. Emphellen wir dir ernstlich und wollen daz du dich der benannten Wonung halben, wie die gehalten und gepawt, und was unns von Zinnsen davon geraicht werde, aigentlich erkundest, und unns das vorgeschrieben so werden ächtest, damit wir das Wissen gewinnen, und verner darum das best und nütz ist, fürnemen und handeln mugen. Daran ist unsere ernstliche Maynung. Geben tzu Gretz an Sambstag unserer lieben Frawn Abennd Conversionis, anno Domini ec. LXXXIII, unsers Kaisertumbs in zweyunddreissigisten Jare.

Commissio domini imperatoris propria.

A tergo: Unserm getrewn Friderichen Dürer unnserm Haubtmann zu Porttenaw und zu Orttemburg.

Ex carta auth. penes P. M.

## CCXCIV.

(1483, 17 aprilis, Portusnaonis.)

**Vicecapitaneus et vicepotestas Portusnaonis Francisco Richerio oratori ad caesarem mittunt Joannem Petrum de la Porta, quem episcopus forliviensis pariter ad caesarem orator instruat num impositio a Friderico anno anteacto Portusnaonensibus facta solvenda sit, quo casu indicet Richerius qua via.**

Nobilis et fidelis orator noster. Per haver novamente receudo letere de la magnificentia del nostro capitanio, in le quale ne richiede debiamo mandar la colta de li denari imposta sto anno passado alla sacratissima cesarea maesta del nostro gratiosissimo signor. Et perche cognoscemo invece la necessitade del territorio, et de non se posser

prevaler de denari, se la illustrissima signoria e per mandar oratori de qui per le differentie nostre, essendo la signoria de monsignor cum grandi spexe. Mandemo ser Zanpiero de la Porta da voi con una letera de credenza, la quale se driza alla signoria de lo legato predicto, azo che quella ne habia cunsoyar sopra de zo, ne videamur inobbedientes gratiosissimo domino nostro, se debiamo retegnir li ditti denari per la caxon predicta. Insuper non essendo per dover vignir de qui, se degni darvi la via et lo modo debiamo mandar li ditti denari, azo noi non vignamo a preiudicar le rexon de li nostri privilegij, segondo che lo ditto ser Zanpiero ve. havera a dir a bocha habundantemente, a vostra information. Speremo noi lo farete expedir citissime azo possiamo proveder al bixogno. Bene valete. Ex Portunaonis, die 17 aprilis, 1483, cursim.

Ulricus de Doninbergo vicecapitaneus etc.
Johanes Richerius vicepotestas terre Portusnaonis.

A tergo: Nobili et egregio viro ser Francisco de Richeriis oratori nostro fideli.

Ex carta auth. apud P. M.

## CCXCV.

(1483, 8 septembris, Utini.)

**Locumtenens Forilulii vicecapitaneum Portusnaonis hortatur ut Portusnaonenses in confiniis inter eos et Zopolenses foena secantes, non autem iuxta pacta depositantes, ad restitutionem adigat.**

Domino Olvino de Cromono vicecapitaneo Portusnaonis. Quemadmodum vos latere non dubito, illustrissimum dominium meum pro occurrendis scandalis que facillime potuissent occurrere inter istos de Portunaonis subditos vestre maiestatis ex una et nobiles castellanos et subditos dicti illustrissimi dominii mei de Zopola ex altera, ex causa differentiarum inter utramque partem vertentium, ut ea pace ac quiete invicem viverent, qua et serenissimus cesar et prefatum illustrissimum dominium meum vixerunt semper, vivuntque Deo auctore, id presertim instante humaniter atque modeste reverendissimo olim in Christo presbytero domino episcopo forliviensi, oratore tunc imperatorio apud celsitudinem suam, ut constat ipsius litteris diei

24 aprilis proxime peracti, absque preiudicio iurium alicuius partium, acquievit quod donec ipsa controversia componeretur aut iure decideretur, liceat utrique parti secare fena in locis, quibus antea consueverunt, fena tamen penes aliquem seu aliquos sufficientes atque idoneos depositantes usque ad iuris cognitionem, quoniam sperabatur per adventum isthec prefati oratoris et oratoris antedicti illustrissimi dominii mei, rem omnino fore compositam aut decisam. At quoniam per mortem predicte cesaree maiestatis oratoris res ipsa nec componi nec decidi potuit, videtur per ea que ad nos delata sunt quod isti domini portusnaonenses non solum ad secationem eorum locorum de quibus verti controversia videbatur processerunt, nullo dato depositario, uti fecerunt predicti de Zopola, sed armata manu ac violenter ingressi sunt in ea loca, de quibus nulla unquam inter ipsas partes extitit differentia, fena secantes et vias asportantes, non solum cum damno dictorum Zopolensium, sed cum iniuria publica prelibati illustrissimi dominii mei, quibus videntur isthec non convenire benevolentie et bone vicinitati, que inter utrumque ex omni parte atque ex omni iure debet esse, accedente potissimum constanti magisque comprobata amicitia, que una est inter imperatoriam maiestatem et antedictum illustrissimum dominium meum, que quidem talis est ut nemini possit esse ignota vel obscura: verum enimvero licet hec omnia prefato illustrissimo dominio meo scribenda censerem, ut vel suis litteris, vel per legatum qui apud cesaream maiestatem est, vel aliter opportune provideret, tamen cognita prudentia, integritate atque bona et consueta iustitia vestra, has vestre spectabilitati primum dare decrevi ortans eandem, ut pro honore suo et pro iustitie debito libeat huiusmodi rei taliter providere quod omnes intelligant novitates eiusmodi vobis admodum displicere, id omnino factum esse non solum preter mentem cesaree maiestatis, sed preter stilum et voluntatem vestram. Cogite quoque dannatores atque facinorosos istos ad debitam secatorum fenorum restitutionem, ut causam habeant posthac abstinendi. Quod si fecerit dicta vestra spectabilitas, ut spero amplissimeque confido se facturam, id certo fuisse noverit quod equo pretori, iusto iudici et honori proprio convenit. Id est quod et amici officium et pacem ac quietem provincialem appetens dicam mihi quoque rem ultro gratissimam futuram fuisse, qui, sic testor, cunctis in rebus, que salva fide, salvo trono fieri poterunt, et ipsi vestre spectabilitati et omnibus cesaree maiestatis subditis gratificari ac morem gerere cupio. Quod autem

reliquum est, spectabilitatem vestram oro hiis nostris libeat respondere, ut quid vel spectandum, vel agendum fuerit rectissime consulere valeamus. Bene valete. Utini, 8 septembris, 1483.

Alexander Pacis, ordinarius cancellerie subscripsit et sigillavit.

Ex carta authent. apud P. M.

## CCXCVI.

(1483, 27 octobris, Portusnaonis.)

**Portusnaonenses cum oratoribus ad caesarem propriis conqueruntur de damnis sibi a Purliliensibus illatis, eoque magis quod isti eos apud Venetos graviter incusaverint.**

Fridericus divina favente clementia, Romanorum imperator semper augustus, Hungarie, Dalmacie, Croacie ec. rex ac Austrie, Stirie, Carinthie et Carniole dux ec. fideli nostro capitaneo Portusnaonis, Georgio Elacher gratiam cesaream et omne bonum. Cum nobis illic his diebus in Portunaonis consistentibus, ex subditis nostris et aliis negotiorum suorum gratia ad nos complures confluere et fortassis nonnulli ex bannitis seu dicto loco nostro relegatis comparere potuerunt, qua comparitione ne iuxta eorundem receptionem . . . . . hinc iterum nova exurgant dissidia et dicti loci nostri destructio, tibi seriose precipiendo mandamus, quatenus, meis visis presentibus, singulis civibus et habitatoribus dicti oppidi nostri, tum et villanis Curienaonis, Sancti Quirini, Villenove et aliorum locorum nostrorum, in tui presentiam vocatis, eis sub intimatione indignationis nostre

[1]) Itale *Codroipo*, novem a Portunaonis milliariis.

gravissima, vice et nomine nostri inhibeas ne prefatos exiticios in ipsum oppidum Portusnaonis aut eius districtus quoquomodo admittant, recipiant, faveant, aut quovis quesito colore per se aut internuntios suos intra aut extra dictum territorium nostrum cum eis communicent, ne garientur, aut alia quecumque cum eis aut quovis eorum commercia habeant, transgressores pena carceris aut bonorum suorum usque ad ulteriorem nostri dispensationem arestatione puniendo, quibus nec exemptiones, privilegia, libertates aut alia adminicula a nobis aut antecessoribus nostris quoquo modo largita et presertim illa de non respondendo coram capitaneo nostro in iure aut extra ius, aut coram eodem sine speciali licentia nostra comparendo adminiculari non volumus, imo harum vi illis expresse et de certa scientia nostra derogamus, in eo seriosam nostram voluntatem adimplere. Datum in Quadruvio, die XXVIIII mensis augusti, anno Domini ec. octogesimo nono, imperii nostri tricesimo octavo.

Commissio domini imperatoris in consilio.

Authent. cart. penes P. M.

## CCCXXII.

(1491, 12 augusti, Lincii.)

**Fridericus imperator nuntiat potestati et consilio Portusnaonis, eorum capitaneo mandasse ut, Samueli judaeo pecunia oblata pro certa frumenti quantitate, eos a molestiis liberet.**

Fridericus, divina favente elementia, Romanorum imperator semper augustus. Honorabiles, prudentes, fideles, dilecti. Intellectis litteris vestris quas in negotio Samuelis hebrei, qui pro frumento quodam tantopere vos molestat, nuper ad nos dedistis, quo expostulationi vestre opportunam opem feramus, scribimus fideli nostro, dilecto Georgio Elacher capitaneo nostro ut, exhibita Judeo oblata semel pecunia, et ceteras excludat petentis versutias, et imposito tandem eidem silentio, vos ab illa molestia, nostro nomine, levet, quod cum procul dubio effecturum eum non dubitamus, vos nihil hac gratia perturbari amplius opus fuerit. Datum in oppido nostro Lyuntz, die XII[a] mensis augusti, anno Domini MCCCCLXXXXI[o], imperii nostri quadragesimo.

Commissio domini imperatoris propria.

A tergo: Honorabilibus, prudentibus, fidelibus nostris, dilectis potestati, consilio et communi oppidi nostri Portusnaonis.

Docum. auth. cart. penes P. M.

## CCCXXIII.

(1490, 30 decembris, Portusnaonis.)

P. Lucas de Renaldis, vicecapitaneus Portusnaonis affidat *Johannem Thoscanum quond. Thebaldi de Pergamo*, habitantem Venetiis *in contrata s. Pauli*, in Portunaonis et eius districtu a persona sua libere, ita ut pro debito aliquo contracto ubicumque locorum, non possit nec debeat personaliter detineri, vigore statutorum, sed libere cum persona morari possit ad libitum in Portunaonis et eius districtu, absque ullo obstaculo, dummodo litterae caesareae in contrarium non extarent.

Edidit Angelus Calogerà in *Memorie intorno alla vita di M. Luca de Renaldis.* Venezia, 1753, p. 9—10.

## CCCXXIV.

(1491, 14 novembris, Brixinae.)

**Maximilianus Romanorum rex ducem Venetiarum rogat ut terminum pro dissidiis cum aliquibus ex Portusnaonensibus componendis ab eo impositum proroget, usquequo Portusnaonis capitaneus Fridericum imperatorem ea de re instruat.**

Augustino Barbadico Venetiarum duci ec. Maximilianus, divina favente clementia, Romanorum rex, dux Austrie, Burgundie ec. Illustris, sincere, nobis dilecte. Intelleximus ab honorabilibus et fidelibus nostris plurimum dilectis capitaneo et civibus oppidi nostri Portusnaonis, quod his diebus superioribus tu et consilium tuum rogatorum nuncupatum pro quibusdam inter ipsos et nonnullos subditos tuos sedandis discordiis accesserunt ad quandam, ut asseris, restitutionem ipsis subditis nostris faciendam, brevissimum terminum per te fuisse impositum. Cum autem eorum nemo sit neque ad ipsos spectet aliquid in derogationem illius oppidi seu iurisdictionem eiusdem facere preter consensum et voluntatem serenissimi domini genitoris nostri, te idcirco obnoxius hortamur ut prefatis capitaneo et civibus nostris saltem convenientem dilationem assignare velis, in qua ipse serenissimum dominum genitorem nostrum de huiusmodi re certiorem facere ac de ipsius mente et voluntate valeat informare, neque eos propterea molestare aut a subditis qui, ut intelleximus,

contra ipsos aliquas insidias moliti sunt, perturbari permittas. In hoc rem nobis facies gratissimam mutue pacis et tranquillitatis conservativam. Ex Brixina, die 14 mensis novembris, anno Domini 1491, regnorum nostrorum romani sexto, Hungarie vero primo.

Habet exemplum P. M.

## CCCXXV.

(1491, 10 decembris, Lincii.)

**Fridericus imperator, supplicationibus Princisvallii, Johannis et Antonii Mantica fratrum indulgens, qui ex sententia in eos de re testamentaria laesi ad caesarem appellaverant, mandat capitaneo, potestati et iudicibus Portusnaonis ut, non obstantibus municipali statuto et acta transactione, sententiam iterum dicant.**

Fridericus divina favente clementia, Romanorum imperator semper augustus, Hungarie, Dalmatie, Croatie ec. rex, Austrie, Stirie, Carinthie et Carniole dux ec. honorabilibus, prudentibus, fidelibus nostris, dilectis Georgio Elacher capitaneo nostro, potestati, iudicibus et consilio oppidi nostri Portusnaonis gratiam cesaream et omne bonum. Supplicari nobis fecerunt fideles cives nostri Princisvallius, Johannes et Antonius Mantiga fratres, quod ex sententia contra eos super legato quodam in favorem honeste Elisabet Francisci senioris eorum fratris filie alias lata lesos se maxime sentiant, tum et ob transactionem seu renuntiationem in paternis testamentis per ipsos factam deductum plurimum e iure sibi debito animadvertant, auferatur autem sibi lege quadam municipali et aliis quibusdam obiectis, quo solo indemnitati sue consulere possunt, appellationis remedium, nos pro solita nostra clementia de largiori iustitie flumine suo huic detrimento opitulari dignaremur. Quapropter eorum precibus attendentes, ne municipali aut alio impediti iure contra id quod equum est se se opprimi et presertim appellationi per ipsos interposite non deferri conqueri possint, vobis enixe mandamus ut, non obstante predicto municipali statuto, super dicta appellatione procedere, neque habito respectu ad prenominatam transactionem, quibus omnibus pro hac vice ex certa scientia nostra derogamus, et eosdem in integrum restituimus, sententialiter declarare ac definire debeatis. In eo seriosam voluntatem nostram adimplentes. Datum in oppido nostro Lyntz, die X mensis decembris, anno Domini MCCCC° LXXXXI, imperii nostri quadragesimo.

## CCCXXVI.

(1492, 4 ianuarii, Lincii.)

**Fridericus imperator coram Venetiarum duce conquestus de gravioribus a subditis Zopolae et Turris damnis Portusnaonensibus illatis, rogat ut in sontes inquirat, eius castra in agro tergestino a Venetis occupata restituat, ne vim vi repellere cogatur.**

Augustino Barbadico duci Venetiarum. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator ec. Illustris, sincere, dilecte. Certa relatione cognovimus pestiferos illos de Zopola suis et quorundam vicinorum subditis et presertim eorum quos de Turri vocant, viribus et manu fretos nuper oppido nostro Portusnaonis subito occultas tetendisse insidias, atque eo cum gentibus et complicibus suis devenisse, quod nisi capitaneus cum ipsis oppidanis nostris sollicitudine et vigilantia sua illorum retia previdissent in tempore, actum fuisset de ipso oppido nostro. Ipsi insuper de Turri sub quodam Jacobo de Turri vetulo eorum ductore, ne quid sceleri eorum deesset, nocte intempesta aggeres quosdam in finibus et territoriis nostris demolitos esse, villanis nostris illic in arboribus et segetibus non parum detrimenti inferentes, sed ne hec quidem ad explendum eorum livorem suffecisse, quin et te et illustre hoc dominium comovisse contra capitaneum et subditos nostros: fenum nuper in pratis territorii nostri demessum, pro quo fex illa zopolensis, tanquam ad se pertineat, inquirere non cessat ad manus locumtenentis Foriiulii assignetur et eius iudicio, an subditis nostris an illis zopolensibus pertineat stetur: alioquin presens dominium nostrum Portusnaonis post lapsos XV dies sub banno, quod tempore ducis Foscari emissum, subiici debere, tum et ferri et quarundam aliarum rerum commertio interdictos esse. Non fuit profecto post tot beneficia et clementiam nostram tibi et dominio ipsi tuo, et quidem eo tempore quo solo verbo venenum exiciale malum edibus tuis committere facultas fuisset, pro ipsius firmamento et usu perpetuo, et cum non parvo nostri nominis et facultatum detrimento, puro et paterno affectu exhibitam, illi fame aures credulas prebere, quousque sublata prorsus omni falsi nuncii occasione, oculis ipsis quod gestum est subiiceretur. Quanquam autem ad edicti et cominationis tue nimis imature exemplum, itidem et quidem gravius, te non admonito, in tuos decernere possemus, solite tamen clementie nostre non imme-

mores, te his scriptis nostris admonendos censuimus. Quare te hortamur quatenus edictum sive banni tui cominationem tollas et commertium omne, et presertim ferri, quod e nostris montibus effossum nostra benignitate tibi conceditur non ammittas: presertim vero prelibate iniurie et damni fabricatores, qui ex suggestione in nostros forte excandescere potuisti, ita penis et correctionibus castiges, ut in effectu videamus tibi clementiam et paternam pietatem nostram plus cordi esse, quam illorum in privatos usus suos cum nostrorum iactura respectus, et tandem aliquando pro verbis quibus nos alere consuevisti facta demonstres. Quo facto nostra parte non deerimus quin illico contentioni finem prescribamus et ita nos exhibeamus quo nulli cuivis violentie aut iniurie lamentandi occasionem prebeamus. Ceterum quantum patienti animo castrorum nostrorum in agro tergestino positorum, videlicet Mucha et Castrinovi detentionem in manibus dominii sustinuimus, ipse novisti quam cùm his moribus amplius ferre non possumus, sed eorum ad manus nostras assignationem cum fructibus perceptis postulamus. Quod nisi feceris ex nunc modum habemus et ordinem dedimus in primis subditos nostros Portusnaonis ab illorum furore liberare, tum et reliqua iura nostra tueri, et ita rem nostram instituere ut plane edoceri possis si pluris et magis usui tibi sit horum defendisse iniquitatem, et bona nobis iusto iure debita contra mentem nostram occupasse, quantum que nostra sunt restituisse et grata vicissitudine beneficiis nostris respondisse. Ex Lincia, 1492, die 4 ianuarii.

Exemplum extat apud P. M.

## CCCXXVII.

(1492, 5 ianuarii, Lincii).

**Fridericus imperator mandat capitaneo Hollenegker ut quae scripta reperta sunt apud Bartholomaeum de Valle, ideo captivum quod Portumnaonis Hungaris tradere tentaverit, sibi illico mittat [1]).**

Friderich von Gots Gnaden Romischer Kaiser ec. Getrewer, lieber. Als sich weilent Bartolme de Valle so du vengklich gehallten unsere Stat Portnaw der Hungrischen uberzugeben understanden, seien wir ungezweivelt, du habst allerlay Schrifft, so er in solher Verreterey bedurfft hab, bey Im gefunden, emphellen wir dir ernstlich und wellen daz du solh Schrifft, was du der bey Im gefunden hast, keine

[1]) V. num. CCCVII, CCCXV.

ausgenommen, verslossen zu unsern Hannden zuschikhest, und darinnen nicht sewmig seist, damit wir die sehen und künftigen Unrat furan destbar Widerstand tun mugen. Daran tust du unser ernstlich Maynung. Geben zu Lynntz, an Eritag nach dem newen Jarstag, anno Domini ec. LXXXXII, unsers Kaisertumbs im vierzigisten Jare.

Commissio domini imperatoris in consilio.

A tergo: Unserm getrewn lieben Haubtman Hollenegker.

Docum. cart. authent. penes P. M.

## CCCXXVIII.

(1492, 26 februarii, Lincii.)

**Fridericus imperator mandat capitaneo Portusnaonis ut, communicatis cum subditis consiliis, compositionem cum vicinis de Zopola et Turri, ab istius castri hominibus sponte oblatam, ineat ac nuncium qui de eo referat ad se mittat.**

Fridericus imperator ec. Fidelis, dilecte. Intelleximus relacione fidelis nostri Francisci Roray civis nostri Portusnaonis, quemadmodum vicini illi tui de Zopola, qui iamdiu propter confinia quedam isti oppido nostro tantopere molesti sunt: tum et quidam de Turri qui novas cum istis nostris civibus lites suscitarunt, bono quodam spiritu ducti composiciones et concordiam totius dissensionis inire ultro se obtulerint, quod quidem cum nobis pro usu et commodo loci nostri opere precium futurum videatur, relacioni eiusmodi grato animo intendentes, tibi enixe committimus mandamusque ut, perscrutata in primis eorundem voluntate, si promptos eos paratos invenias ad imponendum molestiis illis modum, tu pro parte tua, communicato et nostrorum civium et colonorum consilio, qui presertim in ipsis finibus nostris edocti abunde sint, pro tua prudentia et solita ingenii dexteritate, concordiam cum predictis ineas, redactaque in scriptis omnia ad nos per nuncium tuum, etiam de rebus omnibus instructum transmittere quamprimum cures, ut nos diligenter singulis pensiculatis, si et equitati et honori nostro congruere videbuntur, decretum et auctoritatem nostram interponamus. Quod sane eo facturi sumus libentius quo oppidum istud nostrum ex aliquando absolvi sollicitudine magnopere exoptamus. Et tu in eo nostram seriosam voluntatem

adimplebis. Datum in oppido nostro Lyntz, die 26 mensis februarii, 1492, imperii nostri quadragesimo.

Commissio domini imperatoris propria.

A tergo: Fideli nostro, dilecto Georgio Elacher capitaneo nostro in Portunaonis.

Exemplum habet P .M.

## CCCXXIX.

(1492, 4 maii, Venetiis.)

**Dux Venetiarum mittit Portusnaonensibus suum a secretis, cui in ab eo relatis fidem amplissimam praestent.**

Augustinus Barbadicus, Dei gratia, dux Venetiarum ec. Spectabilibus et prudentibus viris Georgio Elacher capitaneo, consilio et communi Portusnaonis, amicis dilectis salutem et sincerum dilectionis affectum. Mittimus ad spectabilitates vestras circumspectum et fidelissimum secretarium nostrum Joannem Petrum Stellam, cui commisimus ut nonnulla spectabilitatibus vestris nostro nomine referat. Eius itaque verbis que ex mente nostra proveniunt placeat fidem amplissimam prestare, non secus ac si nosmetipsi verba coram faceremus. Datum in nostro ducali palatio, die 4 maii, indictione X. MCCCCLXXXXII.

A tergo: Spectabilibus et prudentibus viris domino Georgio Elacher capitaneo, consilio et communi Portusnaonis, amicis dilectis.

Extat exemplum apud P. M.

## CCCXXX.

(1492, 8 maii, Portusnaonis.)

**Instrumentum publicum quo capitaneus et consilium Portusnaonis Fioravantum de Venetiis, parricidam et assassinum, ab iis detectum et careeratum dare promittunt Johanni Petro Stella secretario ducali Venetiarum, ad id ducis iussu deputato.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem Domini nativitatis M° CCCC° nonagesimo secundo, indictione decima, die Martis, octavo mensis maii. Actum in Portunaonis, in domo egregii viri ser Georgii de Francischinis de Glemona civis portusnaonensis, presentibus ser Alexandro de Calcinato quond. domini Antonii de Pergamo, ser Mauro

armigero, quondam domini Bartholomei de Parona et ser Johanne Antonio Karbo de Portunaonis aromatario, ambobus his habitatoribus Portusnaonis, testibus vocatis et rogatis, ibique magnificus et generosus dominus Johannes Petrus Stella, secretarius illustrissimi ducalis dominii Veneciarum ad infrascripta, ut idem magnificus dominus secretarius asseruit, specialiter missus de commissione prelibati ducalis dominii Veneciarum, prout in litteris ducalibus plumbeo sigillo sancti Marci, more solito pendente, tenoris infrascripti: *Augustinus Barbadico* [1]). Constitutus idem magnificus dominus secretarius in loco suprascripto, presentibus testibus ut supra, coram predicto domino Georgio Elacher capitaneo, ser Hieronymo de Gregoriis potestate, domino Princisvalle Mantega, ser Johanne de Crescendulis, ser Gregorio de Prata et ser Georgio de Francischinis civibus et de consilio Portusnaonis, et magna instantia petiit et requisivit ab ipsis domino capitaneo, potestate et aliis de consilio, ut sibi traderent et assignarent quendam Ludovicum Fioravantum de Veneciis, parricidam et assassinum, per predictum dominum capitaneum vel consilium detectum et carceratum hac premissa protestatione, quod talis consignatio intelligatur facta sine aliquo preiudicio et damno iurium sacre cesaree maiestatis et territorii Portusnaonis, offerens se nomine prelibati illustrissimi ducalis dominii, quod quandocunque eveniret casus similis assassinatus, quod prelibatum dominium versa vice idem faceret et consignaret ipsi domino capitaneo et consilio et successoribus suis. Et ita intellecta oblatione suprascripta cum protestatione ut supra, prefatus dominus capitaneus, potestas et alii de consilio ibi presentes promiserunt dare et consignare ipsi domino secretario, nomine quo supra, predictum parricidam et assassinum per ipsos detentum, cum protestatione suprascripta. Mandantes mihi notario infrascripto ambo partes ut de his conficiam publicum instrumentum ad plenum cum omnibus clausulis ad huiusmodi genus instrumentorum opportunis et necessariis.

Ego Federicus Cavertinus de Porziliis quondam egregii ser Francisci publicus imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui et ea rogatus fideliter scripsi, meisque solito signo ac nomine roboravi.

Documenti exemplum habet P. M.

---

1) V. num. CCCXXIX.

## CCCXXXI.

(1492, 18 maii, Venetiis.)

**Dux Venetiarum mandat locumtenenti Foriiulii ut, attentis dispositionibus capitanei Portusnaonis, illos de Zopola verbis accommodatis hortetur ad compositionem super finium controversia cum Portusnaonensibus ineundam.**

Augustinus Barbadico, Dei gratia, dux Venetiarum, nobili et sapienti viro Hieronimo Vendramino de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii fideli, dilecto salutem et dilectionis affectum. Cum magnificus capitaneus Portusnaonis (ut ex relatione nuntiorum suorum intelleximus) dispositus sit aptare differentiam existentem cum illis de Zopola, ob controversiam confinium inter subditos cesaree maiestatis et nostros vigentem, cupiens tamen dominium nostrum, ut res illa similiter componatur, has ad vos dandas censuimus, volentes et vobis efficaciter imperantes ut, habitis ad vos illis fidelibus nostris de Zopola, dulcibus et accomodatis verbis hortari, et solita dexteritate et ingenii vestri commoditate suadere debeatis ad compositionem ipsam ineundam, tam pro ipsorum commodo et utilitate, quam ambarum partium pacifico victu et convicinorum contentamento, nostraque satisfactione, quia rem gratam nobis facient cupientibus differentie suprascripte, que utrique parti detrimentosa est, finem imponi. Et de exequutione ac dictorum fidelium nostrorum dispositione nos facite certiores. Datum in nostro ducali palatio, die 18 maii, indictione X, 1492.

Extat exemplum apud P. M.

## CCCXXXII.

(1492, 10 iulii, Portusnaonis.)

**Compositio publico instrumento sancita inter capitaneum Portusnaonis et Jacobum de Turre super territorio Rovere de Corte nuncupato, quod anno 1491 ab utroque Portusnaonis dominio adiudicatum est, iure in eo commugnandi Jacobo de Turre asserto.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo CCCC° nonagesimo secundo, indictione X^a^., die decima mensis iulii. Actum in loco battiraminis et traffilerie ser Petri de Albertis veneti, districtus Portusnaonis, presentibus ser Sebastiano quondam domini Jacobi

de Bonmartinis de Montesilice, ser Christoforo dicto Moro quondam ser Bartholomei de Parona, magistro Matheo quond. magistri Antonii del Lavello, testibus omnibus ad hoc vocatis, habitis et specialiter rogatis et aliis. Ibique cum sit quod superiori anno versa sit lis et differentia inter magnificum dominum Georgium Hellacher terre Portusnaonis capitaneum ex una, et nobilem dominum Jacobum de Turre ex alia parte, causa et occasione certi territorii vulgariter nuncupati *Rovere de Corte*, et sequute essent hinc inde multe controversie, tandem suasionibus et intercessione communium amicorum, suprascripte partes ad infrascripta pacta et conventiones devenerunt: videlicet, et primo quod ipse dominus Jacobus confiteatur, prout ibidem coram suprascriptis testibus et me notario illico confessus fuit iurisdictionem dicti territorii libere spectare et pertinere ad ipsum magnificum dominum Georgium, sive sacram cesaream maiestatem. Item e converso ipse magnificus dominus capitaneus se offert et pollicetur cum effectu omnia per eum quovis modo locata in dicto territorio removere et in pristinum statum reducere, prout antea erant, propter bonum pacis. Item quod liberum sit ipsis domino Jacobo et eius colonis secare, habito bolletino solito, et pascuare in dicto territorio illis modis, via et forma, prout antea fecerunt, solvendo tamen et respondendo annuatim per eas personas per quas solvi consueverunt castro Portusnaonis, id quod pro anno solvere et reddere soliti sunt, permittentes ambe partes suprascripte, solemni stipulatione hinc inde interveniente, omnia et singula suprascripta in hoc instrumento contenta, per se et eorum successores rata et firma habere, tenere et observare proprie, et non contrafacere, contravertere, opponere vel venire per se vel alios, ratione aliqua vel causa, de iure vel de facto, sub pena ducatorum ducentorum, et parti observanti applicanda, totiens exigenda cum effectu quotiens fuerit contrafactum et non observatum, qua pena soluta vel non, presens tamen instrumentum et omnia et singula in eo contenta robur et firmitatem obtineant perpetuo. Pro quibus omnibus et singulis sic, ut premittitur, attendendis et observandis prefate partes nominibus supradictis sibi ad invicem et vicissim obbligaverunt omnia bona sua presentia et futura.

Et ego presbiter Michael quondam magistri Constantini de Purliiis, rector ad presens ecclesie sancte Marie de Vicinali, publicus imperiali auctoritate notarius, suprascriptis omnibus et singulis requisitus interfui, eaque rogatus a suprascriptis partibus in consonantia

cum egregio viro ser Francisco Rorayo de Portunaonis scripsi, et in hanc formam publicam fideliter redegi, signo et nomine meis in fidem appositis consuetis.

P. M. habet exemplum.

## CCCXXXIII.

(1492, 15 decembris, Vallis Mareni.)

**Hector et Johannes comites Brandolini, Foriulii locumtenentem sciscitantem instruunt, ex relatu eorum cancellarii Jacobi de Prata de actis super dissidiis Zopolensium cum Portusnaonensibus, a dimidio usque saeculo decimo quinto.**

Magnifice et generose. Litere d. v. m. havemo receuto per le quali con sua solita benignità richiede vogliamo astrenzer el cancelliero nostro a dar ad quella ogni possibile informatione et certezza de sententie, scripture et altri acti alias facti sopra le differentie longamente vertide tra li zentilhomeni da Zopula da una parte et homeni de Pordenon et Cordenons, subditi imperiali dal altra parte. Subito per debita executione de dicte litere, per rispetto della nostra illustrissima signoria et di v. m. quello cancelliero nostro nominato messer Jacopo di Prata et sub iureiurando astrinzessemo a dechiarir et dar certa informatione de tutto quello el se ricorda circa le preditte differentie, cussi nel tempo che il reverend. vescovo di Siena messer Enea, il qual po fu creato summo pontifice, era oratore imperiale, cossi etiam nel tempo de messer Piero Finz, come et nel tempo del reverend. messer Alexandro vescovo di Forli, legato apostolico et oratore imperiale, respose esso cancellier nostro ricordarsi che nel tempo fu il detto reverend. vescovo oratore per dicte differentie ex una parte et il magnifico messer Candiano Bollani cum lo clarissimo doctor messer Francesco de Capitibusliste, ne fu gran contesa de dictis differentiis tra ditti oratori, tandem ne seguite transactione ovver sententia tra loro, cum certa clausula apposita, che quella sententia ovver transactione havesse perpetuo a durar se la maestà imperiale non contradicesse usque ad quinquennium, over altro tempo del qual precise non si racorda. Postea infra tempus venne messer Piero Finz ambassatore del re di Portugallo, et come commissario della cesarea maestà et de la imperatrice, et nova compositione tractò cum la illustrissima signoria nostra de Venetia, citando altri confini che quelli se dicea in dicta sententia, li quali confini non saperia precise

dechiarare, ma che erano, si rite recordatur, dove la Meduna et Basaldella se conzonzono insieme, andando per rectà linea al castello de Cusan, cum certi patti, iurisdictioni ec. circa pascuatione, prout in ea declaratione seriosius continetur. La qual dechiaratione cussì tra ambe parti conclusa possa per privilegio aportato per messer Piero Finz dalla imperatoria maiestade roborado del suo sigillo imperiale fu autenticato et confirmato, et di tal privilegio dicti zentilhomeni de Zopola ne ave copia. Ben vero è, sive ante sive post predicta, la maiestà della imperatrice piu lettere ne scrisse sopra tal materia, la continentia delle quali non si racorda propter longitudinem temporis. Postremo dice racordarsi che za 8 ovver 9 anni o circa, nel tempo che lo magnifico messer Sebastiano Badoer orator dignissimo di la nostra illustrissima signoria et il prefato messer Alexandro vescovo di Forli, oratore imperiale arrivò de Pordenon per caso de dicte differentie, dicto cancellier nostro pregato per litere del capitano et della comunitade di quello loco, si trasferi a Pordenon e li trovò quelli cittadini esser molto ignari et nudi de ogni scrittura et informatione de tal differentie, nè sopra quelle ne volse parlar per loro cosa alcuna, se prima non hebbe licentia, imo mandato dal magnifico orator messer Sebastiano predicto, cui ge ricordò del tutto era seguito a suis cunabulis supra, et gli fece trovar tutte scripture et processi fatti al tempo de dicti primi oratori, le qual scripture erano in Sacil appresso uno nominato Zuanne de Lauta fiolo che fu de messer Daniele de Lauta, alhora cancelliero de Pordenon, et le rimandò ne le scritture erano in la cancelleria de Pordenon; trovarono dicta sententia ovver transactione facta nel tempo de papa Pio et messer Candiano predicti. Trovasino etiam lettere imperiali contradicenti et non consentienti a dicta sentencia ovver transactione. Trovasino anchora il predicto privilegio del final concordio aportato per messer Piero Finz sigilato, ut supra dictum est. Quelli cittadini non volseno alhora che tal privilegio se mostrasse, nè di quello se ne fesse memoria alcuna, imo potius denegatione di quello, et cosi alhora nulla fu fatto. Se voleno dir il vero quelli di Pordenon, se trovarà seriatim tutto quello esso cancelliero nostro ut supra ha testificato. Ben vero è che avanti le predicte cose ne fu fatta prima una sententia pro dictis differentiis per messer Cora de Montereal, sed del tenor di quella dice non si racordar, perchè alhora era in studio a Padoa. Ma dica quello si voglia, dicta sententia è stata revocata per li altri acti et sententie da po facte ut

supra. Et questo è quanto esso cancelliero nostro al presente se racorda di tal facende. Se racomandiamo a v. m. et offerimo sempre paratissimi a tutti soi commodi. Ex Valle Mareni, die 15 decembris, 1492. Hector, Johannes comites Brandolini, comites Vallismareni.

A tergo: Magnifico et generoso domino Hieronimo Vendramino patrie Foriiulii locumtenenti dignissimo, maiori honorando.

Exemplum habet P. M.

## CCCXXXIV.

(1493, 20 martii, Lincii.)

**Fridericus imperator mandat capitaneo Portusnaonis damna impediat a colonis Sancti Quirini illata silvae propinquae praeceptoriae Aloisii Roraii praeceptoris sancti Johannis jerosolymitani in eodem loco.**

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus. Fidelis, dilecte. Conquestus est coram nobis honestus, devotus noster, dilectus Alovisius Roraius preceptor Sancti Quirini, quatenus coloni quidam preceptorie sue silvam propinquam que loco ipsi antiquitus servata est in dies cedunt et dissipant, conanturque eandem in pratum redigere, non absque dicte preceptorie maximo detrimento, operam nostram implorans ut indemnitati sue in eo negotio consulere dignaremur. Quapropter tibi enixe mandamus et volumus ut apud prefatos colonos et, si qui alii silvam ipsam deinceps destruere conentur, ita remediis necessariis insistas ut ea de causa non amplius querela aliqua nos impulset: tum et predictum Alovisium in ceteris suis rebus adeo foveas ut memor esse scriptorum nostrorum, que antea hinc ad te dedimus, videaris, in eo voluntatem nostram exequuturus. Datum in oppido nostro Lynntz, die XX mensis marcii, anno Domini MCCCC°. LXXXXIII°, imperii nostri quadragesimo primo.

Commissio domini imper atoris propria.

Ab exemplo apud P. M.

## CCCXXXV.

(1493, 14 aprilis, Portusnaonis.)

**Jussum datum a capitaneo Portusnaonis hominibus Sancti Quirini de non inferendis damnis nemori praeceptoriae sancti Joannis jerosolymitani in villa Sancti Quirini, poena in sontes viginti quinque denariorum parvorum statuta.**

MCCCC° nonagesimo tercio, indictione XI, die XIIII° mensis aprilis, in oppido Portusnaonis. Magnificus et generosus dominus

Georgius Elacher dignissimus capitaneus terre Portusnaonis, precipiendo mandavit hominibus ville Sancti Quirini et mansionis eiusdem loci coram eius magnificentia accersitis, quod sub pena librarum XXV denariorum parvorum non debeant quoquo modo cedere, nec dissipare ac secare nemus preceptorie sancti Johannis jerosolimitani et vias seu trogia [1]) claudere in territorio dicto, et ire per vias conservatas. Et hoc in executionem litterarum sacre cesaree maiestatis, tenoris infrascripti [2]).

Ab exemplo penes P. M.

## CCCXXXVI.

(1493, 16 maii, Portusnaonis.)

**Contractus de portu Nuncelli in ditione portusnaonensi construendo.**

In Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, indictione XI, die vero XVI mensis maii, sub logia communis Portusnaonis, presentibus domino Christoforo ex dominis Turris, ser Johanne q. Antonii Aseta veneto, et Bressano precone communis Portusnaonis, testibus et aliis ad hec vocatis specialiter et rogatis.

Ex determinatione consilii propter fabricam portus Nuncelli faciendam, nobilis ser Johannes de Cresendulis tanquam massarius communis una cum ser Johanne Petro a Porta uno ex deputatis parte ex una, et discretus vir magister Perinus patavinus murarius nunc Mothe residens parte ex altera, convenerunt ad invicem in hunc modum, videlicet promisit namque dictus magister Perinus, precio et foro finito librarum ducentarum denariorum parvorum omnibus suis sumptibus magistrorum et eorum victus conducendorum, solemniter se obbligando ipsis ser Johanni de Cresendulis et ser Johanni Petro presentibus et nomine communitatis stipulantibus et recipientibus, omni exceptione remota, construere seu facere portum Nuncelli terre Portusnaonis de muro scarpato cum aggere et capsa et aliis rebus opportunis ad hoc opus requirentibus, dando tamen ipsi magistro Perino omnia et singula apparamenta exigentia, cum manualibus seu operariis dictis convenientibus. Qui quidem murus sit et esse debeat in longitudine passuum quadraginta

[1]) *Trozo* dialecto veneta, idem est ac latinum *trames*, aetate sequiori *trogium*.

[2]) V. num. CCXC.

septem, in latitudine lapidum trium et in altitudine pedum X in XI, et incipere debeat a ponte Nuncelli tendendo usque in capite aque Mortoli exclusive, ab inde usque caput Insule facere aggerem cum palis, ossidibus et terra sufficienter et durabiliter. Et predicti ser Johannes de Cresendulis, ser Johannes Petrus a Porta nomine quo supra eidem magistro Perino dare promiserunt omnia et singula preparamenta necessaria pro predictis capsa, muro et aggere construendis cum manualibus seu operariis ut supra dictum est, et profecto operario dare et exbursare suprascriptas libras ducentas, ex quibus tamen de presenti pro caparra dicti fori ab eis habuit et recepit dictus magister Perinus ducatum unum, promittens quoque dictus magister Perinus venire cum magistris per eum conducendis suis sumptibus ad omnem requisitionem predicte communitatis ad hoc opus faciendum cum pactis et conditionibus suprascriptis. Que omnia et singula suprascripta et in hoc instrumento contenta predicte ambe partes vicissim, videlicet una pars alteri et altera alteri promiserunt ad invicem, solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, firma, rata et grata habere, tenere, attendere, observare, adimplere et non contrafacere, dicere, opponere vel venire per se vel alium, aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub pena dupli eius de quo questio moveretur ec. Item reficere unus alteri omnia et singula damna, expensas et interesse, que, quas vel quod una pars, occasione sive culpa alterius contrafacientis, fecerit vel substinuerit in iudicio et extra. Et pena soluta vel non, presens tamen instrumentum in suo robore perduret. Pro quibus omnibus et singulis sic firmiter observandis et plenius attendendis dicti massarius communis et ser Johannes Petrus obbligaverunt bona communitatis predicte, et magister Perinus omnia et singula bona sua presentia et futura ec.

Ex actis Jacobi q. Antonii Frescolini notarii portusnaonensis in tabulario notariorum Utini sumptum.

## CCCXXXVII.

(1494, 22 februarii.)

**Maximilianus rex Portusnaonensibus praecipit ut fidelitatis iuramentum sibi ab iis debitum in manu Georgii Klacher capitanei portusnaonensis praestent.**

Honorabiles fideles dilecti. Cum omnes provincie ac ditiones que post sacratissimi domini et patris nostri charissimi obitum iure here-

ditario tanquam ad dominum eorum ad nos devenerint, fidelitatis iuramentum in signum vere et legitime subiectionis, uti par est, nobis prestiterint, hac una dumtaxat Portusnaonis ditione nostra excepta: igitur in presentia fidelem dilectum nostrum Georgium Elacher istic capitaneum et consiliarium nostrum ad vos mittimus, cui hujuscemodi mandatum deferendi nobis juramentum tradidimus, seriose vobis precipientes ut eidem capitaneo et consiliario nostro pro obligatione ac debito vestro huiusmodi fidelitatis juramentum, ut fideles et reales subditos decet, nostro nomine prestare ac illi que vobis in prefato negotio retulerit plenam adhibere velitis fidem, in eo seriosam nostram voluntatem exequentes. Data die XXII mensis februarii, anno Domini 1494, regnorum nostrorum romani nono, Ungarie vero quarto.

Commissio domini regis in consilio.

A tergo: Honorabilibus fidelibus nostris dilectis, iudicibus, consulibus, communitatibus Portusnaonis et Curienaonis.

Ex actis Jacobi q. Antonii Frescolini notarii portusnaonensis in tabulario notariorum Utini asservatis, pag. 58.

## CCCXXXVIII.

(1494, 11 martii, Portusnaonis.)

**Portusnaonenses fidelitatis iuramentum Maximiliano regi Romanorum ac eius heredibus in manu Georgii Elacher capitanei Portusnaonis praestant.**

Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, die XI mensis martii in Portunaonis, sub logia communis Portusnaonis, ubi congregatum erat spectabile consilium cum tota universitate eiusdem terre, burgi, villarumque ditionis terre Portusnaonis, quibus presentate fuerunt suprascripte litere per magnificum et generosum dominum Georgium Elacher istic capitaneum et dignissimum consiliarium sacratissime regie maiestatis regis Romanorum reverenter recepte et lecte: coram, ut supra, ac in executione earum, nos Alexander de Hedis iuris doctor, potestas, Primusvallis Manthica iuris doctor, Johannes de Cresendulis, Simon de Popaytis, Gregorius de Prata, Johannes de Popaytis, Johannes Petrus a Porta, Polidorus de Richeriis, Franciscus d. Bonifatii, Johannes Richerius de Girardis et ceteri cives popularesque nec non burgenses et villarum infrascriptarum homines, videlicet Curienaonis, Sancti Quirini, Roraij, Vallis, Nunzelli, Villenove ac

Pusuncichi dicionis Portusnaonis oppidi dominiique, juramus et promittimus per hec sancta Dei evangelia, que post hec verba in corroborationem huius iuramenti corporaliter tangemus, quod serenissimo ac inclito d. d. Maximiliano Romanorum regi semper augusto, Austrie ec. duci ac Portusnaonis domino, tanquam vero et legitimo domino nostro et post mortem eius omnibus suis heredibus in hoc dominio succedentibus ac inclite domui Austrie fideles, reales et obedientes cum omnibus hominibus esse volumus; nec alium quemquam quam sacratissimam regiam maiestatem suam et post mortem eius, illius heredes ac inclitam domum Austrie pro veris et legitimis dominis nostris recognoscere; et neque scienter in illo consilio esse ubi aliquid tractatum aut conceptum fuerit contra personam, dignitatem aut statum eius, vel inclitam domum Austrie et contra hoc dominium, neque ad id consentire aliquo modo. Sed debemus et volumus illi in omnibus, sicuti fideles et reales subditos decet, obedire et personam suam, honorem, utilitatem et bonum pro omni posse nostro fovere, et si alibi intellexerimus quod aliquod conceptum aut tractatum fuerit contra personam suam ac inclitam domum Austrie et Portusnaonis dominium, debemus et volumus id fideliter pro viribus precavere, et suam sacram regiam maiestatem aut eius magistratus in hoc loco sine mora advisare, et omnia denique alia facere que ad fideles et reales subditos spectant et pertinent, sine dolo et fraude. Ita nos Deus adiuvet et hec sancta evangelia.

Profero ex actis Jacobi q. Antonii Frescolini, notarii portusnaonensis, in tabulario notariorum Utini adservatis, p. 58.

## CCCXXXIX.

(1494, 28 aprilis, Oeniponti.)

**Maximilianus rex supplicationem sibi a Thoma Morgana oblatam, capitaneo Portusnaonis, qui de supplicis et negotii indole sibi referat, transmittit.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig ec. Getrewe, lieber. Uns hat Thomas Morgana dise ingeslozzene Supplication furbracht, die wir dir zuerkennen zusenden, also du sehen wirdest. Darauf emphellen wir dir daz du uns seiner Person und Wesen, und ob *iure* in seinem Begehr zu folgs sey, aigentlich berichtest unns verr darin Inhalts wissen. Das ist unsere ernstliche Maynung.

Geben zu Innsprugg, an Montag nach sandt Jorchtag, anno Domini ec. IIII, unseres Reichs in XVIIII Jar.

Cõmmissio domini regis in consilio.

A tergo: Unnsern getrewen, lieben Pollidoren de Richeriis, Verweser unserer Hauptmanschafft zu Portnaw.

Habet exemplum P. M.

## CCCXL.

(1494, 11 maii.)

**Maximilianus rex Romanorum, motus in Portusnaonis dominio ab exiticiis suscitatos animadvertens, mandat eius oppidi potestati et iudicibus ut eas novitates propria auctoritate compescant, et exules eorumque filios et haeredes in eorum consortium minime admittant.**

Maximilianus, divina favente clementia, Romanorum rex semper augustus ec. Honesti, prudentes, fideles, dilecti. Insinuatum est auribus nostris rursus quasdam exoriri apud vos novitates et contra antiquum istius patrie morem hactenus observatum mutationes nobis et dominio isti omnino perniciosas fieri, quo verendum est ne exiticii illi nobis natura semper infesti capita erigant, et ipsum oppidum nostrum suo more pessundent. Huic igitur morbo, dum adhuc medicabile est vulnus, occurrere volentes, vobis districte precipiendo mandamus quatenus ad ea que salutem publicam promovent respicere: novitates, si quas exoriri videritis, in tempore sopire, et unanimi voto hanc rempublicam nostram, uti iuramento vestro estis astricti, gubernare: si quisquam contrarium attentare presumpserit, illi nequaquam aures prebere, sed temeritatem mature compescere velitis. Tum dedimus vobis capitaneum, virum et fide et prudentia commendabilem, cuius dexteritate non dubitamus omnia bono ordine dirigi: sed cum, ut accepimus, cum quibusdam exititiis dudum affinitatem traxerit et in officio isto novus adhuc non omnia probe noverit, ne eius occasione quicquam nobis damnosum inferatur, illi seriose scribimus quatenus officium suum ita administret ut plene sentire possimus quod magis reipublice nostre quam usui privato inserviat, quemadmodum exemplo his accluso clarius accipietis. In primis vero admonemus ne quovis colore humaniter possibili exules illos aut eorum filios et heredes, tum et hos nuper in turbatione hungarica actos admittatis in consortium et oppi-

dum nostrum: novimus enim iamdudum quanta incommoda quondam ex illorum admissione genitor noster dive memorie passus fuerit: si que vero contra opinionem et hec nostra mandata seminari videritis, nos aut regentes nostros in Vienna absque mora certiores reddatis, quo avisati saluti publice opportunius consulere possimus. In eo seriosam nostram voluntatem facientes. Datum undecima die mensis maii anno Domini ec. LXXXXIIII^to^, regnorum nostrorum romani nono, hungarici vero quinto.

Commissio domini regis in consilio.

A tergo: Honestis, prudentibus, fidelibus nostris dilectis potestati et judicibus oppidi nostri Portusnaonis.

Authent. cartac. penes P. M.

## CCCXLI.

**(1494, 19 iulii.)**

Maximilianus rex, portusnaonensium legatorum supplicationibus indulgens, *ex dono gratiaque speciali confirmat, approbat, ratificat et innovat eorum iura, libertates, gratias* ec. *districte precipiendo capitaneis* suis *in Portunaonis, quatenus hanc confirmationem inconcusse observari faciant.*

Ex authent. membran. in tabulario communis Portusnaonis prolatum in *Statuta Portusnaonis* ann. 1609, p. 155; ann. 1670, p. 112; ann. 1755, p. 120.

## CCCXLII.

**(1494, 24 augusti, Meclinae.)**

Maximilianus rex cupiens *restar informato circa il buon governo del popolo di Pordenon,* mandat Polidoro de Richeriis ut de negotiis regimen id spectantibus eum instruat, *chè ne sara di sommo gusto e soddisfatione di aver particolare ragguaglio del tutto.*

Ex alemannico protulit Silinus in *Raccolta de' privilegj Ricchieri,* p. 50.

## CCCXLIII.

**(1494, 28 augusti, Meclinae.)**

**Maximilianus rex confirmat privilegia Curtenaonensium.**

Wir Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig zu allenn Tzeiten Merer des Reichs zu Hungern, Dalmatien, Croatien, ec. Kunig, Erz-

hertzog zu Osterreich, Hertzog zu Burgundi, zu Brabannt, zu Geldern ec., Grave zu Flandern, zu Tirol ec. Bekennen daz uns unnser getrewen unnsere Lewt und Holden zu Curtenaw diemuthlichen haben bitten lassen, daz wir . . . . und yeglich ir Freyhaytbrief, Privilegien und alle löbliche Herkomen, so in weilennt unnser Vorfarn Fursten von Osterreich, und nemlich unnser lieber Herr und Vater der Romischer Kayser, ec. loblicher Gedachtnuss gegeben hatten, als regirender Herr und Landsfürst zubestetten genediklich geruethen. Haben wir angesehen der gemelten unnserer Lewt und Holden diemütig Bete, und haben In dardurch dieselben Ir Freyhaitbrief, Privilegia und alle lobliche Herkomen bestett wissentlich mit dem Brief, was wir In zurecht daran bestetten sullen. Also daz die in allen Irn Puncten und Artikeln darinen begriffen genutzlich bey Krefften beleiben, und die gemelten unnsere Lewt und Holden der Gebrauchen und Geniessen, und von Nyemannds dawider gedrungen noch beswert werden sullen in derhain Weis ungeuerlich. Und gebieten darumb den Edlen unnsern lieben getrewn und allen unnsern Haubtlewten, Graven, Freynherren, Rittern und Knechten, Verwesern, Vitztumben, Phlegern, Burgraven und Richtern, Burgermaistern, Richtern, Burgern, Gemainden, und allen anndern unnsern Ambtlewten, Unndertanen und getrewn ernnstlich, und wellen, daz Sy den genannten unseren Lewt und Holden bey den berurten Irn Freyhaittenbriefen, Privilegien, altenn löblichen Herkomen, und diser unnserr Bestettung genutzlich und berublich beleiben lassen, und sy dawider nicht dringen noch beswern noch des Nyemannds anndern zutun gestatten in derhain Weis, als lieb ainem yeden sey unnsere Ungnad und Straffe zu vermeiden. Das ist unnser ernnstliche Maynung mit Urkundt des Briefs. Gebenn an Phintztag sannd Augustin tag, nach Cristi Geburde vierzehenhundert und im vierundnewntzigisten, unnsers Reichs des Romischen newndten, und des hunngrischen im funfften Jaren.

Document. cart. authent. apud Petrum Montereale lege itale versum in libro impresso: *Per li nobili signori conti fratelli Badini al taglio.* S. l. et a. 4°. p. 3—4, ut et in *Statuta Portusnaonis*, edit. a. 1670, p. 168; a. 1755, p. 121.

## CCCXLIV.

(1494, 2 octobris.)

**Maximilianus rex mandat capitaneo Portusnaonis ut filiis Danielis Fontana indulgeat pubblicis molendinis uti, ac ligna in nemore iurisdictionis portusnaonensis secare.**

Noi Maximiliano per la gratia de Dio re de' Romani in ogni tempo del reame, de Ongaria e Dalmacia re, arciducha de Austria, duca in Borgogna, in Brabant et Gheldria, conte in Fiandra et Tirol ec. Comandemo al nostro fidelissimo Tomado de Coloredo nostro capitanio in quel logo de Pordenon la nostra gratia e ogni bene. A noi hanno i nostri fideli fioli del quond. Daniel Fontana nostro cittadin in quel logo de Pordenon fatto intender come il ditto suo padre et lori avanti la biava pel bisogno suo consenavano: ancora in el nostro boscho della nostra iurisdicion de Pordenon pertinente a la aministracion tua per el bisogno di casa sua possevano boschare. Te comandemo noi veramente et volemo li preditti Fontane di tal concession che gli hanno habuto che tu anchora le sue biave in li nostri molini lassi masenare, senza pagare moldura alcuna, et anchora del preditto nostro boscho per lo uso de la casa sua, senza impedimento alcuno, lassi tuore, et questo tu farai la nostra vera voluntà. Dato adi zobia da poi santo Michiel, anno Domini 1494.

Carta authent. penes P. M.

## CCCXLV.

(1494, 4 octobris, Vindobonae.)

**Locumtenentes Maximiliani regis cum Portusnaonensibus conquesti de conspiratione ab eorum aliquibus cum extorribus habita, ac praesertim novis turbis, occasione electionis quorundam consillariorum, nuntiant rem caesari delatam, intereaque monent ab omni pernicioso actu abstineant.**

Honorabiles amici, dilecti salutem. Jam compertum habemus, nedum primatibus sed infirmo cuique illius oppidi civi satis superque liquere quantum fervoris ac diligentie sacer et clementissimus Romanorum cesar defunctus felicis memorie, dominus noster pro conservanda illius loci pace ac tranquillitate impenderit, quantumque pre-

cium pro abigendis illis primis sue ac patrie eorum hostibus, eiciendisque demum aliis qui clandestine cum illis extorribus, conspiratione facta, omnia pro eorum libidine in prefate maiestatis cesaree dedecus et oppidi istius pernitiem machinabantur, erogaverit. Que cum recentia et minime adhuc obliterata sint, persuadebamus profecto nobis neminem adeo seditiosum aut rerum novarum cupidum esse hominem quem gesta non terrere aut saltem a pessimo proposito partim avocare possent, que longe aliter quam opinabamur succedere accepimus. Cum sub pretextu cuiusdam controversie, que inter capitaneum et quosdam cives circa quandam consiliariorum electionem orta fuit, nove quedam factiones (quo tamen autore vel seductore nos latet) successere, intelligitis rem profecto sacre regie maiestati sine dubio, si de hiis sincera narratione educta fuerit, ingratissimam, et oppido vestro ac civibus ipsis, si rem, sequestrata omni animi perturbatione, diligentius examinare volueritis, perniciosissimam. Cum autem pro offitio nostro, quandoquidem a clementissimo Romanorum rege gubernandarum provinciarum patrimonialium onus hoc tempore est iniunctum, plures litteras ad capitaneum istic nomine sacre romane maiestatis, pro sedanda hac controversia, quam in dies latius nisi opportune prevideatur serpere animadvertimus, et scripserimus et delegatum istuc miserimus, cumque hec omnia parum aut nihil profuisse intelligimus, visum nobis fuit officio nostro maxime convenire sacram regiam maiestatem hac de re certiorem reddere, quam non dubitamus hiis novis turbis, quidquid paci et regimini illius oppidi conducere estimabit, mature provisuram. Interea vero temporis vos requirimus et sacre regie maiestatis nomine, cuius nunc vices gerimus, vobis mandamus ut, priusquam gravioribus arceamini penis, quantum prefati clementissimi domini nostri indignationem magnifacitis, ab omni conspiratione, dissensione aut quovis alio pernitioso actu (cum ex hiis plerumque aperta rebellio oriri solet) ita abstineatis, ut magis vos regie maiestatis imperiis ac patrie quam private simultatis et odii rationem habuisse appareat, quo sacre regie maiestatis mandata, quid in hac controversia fieri velit, ad nos deferri possint, de quibus vos demum illico certiores reddemus. Datum Vienne, quarta die mensis octobris, anno Domini ec. LXXXXIIII°. Regie romane maiestatis locumtenentes et regentes Vienne.

A tergo: Honorabilibus ac circumspectis amicis, nobis dilectis, civibus ac universitati oppidi Portusnaonis.

Vetus exemplum apud P. M.

## CCCXLVI.

(1495, 16 augusti, Argentorati.)

**Simon de Hungerspach thesaurarius caesareus mandat Portusnaonensibus ut ducentos florenos renanos regi pro subsidio introitus romanae curiae debitos numerent officiali suo Bartholomeo de Gori.**

Magnifici, nobiles, circumspectique viri et domini ac amici colendi. Post sui communicationem obsequia promissa. Regia Romanorum maiestas committit dominationibus vestris ut ducentos florenos renanos, quos sue regie maiestati in subsidium introitus romane curie procurare polliciti estis, mihi ad manus sue regie maiestatis presentare haud tardetis, uti ex eiusdem regie maiestatis litteris iam presentandis sentietis. Quare rogo confidenter dominationes vestras, velint prefatos ducentos florenos renanos Bartholomeo de Gori officiali meo, presentium exhibitori, nomine meo, porrigere, et desuper quietantiam meam ab eodem assumere. In eo regie maiestati debitum persolvetis. Datum in castro Strassburg, anno ec. LXXXXV^to^, XVI^a^ mensis augusti.

Regie maiestatis consiliarius et thesaurarius generalis
Symon de Hungerspach.

A tergo: Magnificis, nobilibus, circumspectisque viris, dominis potestati, civibus et communibus civitatis Portusnaonis, dominis et amicis meis colendis.

Auth. cart. apud P. M.

## CCCXLVII.

(1495, 12 octobris, Vormacii.)

**Maximilianus rex nuntiat duci Venetiarum quatuor ex suis consiliariis deputasse ad confinium dissidia inter Portusnaonenses et Venetos componenda, quibus Venetias ideo adeuntibus plenam praestet fidem.**

Maximilianus ec. Romanorum rex. Illustris, sincere, dilecte. Misimus in presenciarum honorabilem, devotum, fideles dilectos Johannem Weinduer prepositum brixiensem, Tiboldum Harracher, Leonardum Felser et Leonardum Ernauer, consiliarios nostros, pro componendis et ordinandis rebus et differentiis dominii nostri Portusnaonis et subditorum nostrorum. Quum nonnulla circa confinia

illius dominii et subditorum tuorum dissidia et altercationes multis nunc annis fuerunt, quas omnino extinguere ac sopire, quantum in nobis est, paramus, ipsis et aliquibus quos ex se deputaverint, ea de re aliqua coram afferre in mandatis dedimus, hortantes eosdem nostro nomine super referendis plenam fidem dari, et illis talem quo publice quieti et uniuscuiusque subditorum saluti consultum videatur, exhibere velis. In hoc nobis facies rem gratam pari vicissitudine compensandam. Datum in consessu nostro vormaciensi die 12 mensis octobris, anno Domini ec. nonagesimo quinto, regnorum nostrorum romani decimo, Hungarie vero anno sexto.

Commissio domini regis propria.

P. M. habet exemplum.

## CCCXLVIII.

(1495, 18 octobris, Francofurti.)

**Maximilianus rex exigit a Portusnaonensibus summam quatuorcentum florenorum, qua occasione Romam ad coronationem proficisci decrevit, eamque cito Simoni de Hungerspach suo thesaurario numerari desiderat.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig ec. Getrewen lieben. Wir haben furgenomen unns furderlich gen Rom zufugen, daselbs nach alter loblicher Gewonhait des heiligs Romischen Reichs unnsere kayserliche Crone, daran unns nicht klain gelegen ist, zu emphahen, dartzu wir, als Ir selbs verstet, ainer merklichen Summa Gelts notturffig werden. Und nachdem wir der lanngen und sweren Kriegslawff und Ausgab halben, damit wir beladen laider gewesen sein, solches von unns selbs gut nicht vermugen, sich auch wol zimet, daz unns unnsere Undertanen, den solchs zu Eren und Nutz volget, mit ainer zimlichen Hilf zu statten komen, begern wir an ew ernnstlich bevelhend, und ir wellet unns zu solchem unsern erlichen und löblichen Furnemen vier hunder Gulden Reinisch furderlichen Darleihen, und die unnserm getrewen lieben Symon von Hungerspach, unnserm Rate und Schatzmaister general, zu unnsern Hannden auf sein Quittung uberanntwurten, und darinnen nicht vertziehen, damit wir in demselben unnserm Furnemen deshalben nicht verhindert, noch Ferrhandlung not werde. Daran tut ir unns gut Gevallen und unnsere ernnstliche Maynung. Das wir zusambt der Billikait mit Gnaden gegen

ew erkennen und zu gut nicht vergessen wellen. Geben zu Frankfurt, an Suntag nach sannd Gallentag, anno Domini ec. LXXXXV^to^, unsers Reichs des Romischen im zehennten und des hungrischen im sechsten Jaren.

Commissio domini regis in consilio.

A tergo: Unnsern getrewen lieben dem Richter und Rate zu Portenaw. — Manus coaeva exscripsit: Presentate die 28 mensis decembris, 1496 per dominum Enricum Hellacher, super impositione collecte imponende propter subventionem coronationis.

Carta authent. apud P. M.

## CCCXLIX.

(1495, 13/decembris, Oeniponti.)

**Maximilianus rex supplicationem sibi a Portusnaonensibus oblatam de institutione mercatus proposita, Francisco de Montibus capitaneo Portusnaonis eo transmittit ut ea de re Oeniponti magistratibus referat.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig ec. Getrewer lieber. Wir sennden dier hier annbeslossen ain Supplication so unns Rat und Gmaind unnser Stat Portnaw furbringen haben lassen, die Du vernemen wirdest; und emphelhen Dir daz Du desshalben unnsern Lanndthofmaister, Stathalltern und Regennten von Ynnssprukh ain Bericht thust und des nit lassest. Das ist unnsere ernnstlich Maynung. Geben zu Ynnssprukh, an sannd Lucientag, anno Domini XV, unnsers Reichs inn sechtzenn Jar.

Commissio domini regis in consilio.

A tergo: Unnsern getrewn lieben Francissen de Montibus, unnsern Rat und Hawbtman zu Portnaw. — Manu coaeva superius inscriptum: Supplicatio ad imperatorem quod rustici qui in Portunaonis contraxerunt, ante tribunal Portusnaonis conveniri possint, et quod semel in ebdomada de qualibet rusticorum familia unus deferre debeat aliquid ad vendendum — Caractere recentiori: pro informatione mercati et coementium in Portunaonis.

Carta authent. penes P. M.

## CCCL.

(1495, 13 decembris, Oeniponti.)

**Maximilianus rex supplicationi Portusnaonensium sibi oblatae indulgens, hanc Francisco de Montibus capitaneo Portusnaonis dat commendans ut antiqua civitatis privilegia ex integro serventur.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig ec. Getrewer, lieber. Wir sennden dir hierynn beschlossen ain Supplication, so unns unnser getrew, lieb Rat und Gemainde unnser Herrschaft Portnaw furpringen haben lassen, als du vernemen wirdest. Und emphelhen dir mit Ernnst daz du sy wider ir Freyhaiten, Privilegien und alt löblich gut Herkomen nicht beschwerest noch das anndern zuthun gestattest, sonnder sy an unnser Stat dabey vestigelichen Hant habest, schuzest und schirmest. Das ist unnser ernnstliche Maynung. Geben zu Ynsprugg, an sand Lucientag, anno Domini XV, unsers Reichs im sechzehenden Jare.

Commissio domini regis in consilio.

A tergo: Unnsern getrewen, lieben Francissen de Montibus, unnsern Rat und Hawbtman zu Portnaw.

Carta auth. apud P. M.

## CCCLI.

(1496, 12 ianuarii, Goriciae.)

**Simon de Hungerspach thesaurarius imperialis urget Portusnaonenses solvant residenciae regiae argentoratensi, et quidem cito, quadringentos florenos aureos pro itinere Maximiliani Romam versus ad coronationem.**

Nobiles et egregii amici carissimi. Quoniam ut superioribus diebus spectabili domino capitaneo vestro a vobis non solum per regiam maiestatem, verum etiam per me fuerit requisitum ut eidem regie maiestati, pro isto suo saluberrimo romano itinere pro recipienda imperiali corona, sue regie majestatis in subventionem dare et exhibere deberetis florenos aureos quadringentos, nam pro ista coronatione regia maiestas plurimas expensas habebit necessario erogare. Ex quo omnes fideles et subditi sui ex debito debent contribuere

et se contenti exhibuerunt propter eos qui asserunt vos in collecta esse privilegiatos et exemptos, prout nuntii et oratores vestri mihi exposuerunt. Ad que vobis dico quod regie maiestatis intentio est nulli omnino in suis privilegiis aliquid derogare velle, sed postquam ex speciali benevolentia inclinata, illa conservare nec tales iam requisitas pecunias non iure collecte, sed pro mutuo et in subventionem ipsius coronationis, requirimus quod dumtaxat semel, tamen verum donum offeratur sine preiudicio exemptionum et privilegiorum que milites petent ex mandato regie maiestatis et regie cancellarie litteris sacramentalibus. Et propterea parte ipsius regie maiestatis, denuo vos hortor et rogo quod vos cum omnibus subditis territorii Portusnaonis . . . exceptionis coloribus regie majestatis affictualem mansum, quod cum effectu provideatis quod antedicti quadringenti floreni absque aliqua dilatione vel recusatione, sine tamen preiudicio privilegiorum vestrorum, dentur et effectualiter consignentur in Strasburg residencie regie ad diem et servicium alias vobis impositum. In quibus omnibus exhibeatis vos promptos et paratos, sicut et ceteri subditi regie majestatis postposita omni excusatione libero animo fecerunt, quod sine dubio si feceritis, erit utile, et vobis et successoribus vestris cum singulari regie maiestatis gratia efficietur. Ex Goricia, die XII ianuarii, anno ec. quinto.

Regie maiestatis b. j. thesaurarius generalis
Simon de Ungerspach.

Extra: Nobilibus et egregiis dominis potestati et communi terre Portusnaonis, amicis meis carissimis.

Documentum cart. apud P. M:

## CCCLII.

(1496, 23 iulii, Gelurni.)

**Maximilianus rex mandat Portusnaonensibus ut ducentos florenos sibi pro itinere Romam versus solvendos proprio thesaurario numerent.**

Maximilian, von Gottes Gnaden Romischer Kunig ec. Getrewn, lieben. Wir emphelhen euch ernnstlich unnd wellen, daz ir die zwayhundert Gulden Reinisch, so ir unns zu unser Romraise under euch zugeben angeslagen habt, furderlich impringet unnd dieselben unn-

serm getrewen lieben Symon von Ungerspach, unnserm Rat unnd Schatzmaister general, gegen seiner Quittung, uberantworttet. Daran tut ir unnser ernnstliche Maynung. Geben zu Glurens, am Sambstag vor sannd Jacobs des heyligen zwelffpottentag, anno Domini ec. LXXXXVI, unsers Reichs im zwelfften Jare.

Commissio domini regis propria.

A tergo: Unnsern getrewen, lieben Potestat und Stat zu Portenaw. — Manus coaeva addidit: Respond. die 25 augusti, 1496.

Documentum authent. cart. apud P. M.

## CCCLIII.

(1496, Purliliis.)

Jacobus comes Purliliarum nuntiat Antonio Philermo *Thomam Coloretensem, virum optimum ac iustissimum in magistratu* capitanei portusnaonensis, *per decennium, magno omnium procerum regis Maximiliani consensu confirmatum fuisse.*

Ex Jacobi Purliliarum *epistolarum* libro secundo, epist. 63, s. l. et a. (saec. XV).

## CCCLIV.

(1496. 29 septembris.)

**Maximilianus rex praecipit Achatio de Sebriach episcopo tergestino et Simoni Ungerspach suo thesaurario, ut dissidiis amovendis inter Thomam Colloretum Portusnaonis capitaneum ac villicos Curtisnaonis et Sancti Quirini, Portumnaonis cum Wilhelmo de Auersperg in Carniola capitaneo vel Lienhart Herberstainer rei caesareae Vipaci gerendae curatore, se conferant.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig zu allen Tzeiten Merer des Reichs, ec. Erwirdiger, andechtiger, getrewer, lieber. Als wir ew geschriben und bevolhen haben, Ew mit sambt unnserm lieben getrewn Wilhalmen von Awrsperg unserm Rate, Hawbtman und Vitzthumb in Krain, auf ainen Tag, des Ir Ew verainen sullet, gen Porttenaw zufugen, die Irrung sich zwischen unnsern getrewen Thoman Colereter, unnserm Hawbtman und ettlichen unnsern Burgern daselbs zu Porttennaw, und der Pawrschafft zu Curttenaw und Sannd Quirin

halltennd zuverhoren, und darinnen zuhanndeln innhalt unnserr Commission Ew deshalben zugeschickht, demnach emphelhen wir Ew ernnstlich und wellen, ob der gemelt von Awrsperg solhen Tag Blodikaithalben seines Leibes, damit er als wir Bericht werden zutzeiten beladen ist, personndlich nicht ersuchen möcht, daz ir alsdann an seiner Stat unnsern getrewen lieben Lienharten Herberstainer, unnsern Phleger zu Wippach, dem wir deshalben hiemit schreiben, zu Ew ervorderet, und mit sambt Im auf die obberurt unnser Commission hanndlet. Wo aber der yetzgenannt Herberstainer annder geschefft oder zufalennder Ursachenhalben daselbs hin gen Portenaw auch nicht komen mocht, nichts destmynnder Ir Ret auf dieselbe unnsere Commission das nutzest und pesst für uns und gemainen Nutz der unnsern hanndlet, und darinnen khainen Vleis sparet. Daran tut ir unnsere ernstliche Maynung. Geben am Phintztag sannd Michelistag, anno Domini ec. LXXXXVI$^{to}$ unnserr Reich des Rômischen im aindlefften, und des hungerischen im sibennden Jarenn.

Commissio domini regis in consilio.

Extra: Dem Erwirdigen andechtigen unnsern getrewn lieben Achatzen Bischoven zu Triest, und Symon von Hungerspach unnsernn Rate und Schatzmaister General.

Docum. auth. cart. extat apud P. M.

## CCCLV.

(1497, Purliliis.)

Jacobus comes Purliliarum narrat Francisco Filareto Thomam Colloretum praefectum Portusnaonis, *magno apparatu mille et quingentorum militum cum instrumentis bellicis oppugnatum ivisse pagum Curienaonis, ad eius cortinam expugnandam, rusticis qui damis timidiores existunt* aufugientibus, aliis se dedentibus, quibusdam interfectis, nonnullis pecunia mulctatis, *domibus amplis satis igne consumptis.*

Ex *epistolar.* Jacobi Purliliar. libro secundo, epist. 80$^{a}$, s. l. et a. (saec. XV).

## CCCLVI.

(1497, 31 augusti, Senosecses.)

**Georgius Elacher conqueritur cum Joanne Daniele Mantica innovationes a Thoma Colloredo capitaneo Portusnaonis factas, turbas easque graviores in eo oppido excitasse.**

Messer Zuan Daniel charissimo. Altro heri mi fu mandata una letera regia, et scritto ve la devessi mandar senza ogni dimora, la qual ve mando per el presente; intendo la terra de Pordenon per certe novitade ha fatto misser Thoma Coloretto, esser in gran combustione: si ita est molto me dispiaze, maxime per respetto de la sacra regia maiestà, al honor del quale me pare pocho se advertischa: deinde per respetto de li homeni de ben li quali sempre in tal travay patischano: ma forse le cosse non e cusì pericolose et horribile come se divulga: priegove del tutto me voiati dar aviso et cusì de le cosse de corte como sono disposte cerca el fatto nostro. Bene valete. Ex Senoseeses [1]), ultima augusti, 1497.

Georgius Elacher.

Salutati per nome mio tutti li amici et homeni de ben.

A tergo: Domino Joanni Danieli Mantiga ec. amico charissimo in Portunaonis.

Ex autogr. cart. apud P. M.

## CCCLVII.

(1498.)

**Epigraphe olim inscripta parieti summo oppidi muniti Portusnaonis, qua parte exterius orientem prospexerat.**

ARCHIDVCIS AVSTRIAE
Locus insignium capitanei Portusnaonis
PRAESIDE CONRADO CONTINO EQVITE I·D·M·MCCCCIIC.

## CCCLVIII.

(1498, 24 aprilis, Portusnaonis.)

Joannes Graidner, Walterius de Stadion ac Paulus de Lichtenstein oratores et commissarii ad oppidum Portusnaonis a rege Maximi-

---

1) Oppidulum in Carsis, a Tergesto versus Adelsberg.

liano delegati, *reprimendis sedandisque civium dissensionibus*, quaedam statuunt de suprema capitanei potestate, de electione potestatis, consiliariorum et massariorum Portusnaonis, *de exigendis rationibus communitatis et ecclesiarum, de proventibus oppidi in reficiendis operibus defensionis et ornatus* Portusnaonis *impendendis*, de subrogando antiquo consilio, poenis *in contrarium attentantibus* decretis.

Iuest documentum operibus: a. *Statuta Portusnaonis* ann. 1609, p. 121; ann. 1670, p. 78; ann. 1755, p. 99; b. *Per li nobili L. L. C. C. di Pordenon*, s. l. et a. p. 16.

## CCCLIX.

### (1499.)

Jacobus comes Purliliarum refert Antonio Filermo *his diebus, precipue in ripa Tiliamenti, mille et quingentos una interemptos fuisse occasione, cujus cladis maxima pars nos fuimus et Portusnaonis, in divi Hieronimi festo Turcarum decem millia in vico Roboreti castrametatos*, locis circumstantibus devastationes majores per eos factas.

Ex *epistolar.* Jacobi Purliliar. libro quarto, epist. 80ª.

## CCCLX.

### (1499, 1—2 octobris, Portusnaonis.)

**Instrumentum quo homines Portusnaonis ac villarum subditarum concorditer se obbligant Lucae de Renaldis, delegato caesareo, solvendi ducatos mille quos dabit pro conservatione aliarum habitationum ab incendio Turcarum, ac pro redemptione captivorum. Item relatum quomodo Lucas de Renaldis Princivallum Manticam legatum in id miserit imperatori.**

Anno Domini 1499, die 1 octobris, sub logia communis Portusnaonis, astantibus spectabilibus dominationibus Melchioris Pilosi benemeriti capitanei, artium et medicine doctoris, Marci a Medico potestatis et aliorum dominorum consulum terre Portusnaonis, per venerandum d. presbyterum Lucam de Renaldis tanquam delegatum a sacratissima regia maiestate regis Romanorum propositum et notificatum fuit omnibus et singulis terrigenis burgensibus Portusnaonis ac villarum ditionis eiusdem terre, videlicet Curienaonis, Sancti Quirini, Roraij,

Vallis et Nuncelli atrocissime damnificatis a Teucris in comburendo et traducendo suos de domo pro captivis miserabiliter. Quod si ipsi omnes sint contenti et velint pro conservatione aliarum suarum habitationum que supersunt, et pro redemptione suorum captivorum ex nunc zelo pietatis velle eis succurrere cum ducatis mille, dummodo se obbligent et promittant in bonis suis se soluturos et satisfacturos predictam quantitatem ducatorum, quam quidem omnes uno ore et alta voce, astante populi multitudine, elevato digito, concorditer cum instantia supplicando ab eo et dicendo fore contentos, promittendo quoque et se obbligando eidem d. presb. Luce in propriis bonis velle solvere et satisfacere id totum et omne quod eorum nominibus pro tali de causa expromerit. De quibus omnibus ego Jacobus notarius rogatus fui autenticum conficere instrumentum.

A. Dom. die II octobris in Portunaonis, ante primam portam oppidi, presentibus s. Jo. Daniele Manthica, s. Johanne Leonardo de Sancto Vito gastaldione dom. capitanei; ibique Matthias Venturini, Floritus Zenonis et Dominicus de Medio, omnes de Curianaonis, nominibus sui communis, libere in executione promissionis et obbligationis facte d. presb. Luce de Renaldis, dixerunt contentari sibi solvere et dare ac satisfacere ratam eis contigentem de eo quod fecit cum Teucris, quando destiterunt ab incendio ville ac super redemptione dominorum eiusdem communis traductorum ab eisdem Teucris.

Eisdem millesimo, die, loco, testibus. Antedictus dom. presb. Lucas de Renaldis volens accedere ad sacram regiam maiestatem regis Romanorum, omnibus meliore modo, via, iure et forma quibus melius scivit et potuit, fecit, constituit, creavit et solemniter ordinavit ac esse voluit preclarum iuris doctorem d. Princivallum Manthicam civem Portusnaonis presentem et acceptantem hoc onus specialiter, expresse et nominatim ad exigendum et recipiendum ratam expensarum factarum a prefata communi Curienaonis et ab aliis villis, contentarum in instrumento supranominato per ipsum dominum constituentem cum Teucro et Teucris, causa et occasione suprascripta, ut cessarent ab incendiis villarum, et cum ipsis communibus villarum componendum pro predicta de causa cum pleno mandato: et de omnibus receptis tam pro parte quam in toto finem et remissionem faciendum ec. servatis servandis ad plenum.

Suprascriptis millesimo ac die, in domo mei Jacobi notarii, presentibus ec.; ibique Jacobus filius Danielis de Prata ibidem habitans

promisit dare nobili s. Jo. Danieli Manthice ducatos centum, si et in quantum aliquo modo et maxime mediante d. Virgilio Goritio poterit redimi facere personas septem de domo sua traductas in predam a Teucris, obbligando omnia et singula bona sua ec.

Ex actis Jacobi q. Antonii Frescolini notarii portusnaonensis in tabulario notariorum Utini servatis, pag. 248.

## CCCLXI.

(1499, 25 novembris, Venetiis.)

**Dux Venetiarum, cum ex oratore Maximiliani deprehenderit quosdam in Foroiulii male de hoc obloquutos, mandat locumtenenti nemo in posterum vel Maximilianum vel eius subditos audeat calumniari.**

Augustinus Barbadico Dei gratia dux Venetiarum ec. nobili et sapienti viro Dominico Bolano, de suo mandato locumtenenti patrie Foriiulii fideli, dilecto, salutem et dilectionis affectum. Ex relatione magnifici oratoris serenissimi Romanorum regis, apud nos agentis, nobis instanter facta intelleximus a compluribus istic obloqui non tantum de subditis illius maiestatis Portusnaonensibus, quod conduxerint Turcos in patriam istam nostram, verum etiam de ipsa maiestate sine aliquo respectu, quod auditu nobis molestissimum fuit. Verum cum hoc nobis summopere cordi sit et cupientes provideri absque aliqua mora, has ad vos dare statuimus, mandantes ut receptis presentibus publice proclamari faciatis, quod nemo, sit qui esse velit, audeat neque presumat calumniari quosvis subditos prefate maiestatis, habitantes in loco Portusnaonis causa suprascripta, neque quovis modo aliqua verba facere de ipso serenissimo domino rege, sub pena indignationis dominii nostri, et hoc exequimini quantum primum, quoniam sic est penitus mens et voluntas nostra.

Datum in nostro ducali palatio, die XXV novembris, indictione III$^{a}$, M°. CCCC° LXXXX° nono.

Response die XI decembris, 1499, hora 24.

Exemplum penes Petrum Montereale.

## CCCLXII.

(1500, 8 ianuarii, Oeniponti.)

**Maximilianus rex mandat consilio Portusnaonis id efficiat ut civitatis cancellarius a publicis libris deleat processum ac sententias illatas in Princivallum Mantica aliosque Portusnaonenses, quod contra ius et ex invidia in eos actum sit.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig, Ertzherzog zu Osterreich ec. Getrewen lieben. Wir senden Ew hierynn beslossen ain Supplication so unns von wegen Princen Vallen Mantica und ander Burger von Portenaw furbracht ist, als Ir vernemen werdet. Und dieweil sich erfunden hat daz soliche Process und Urtaile nit nach Ordnung der Recht, sunder auf Neid wider die bemelte Burger gewbt und gehanndelt sind, empfelhen wir Ew mit Ernst daz Ir bey dem Statschreiber bey Ew daran seyt und verordnet, damit solich Urtailen furderlich aus den Pûchern gethan und vernicht werden, damit Inen die kunfftigelich nit zu Nachtail und Unglimphen raichen. Das ist unnser ernnstliche Maynung. Geben zu Ynsprugg an sand Erhartstag, anno Dni. ec. V. unnsers Reichs im vierzehenden.

Commissio domini regis in consilio.

Extra: Unnsern getrewen lieben den Verwesern und Räten zu Portnaw.

Manus coaeva inscripsit: Contra sententias Coloreti.

Documentum cartac. authent. penes P. M.

## CCCLXIII.

(1500, 15 aprilis, Portus Gruarii.)

**Episcopus concordiensis dat quadraginta dies indulgentiarum omnibus Christi fidelibus qui poenitentes et confessi singulis mensibus missis interfuerint celebrandis pro fraternitate beatae Mariae virginis in eius ecclesia Portusnaonis et eiusdem fraternitatis crucem fuerint comitati.**

Leonellus Chieregatus Dei et apostolice sedis gratia episcopus, dux, comes et marchio concordiensis, universis et singulis presentes

literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ineffabilia gloriose virginis Dei genitricis Marie meritorum insignia devote considerationis indagine perscrutantes et intra nostre mentis arcana revolventes quod ipsa castissimo eius utero, prout nostri status exigebat necessitas, humane salutis auctorem protulit, et apud eum quem maternis lactavit uberibus, sedulas pro nostre fragilitatis expiatione preces effundit, dignum quin potius debitum reputamus ut loca in sui nominis honorem dedicata gratiosis remissionum prosequamur inpendiis et indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur ut fraternitas eiusdem sanctissime virginis terre Portusnaonis nostre concordiensis diocesis ad laudem ipsius iam pridem erecta maiora in dies suscipiat incrementa et Christi fideles devotionis causa eo libentius ingrediantur eandem ac ad pia ipsius opera manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, dilectorum nobis in Christo fratrum ipsius fraternitatis supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, prefate gloriose virginis matris ipsius et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac sancti prothomartyris Stephani protectoris nostri meritis et intercessione confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui missis in dicta ecclesia singulis mensibus semel pro dicta fraternitate celebrandis devote interfuerint et crucem dicte fraternitatis personaliter ut est moris fuerint comitati, pro singulis diebus quibus hoc fecerint quadraginta dies de inferendis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes literas fieri et nostri sigilli iussimus appensione muniri. Datum in nostro episcopali palatio Portus Gruarii, nostre concordiensis diocesis, die quintadecima mensis aprilis, anno nativitatis dominice millesimo quingentessimo, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Alexandri pape sexti octavo.

S. A. Mandosius.

Membrana cum sigillo cerae rubrae, in nosocomio Portusnaonis.

## CCCLXIV.

(1500.)

**Portusnaonenses Maximilianum caesarem deprecantur ut actus processus a Thoma Coloreto jam Portusnaonis capitaneo contra Princivallum Manticam aliosque cives Portusnaonis iniqne prolati jubeat cancellario communitatis eiusdem a protocollis deleri.**

Serenissime ac clementissime rex et domine noster gratiosissime. Pro parte Princivallii Mantica ac aliorum civium Portusnaonis, quos presens negotium tangit, humiliter exponitur: Cum sit quod per dominum Thomam Coloretum alias capitaneum Portusnaonis lata fuisset certa iniqua sententia criminalis et condemnatoria, odio ac inimicicia qua ipse movebatur adversus dictos cives, ut tandem vestra re. majestas cognovit et plane intellexit, dum illum dicto magistratu amoveri iussisset, et usque ad hanc diem tales inique sententie extare comperiantur notate in protocollis et scripturis cancellarii communitatis Portusnaonis, qui eas tunc iussu dicti Coloreti annotavit; verentes prefati cives ne in posterum sibi aut heredibus suis per aliquem iniuria obiici posset de dictis iniquis ac vituperosis sententiis contra se latis, humiliter petunt et supplicant, placeat vestre re. maiestati mandare capitaneo et consulibus terre Portusnaonis, quatenus debeant precipere prefato cancellario ut omnes scripturas ac sententias criminales contra ipsos cives, per odium ut supponitur latas, cancellare et ex suis protocollis delere penitus debeat publice ita ut omnes intelligant illas fore ac nullas fuisse et nullius roboris aut firmitatis in se habuisse, ac in posterum habituras cognoscant, ut in futurum nulla propter illas scandala inter cives et plebeos subditos maiestatis vestre oriri possint, que de facili sequi possent si tales sententie scripte per aliqua tempora futura reperientur. Quibus maxime per maiestatem vestram ocurrendum est, cui dicti cives fidelissimi se plurimum humiliterque commendant.

Carta authentica inscripta a tergo: *den zv portnaw zv . . . . . Sy vs dem puch zuthun dieweil sich erfunden hat das die process nicht ward ordentlich d. . . R. . . . . formirt,* penes P. M.

## CCCLXV.

(1500, 15 iunii, Tridenti.)

**Antonius de Moris tridentinus, imperatori id praecipienti obbediens, actus processus a Thoma Coloreto in Princivallum Manticam ac eius fratrem, nec non Simonem de Popaitis aliosque cives portusnaonenses iniuste formati, propriis manibus super flamma proiicit, taliter quod combusti in cinerem vertantur.**

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quingentesimo, indictione septima, die Martis quintodecimo mensis iunii, Tridenti, in viridario domus habitationis clarissimi iuris doctoris domini Antonii de Moris, honorabilis civis et habitatoris Tridenti, presentibus nobilibus viris domino Gratiadeo filio quondam nobilis viri domini Galassi de Castro Campiono, Bonino filio quondam ser Peroti de Lunigo diocesis Vicencie, Hieronimo filio nobilis viri quondam Nicolai a Sale, Victore de Spilinbergo cavalerio curie civitatis Tridenti, Fedrico dicti domini Antonii familiare, testibus et ad agenda vocatis specialiter et rogatis. Ibidem coram prefato domino Antonio Moro comparuit eximius et clarissimus iurium doctor dominus Princivallius Manticha de Portunaonis, honorabilis potestas civitatis Tridenti, presente in Christo patre et domino domino Udalrico Lietenstainer [1]), Dei et apostolice sedis gratia episcopo et domino civitatis Tridenti dignissimo et bene merito, et litteras re. maiestatis prefato domino Antonio de Moris presentavit, quibus mandabatur eidem domino Antonio de Moris uti visis presentibus cassatos et annulatos certos processus curialiter alias formatos inique ac dolose per quemdam dominum Thomam Coloreto alias capitaneum Portusnaonis contra prefatum dominum Princivallium Manticha et eius fratrem, nec non ser Symonem de Poppaitis, cives portusnaonenses, comburere statim iam deberet, ne tales iniqui et iniusti formati processus de cetero aparerent et legi possent a posteris in dictorum civium innocentissimorum dedecus et ignominiam non mediocrem familiarum suarum. Qui quidem prefatus dominus Antonius ea qua decuit reverentia acceptis et perlectis litteris maiestatis re. talia sibi mandantis, tanquam obediens volens exequi predicta sibi obnixe demandata, in presentia testium redictorum et mei Bartholomei notarii inscripti, ac plurimarum alia-

---

1) Udalricus V de Liechtenstein - Castelcron.

rum personarum ibidem rogatarum in viridario predicte domus habitationis prefati domini Antonii, succenso igne dictos processus propriis manibus super flamma proiecit ita et taliter quod penitus combusti in cinerem versi sint, dicens et mandans mihi Bartholomeo notario antedicto ad perpetuam rei memoriam super predicta executione ut publicam conficerem scripturam; et ita feci et in protocollis meis redegi.

Ego Bartholomeus publicus imperiali auctoritate notarius, filius providi et egregii viri ser Johannini, notarii de Lessino, civis et habitantis Tridenti predictis omnibus et singulis presens fui et rogatus ac publice scripsi.

Membrana auth. penes P. M.

## CCCLXVI.

(1501, 15 novembris, Romae.)

Alexander papa VI caesari significat quod, cum *Lucas de Renaldis* eius *secretarius et orator* ad se *destinatus*, negotia ei credita fideliter apud se tractasset, et asseruerit illi Romanorum regem pollicitum fuisse ecclesiae tergestinae regimen a pontifice obtenturum, eidem ecclesiae *pro eius sufficientia et probitate, ac* suae *maiestatis intuitu*, episcopum et pastorem dictum Lucam praeficit.

Ex opere Angeli Calogerà: *Memorie intorno alla vita di m. Luca de Renaldis.* Venezia, 1753, p. 24—25.

## CCCLXVII.

(1502, 15 ianuarii, Portusnaonis.)

Consilium Portusnaonis decernit *quod massarius communis, scilicet alter eorum, sedere debeat ad iusdicendum unicuique persone, quoties reperitur solus tantum iudex in terra Portusnaonis.*

Ex libro *terminationum* in *Statuta Portusnaonis*, ann. 1755, *p.* 344.

## CCCLXVIII.

(1502, 10 augusti, Augustae.)

Maximilianus caesar Lucam de Renaldis, sibi consiliarium et secretarium, *cuius fides, constantia et singularis virtus multiplicibus exemplis* ei *comprobata*, ac Nicolaum et Franciscum fratres, nec

non Joannem de Crispinis nepotem, omnes portusnaonenses, constituit lateranensis palatii comites ac a vectigalibus solvendis immunes declarat. Iis nobilitatis insignia confert, dat potestatem creandi notarios et iudices, nothos legitimandi, adoptandi filios, emancipandi filios legitimos et adoptivos, restituendi in integrum ablata minoribus et ecclesiis; praeterea concedit iura civibus cuiuscunque civitatis imperialis communia, omnia doctorum privilegia, itaque ut horum duodecim in iure civili, septem in artibus liberalibus creare possit; statuit eorum domus in Portunaonis ab impositionibus sit libera et asili jure potiatur.

Documentum authent. membran. quod apud familiam Rota Sancti Viti in Foroiulii extat, edidit Calogerà in *Memorie intorno alla vita di m. Luca de Renaldis vescovo di Trieste.* Venezia, 1753, p. 30—62.

## CCCLXIX.

(1502, 5 octobris, Portusnaonis.)

**Franciscus de Montibus capitaneus Portusnaonis, Christophoro de Richeriis exititio dat salvumconductum, ut Portumnaonis adveniat, reddendae rationis gratia de gesta tutela nepotis Polidori de Richeriis.**

Nos Franciscus de Montibus, eques sacre cesaree maiestatis serenissimi ac invictissimi domini domini Maximiliani Romanorum regis semper augusti capitaneus et consiliarius, proindeque Portusnaonis et districtus capitaneus et gubernator. Cum vir nobilis dominus Polidorus Richerius civis Portusnaonis coram nobis exposuisset alias per quondam nobilem dominum Hectorem genitorem suum, tempore illius mortis fuisse institutum ac relictum tutorem ac gubernatorem ipsius domini Polidori tunc temporis pupilli ser Christoforum de Richeriis, fratrem eiusdem ser Hectoris, tunc incolam Maniaci: qui tutor mixtus in bonis dicte hereditatis cum multa bona alienasset absque auctoritate et licentia alicuius officii, nullam tamen de administratione tutele sue rationem reddere curavisset, cumque ad presens idem dominus Polidorus intendat dictum eius tutorem cogere ad reddendam rationem administrationis sue, illumque convenire coram iudicio Portusnaonis, quo in loco tutor fuit relictus et tutelam suscepit: sed quia idem ser Christoforus tutor exiticius est a Portunaonis, a nobis supplicavit ut illi salvumconductum concedere dignaremur, quod libere et secure possit

venire in Portumnaonis ad reddendum rationem administrationis tutele, et respondendum ipsi domino Polidoro ab eo petere intendenti: quapropter audita eius honesta supplicatione, tenore presentium litterarum, salvumconductum damus et concedimus prefato ser Christoforo, ut de cetero libere, tute et secure possit venire, stare et morari in territorio Portusnaonis, ad omnes et singulos actus in dicta causa agendos, usque ad illius expeditionem, et recedere et redire semel et pluries, prout opus fuerit. In quorum testimonium litteras has presentes fieri et sigillo nostro muniri iussimus, nosque manu propria subscripsimus. Datum in Portunaonis, die 5 octobris, 1502.

Regesta ipsius capitanei, penes Petrum Montereale.

## CCCLXX.

(1502, 14 octobris, Oeniponti.)

**Maximilianus rex Francisco de Montibus capitaneo Portusnaonis, supplicatione data, quam sibi Jacobus Oltrani obtulerat, urget id peragat quod iustum visum.**

Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kunig ec. Getrewe, lieber. Wir emphelhen dir daz du in den Sachen der hierinngeslossenen Supplication uns durch Jacoben Oltrani furbracht, als du vernemen wirdest, hanndlest was Recht ist. Das ist unsere ernnstliche Meynung. Geben zu Innsprugg an Freytag vor sanndt Gallentag, anno Domini ec. II, unsers Reichs im XVII.

Commissio gratiosissimi regis in consilio.

A tergo: Unsern getrewen, lieben Franciscen de Montibus, unnsern Hawbtman zu Portennaw. — *Alia manus inscripsit:* Presentate per Jacobum Oltranum, die 29 novembris, 1502.

Carta authent. penes P. M.

## CCCLXXI.

(1503, 4 februarii.)

Maximilianus rex vult *in suo robore permanere certas constitutiones* factas, *matura deliberatione prehabita* (24 aprilis, 1498) *ab Joanne Creudner, Paulo de Lichtenstein marescalco* sui *regi-*

*minis in Ispruck et Gualtero de Stadion, consiliariis suis, exceptis* nonnullis *quas ex causis quae de novo emerserunt,* mutat.

Ex membrana authent. in tabulario communis Portusnaonis editum in *Statuta Portusnaonis* ann. 1609, p. 63; ann. 1670, p. 41; ann. 1755, p. 52.

## CCCLXXII.

(1503, 10 martii, Antverpiae.)

**Maximilianus imperator Princivallium, Joannem Danielem et Antonium fratres de Monteregali, cives portusnaonenses, pluribus in imperium servitiis meritos familiarium suorum coetui aggregat, privilegiis ut intus conlatis.**

Maximilianus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmatie, Croatie ec. rex, archidux Austrie, dux Burgundie, Brabantie, Geldrie ec. princeps Svevie ec. comes Tirolis, Flandrie, Goritie ec. honorabili Princisvallio iuris civilis doctori, nec non nostris et imperii sacri fidelibus dilectis Joanni Danieli et Antonio Monteregali fratribus, civibus Portusnaonis, gratiam regiam et omne bonum. Honorabiles atque fideles dilecti. Dum ad probatam vestre fidelitatis constantiam, prudentem quoque legalitatis industriam, quibus vos in conspectu maiestatis nostre commendabiles reddidistis, aciem mentis nostre convertimus, dumque grata servitiorum fidelium obsequia, quibus serenissimum et gloriosissimum principem et dominum dominum Fridericum imperatorem et genitorem nostrum carissimum felicis memorie, nos quoque et romanum imperium tam prompte tamque viriliter indefessis ac ferventibus virtutum studiis non desinitis ammodo honorare, pie contemplamur, dignum arbitramur ut obsequiosa vestra merita comodosis premiis et honoribus decoremus. Vos igitur horum intuitu, animo deliberato, in familiares nostros assumpsimus, ac vigore presentium de certa nostra scientia assumimus gratiose, cetui aliorum familiarium nostrorum favorabiliter aggregando, volentes quod vos ex nunc in antea universis et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, iuribus, honoribus, gratiis et indultis, ubique locorum gaudere et perfrui possitis et valeatis, quibus ceteri nostri familiares utuntur, gaudent seu potiuntur quomodolibet consuetudine vel de iure. Mandamus igitur universis et singulis principibus ecclesiasticis et secularibus, ducibus, marchionibus, comiti-

bus, baronibus, nobilibus, clientibus, vicariis generalibus, ministerialibus, capitaneis, antianis, commissariis, potestatibus, gubernatoribus, castellanis, officialibus, iudicibus quibuscumque, ceteris nostris et imperii sacri fidelibus dilectis, cuiuscumque status, gradus, officii, sive dignitatis existant, quibus presentes nostre littere exhibite fuerint, quatenus dum et quoties prefatos Princivallum, Joannem Danielem et Antonium fratres familiares nostros ad eos vel eorum aliquem aut eorum dominia, terras seu iurisdictiones aut loca pervenerint, benigne recommendatos suscipiant, decenti pertractent honore, et ea que ad promotionem et securitatem eorum concernunt itinerum, benignis auxiliis et favoribus prosequantur, eos quoque cum famulis, equis, arnesiis, valisiis et rebus singulis per quoscumque passus, portus, pontes, terras, dominia, districtus, iurisdictiones, civitates, oppida, castra, castella, tam per terram quam per aquas, absque aliqua solutione theolonii, tributi, datii, pedagii, pontiregii, gustume, sive alterius cuiuscunque exactionis onere, impedimento transire, stare, morari et redire quoties eis opus fuerit permittant, atque ipsis dum et quoties vestro nomine aut desuper fuerint invocati, de securo velint providere conductu, ad honorem et reverentiam regalis nostre maiestatis atque complacentiam singularem. Datum in oppido nostro antuerpiensi, die decima mensis martii, anno Domini quingentesimo tertio, regnorum nostrorum romani decimo octavo, Hungarie vero decimo tertio annis.

Commissio domini regis in consilio.

Membrana cum majori sigillo cerae rubrae theca ferrea incluso penes P. M.

## CCCLXXIII.

(1503, 3 augusti, Portusnaonis.)

**Littera patens qua communitas Portusnaonis commendat Princivallum Manticam praeturam tridentinam propediem assumpturum, qua occasione cupit supellectilia ei transmissa a quocumque gravamine seu vectigalium iure liberentur.**

Notum sit omnibus et singulis presentes has nostras litteras inspecturis clarissimum iuris doctorem dominum Princivalium Manticam concivem nostrum superioribus diebus electum confirmatumque fuisse in pretorem tridentinum, ipsumque propediem provinciam assumpturum: ad quam cum in presentia missurus esset vestes et libros ac alia supellectilia sua, putavimus non ab re fore si eundem

concivem nostrum magnificentiis eorum pretorum ac aliorum officialium per quorum loca et iurisdictiones transiturus esset cum rebus predictis commendatum faceremus; ut ipsas libere et sine aliquo onere solvendi vectigalia aut alia gravamina, ut iura communia disponunt, conducere permitteret. Offerentes nos ad similia et longe maiora. Ex Portunaonis, die 3 augusti, 1503.

Capitaneus, potestas et consilium terre Portusnaonis.

Docum. authent. apud P. M.

## CCCLXXIV.

(1504, 28 martii.)

**Maximilianus rex episcopo Concordiae commendat presbyterum Ambrosium, quem, data occasione, investiat de certis cappellis, ad praesentationem communitatis Portusnaonis iure patronatus gaudentis.**

Maximilianus, divina favente clementia, Romanorum rex ec. Venerabilis, sincere, dilecte. Quidam presbiter Ambrosius obtinuit presentationem certarum cappellarum, quarum iuspatronatus ad communitatem civitatis nostre Portusnaonis spectat et pertinet, a prefata communitate, casu quo illas vacare contigerit. Unde cum eidem presbitero Ambrosio ob virtutes et servicia nobis prestita plurimum inclinemur, rogamus et hortamur te ut nostri et iustitie intuitu, si casus evenerit, eundem presbiterum Ambrosium ad presentationem prefate communitatis investias. In eo facies nobis rem gratam iurique consonam. Datum die vigesima octava mensis martii, anno Domini ec. IIII, regni nostri XVIII.

Commissio domini regis in consilio.

A tergo: Venerabili episcopo Concordie, sincere nobis dilecto.

## CCCLXXV.

(1504, 13 augusti, Oeniponti.)

**Maximilianus rex concedit privilegium Joanni Danieli Mantica sal Portumnaonis deferendi, ibique iusto pretio, nullo habito discrimine, vendendi, proptereaque Francisco de Montibus capitaneo et successoribus eundem commendat.**

Wir Maximilian von Gots Gnaden Romischer Kůnig zu allen Zeiten Merer des Reichs, zu Hungern, Dalmatien, Croatien ec. Kunig,

Ertzhertzog zu Osterreich, Hertzog zu Burgundi, zu Brabannt, zu Geldern ec. Furst zu Swaben ec. Grave zu Flanndern, zu Tirol, zu Gortz, ec. Bekennen daz wir unnsern getrewen Hannsen Danieln Manteca unsern Burger zu Portnaw umb seiner getrewen Dienste willen und auss sonndern Gnaden, die Saltzfur in unnser Herschaft Portnaw vergunt und erlawbt haben, vergunnen und erlawben im auch wissentlich mit dem Brief, also daz er allain und sonst nyemanndt annder, Salz in unnser Herrschaft Portnaw allenthalben furen, unnd daselbst verkauffen sol und mag, doch unnütz auf unnser Wolgefallen, und daz er niemanndt unbillicher Weyse und wider alt Herkomen damit besweren, sonnder solich Saltz umb zymlich Gelt, inmassen von alter Herkomen und Gehalten ist, hingeben und verkauffen sol, als er uns dann solichs zuegesagt und versprochen hat, ongeverde. Auf solichs emphelhen wir unnseren getrewen lieben Franciscen de Montibus gegenwurtigen und ainem yeden kunfftigem unnserm Hawbtman zu Portnaw, auch Potestat, Richter und Rate daselbst ernstlich und wollen, daz Sy obgemelten Mantica bey solicher Saltzfur, wie ob angetzaigt ist, berublich und unverhinndert beleiben lassen, hanndthaben, schützen und schirmen, und niemandt gestatten im dawider Irrung noch Intrag zuthun in kain Weyse, doch unns an unnserer Obrikait und Gerechtikeit unvergriffen und on Schaden, mit Urkundt dits Brieff. Geben zu Innsprugg, an Eritag vor unserer lieben Frawentag Assumptionis, nach Cristi Geburde im funfftczehenhundertistem und vierdten, unsers Reichs des Romischen in neunzehenden, und des hungrischen im funffzehendem Jarenn.

Commissio domini regis in consilio.

Docum. membran. cum sigillo cerae albae et rubrae appenso extat apud P. M.

## CCCLXXVI.

(1504, 13 augusti, Oeniponti.)

**Maximilianus rex ducem Venetiarum rogat ut Danieli Manticae sal in Portumnaonis, de sua concessione, vehenti permittat eam mercem in Pirano emere, indeque libere ad Portumnaonis conducere.**

Maximilianus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus ec. Illustris, sincere dilecte. Concessimus fideli civi nostro Danieli Manticha vecturam salis in civitate nostra Portusnaonis. Quare

